













1-128

8° I. K. paa Bindets Bagside
og Forside



LN 1489
ex. 3



ex Libb... Casp.
Hag. Bat. 1758

IN ECCLESIASTEN SALOMONIS, ID EST, CONCIONES

ad populum Hebræum habitas, de vita ſic inſtituenda, vt ad veram æternamq́ꝫ beatitudinem perueniatur, αὐτοσχέδια in regia Academia Hafnienſi propoſita.

A

IOHANNE OLAI SLANgendorpio, ſacrarum literarum profeſſore ordinario.

LECTORI.

REperies in hoc libro, amice lector, præter philoſophica & hiſtorica, non ſolum quæ cognouiſſe ad Rerumpub. adminiſtrationem vehementer conferat, ſed etiam diuinæ cùm benignitatis tum indignationis exempla imprimis obſeruanda, ac pietatis ſtudioſis digniſsima cognitu: id quod ipſe modo legere non pigeat, ingenuè nobiſcum fatebere.

HAFNIÆ

Impreßit Matthias Vinitor.

1590.

H. AC V.
DN. NICOLAI KAASII
CLARISSIMI ET NO-
BILISSIMI VIRI,
DOMINI
DE TAARVPGAARD,
CANCELLARII MA-
GNIFICI
ET GVBERNATORIS
PRIMARII REGNI
DANIÆ,
IOHAN: OL: SLANG:
HÆC
IN ECCLESIASTEN,
ANIMO DEVOTO
CONSECRA-
BAT.





NVLLA re magis, Generose Domine & Magnifice Cancellarie, quàm rerum creatarum noticia, DEI est intellecta natura. Siquidem homines cùm naturæ aspectu, cœlum, sideribus tanquam oculis distinctum cernerent, & tam tellurem altricem aëre circumfusam, in media mundi sede locatam librari viderent, tum circa eam tam exiguo horarum curriculo flagrantem circumferri solem, cuius quotidiana circumuectione annuoq; inflexu, non modò noctis dieiq;: sed etiam æstatis atq; hyemis vicißitudo efficeretur, infraq; æmulam ambire lunam, quæ menstruis eum spatijs consequeretur, mutuatamq; in terras lucem effunderet, tum circumfluum mare, nulla fluminum ac-

ceßione crescens, tum fulminum iactus, vel telluris labentis motum, ac ventorum imbriumq́; tempestiuitatem aspicerent, quorum alij ad æstus caloresq́; sedandos & nauigandi facultatem, alij ad serendi opportunitatem darentur, tum animantium, vel gradientium, vel volucrum vel nantium naturam, hominem deniq́; vt principem metirentur, confirmare cogebantur tam constantem solertemq́; molitionem rerum, ab aliquo diuino architecto oriri, qui auctor & parens & educator DEVS diceretur.

In his rebus contemplandis, quanquam causa esset euidentißima, multum tamen philosophi à cœlitus rorulentorum vatum genere abfuerunt. Siquidem philosophi parum nubilo cœlo cernentes, res genitas sunt in suapte natura permensi, propriaq́; causarum genera indagarunt, nec earum finem attigerunt,

runt, vt qui ætatem in itinere conterunt, nec vnquam suam domum capessunt. At verò diuini vates, quibus cœlum depulsa caligine patebat, earum rerum genera expenderunt, quatenus à principe auctore DEO defluxerint, in eumque statuantur qui sit rerum creatarum limes.

In hoc illustrium vatum albo, Generosè & Magnifice Domine cancellarie, meritò numeratur SALOMON, Regum sapientissimus, cuius ECCLESIASTEN per brumam superioris anni 1588. occasione sumpta ab obitu serenissimi & sanctissimi Regis nostri FRIDERICI. II. (felicis memoriæ) qui eodem anno, relictis omnibus mundi vanitatibus, stabile ac firmum apud DEum immortalem consequutus est bonum, explicaui: vt tam ipsum me quàm iuuentutem,

meæ & aliorum fidei commendatam, ad arcem christianæ pietatis prouehe-rem, commoneremq́; intensißima cura ad procinctum pietatis tendentes, ite-rum atq́; iterum ijs expendendum, quid in huius vitæ quasi proscenio quodam, ipsum rationis lumen obscuret, animum-que hominis, imitatione subinde depra-uata, in nimium rerum fluxarum ac va-nitatum ardorem, transuersum rapiat: vt adhibita præceptorum quæ in EC-CLESIASTE traduntur salu-britate, sapientiæ suffrenatione veluti sufflamine quodam reprimeretur. Nam sicuti Mandragoram produnt rerum periti vitibus adnatam, transmittere in illas potestatem somnificam, vt vi-num ex ijs bibentes faciliùs procliuiusq́; in soporem collabantur: Sic & salubria sacrarum antipharmaca literarum, men-tibus hominum sæpiùs propinata, in

allectan-

allectantibus delinimentis, modeſtiam modumq́ quendam præſcribunt conſentaneum, efficiuntq́ ne animi fores vitiorum agmini perinde ac hoſtili manui patefaciant &c.

Etſi autem ex rerum iſtarum conditarum, viciſsitudinumq́ in rebus humanis contemplatione, plurima, ſingulari digna admiratione ſeſe mentibus hominum ingerant, quæ ſingillatim ac curioſè contenteq́ ſi quis exequi curet, vix reperietur finis vllus: ſunt tamen duæ quæſtiones de quibus omnibus ætatibus ἀσπόνδῳ πολέμῳ altercatum fuit, vna de DEI prouidentia, quæ cuncta, diuerſa, & infinita, modis complectitur occultioribus, digerit diſponitq́, altera de ſumma hominis felicitate, tumq́ de eius adipiſcendæ ratione. De his nemo inuentus eſt, qui humana ſagacitate ſola fretus, vel huius vel il-

lius certam & veram cognitionem sit assequutus. Conabantur quidem Pythagoras, Anaximenes, Xenophanes, Parmenides, Plato, Aristoteles, Chrysippus, Aristippus & Epicurus Socraticæ disciplinæ lotura aspersi, ac deniq; tota illa spinosa Stoicorum turba, summum hominis bonum sibi & alijs applicare, vt tanquam grandes & antesignani celebrarentur à posteritate. Sed hic voluptatem, dulcedinem sensuum cientem, summum bonum pronunciauit, alius in virtute, gloria, honore, potentia, animo & scientia, summam suam felicitatem collocauit, alij in alijs nescio quibus delirijs: vnde quis admirari satis poterit hanc hominum animalium stoliditatẽ, & quòd publicam scientiæ hæreditatem soli adire voluerint, cùm nihil ad æquilibrium assem dispertiant, qui aut sunt inscitiæ aut stoliditatis, aut

vtriuſq; potiùs poſtulandi. Nam concreta quadam caligine offuſi, & ieiuna auiditate diu in exquirenda felicitate verſati, quantò ingredi nitebantur interiùs, tantò retrorſum viciſſim reiecti reflatu ferebantur, quandoquidem naturâ priùs videbatur ſtatuendum eſſe de fine, qui cùm eſſet ſupra intelligentiæ complexum, ſupraq; mortalitatem conſtitutus, intelligi neceſſe erat, occultiſſimè etiam abdita fuiſſe intermedia, quibus homines ad finem bonorum ducerentur. Quod cùm ita ſit, facilè apparet ſine æthereo hauſtu mentis humanæ naturam effœtam exaruiſſe, nec ſecus internouiſſe ſuum finem ac ſummam felicitatem, quàm qui noctu iter facit, cùm procul aliquid eminens aſpexerit, oculorum errore deceptus, vrbem à monte non ſecernit. Cùm itaq; ab eis nullus conſtitutus ſit felicitatis certus limes,

quodnam ſequantur ad felicitatem iter, Eccleſiaſtes hic noſter abundè condocefacit.

Cæterùm de altera quæſtione quomodo diſputant? certè Democritus & Epicurus, dum mundum corporum concurſione fortuita, effectum eſſe cenſebant, prouidentiam excluſerunt. Alij vt Ariſtotelici & compitalitij quidam philoſophi, ea tantùm quæ nullo modo extabeſcunt, prouidentiæ ſubiecta eſſe voluerunt: cùm tamen ſatis perſpicuum ſit, cuncta perinde diuinæ menſioni, vt artificioſa rato artis ordini ſubeſſe. De alijs quid dicam? aut quomodo cuiquam ſano in mentem venire poterit, vt rerum vniuerſarum prouidentiam excludat? aut mundum Dei procuratione adminiſtrari neget? At multi tamen fuerunt, qui cuncta, nulla mente diuina, nullaq́ ratione gubernari opinati

nati sunt, immo & hodie mundus plenus est talium monstrorum.

Tantum igitur inscitiæ indumentum, velamen opacum ac dira spectra in mentibus hominum, tum insanum vanitatis amorem perspiciens Rex clarißimus SALOMON, omni excusso veterno, obfuscata sacratarum immo secretarum rerum latibula ingressus, mentem humanam tam turpiter errorum ac hallucinationum luxuriante materia collutilatam adobrutamq́, ipsam vanitatem proclamauit, & de adytis oraculorum, vetustißimæq́ philosophiæ spiritus sancti scilicet penetralibus depromsit, quid de Dei prouidentia statuendum, acerrimeq́ summum hominis bonum, à lethargo immo veternosißimis philosophantium nodis vindicauit asseruitq́. Itaq́ hoc libro, vt breuiter multa complectar, obsoletam philosophantium chlamy-

chlamydem tingendo exurit, vt ambusto pilo extantia fila appareant: ac econtrà plano calle & herboso, studiosos pietatis rectissimâ eò ducit, quò philosophi per salebras & crepidines traxerunt.

Dignus itaq; si quis alius sacri voluminis, est hic liber qui confidentiam in rebus caducis damnat, & imprimis vitam flagitiorum immanitate corruptam, labefactatam, & turbulentam imprimis ac fluctuantem detestatur: DEI prouidentiam commendat, summumq; bonum in his paucis pinacidijs plenissimè describit, vt non solùm in scholis & templis, sed etiam in aulis principum recitetur, ac in manibus illustrium hominum præcipuè versetur: in quo planè dubius sum, quid primò admirer, artificium ne potius ac sermonis maiestatem, an verò diuinum scientissimi Re-

mi Re-

mi Regis ingenium, qui tam bellè ac scitè, dissidentium philosophorum hominumq́; animalium, recitatis ac explosis digladiationibus: semper hoc pronunciat & repetit, vitam eam quanquam discriminibus multis obiectam, periculis ac tentationibus vndiq́; constipatam obuallatamq́;, tutissimam tamen & à procellis feruentis orci, dæmonumq́; carnificina procul seiunctam esse, quæ DEum in omnibus actionibus concipit, & tota diuinis haustibus inebriatur, DEumq́; semper sapit ac intelligit. Exinde porrò hunc totum librum concludit hoc aureo præcepto: DEVM IPSVM REVERERE, ET PRÆCEPTA EIVS OBSERVA, QVIA HOC EST TOTVM HOMINIS. Atq́; his armis aureis, monet aduersus mobiles & multiplices huius mundi vanitates pugnan-

gnan-

gnandum esse, id est pietate, iusticia & sanctitate in toto vitæ cursu grassandum &c.

Hunc itaq; librum quanquam à multis alijs, scholijs illustratum, à me tamen pro tenuitate mei ingenioli etiam in hac regia schola, cuius tu Magnifice Domine Cancellarie conseruator es, explicatum, generositati tuæ nuncupare decreui. Nam præterquam quòd iam diu erat à me hoc magnificentiæ tuæ æris dissoluendum, accesserunt etiam alia quamplurima beneficia, quorum magnitudinem breui oratione consequi non possum. Addo hunc librum Magnificentiæ tuæ rectißimè à pluribus etiam destinari, quæ eius vsum optimè intelligit & in vita aßiduè exprimit. Etenim Magnificentia tua rerum humanarum & diuinarum scientißima, mundi huius vanitate, ad amußim & libripen-

libripendicem cœlestem doctrinam ritè ponderata, omnia studiosè conquirit, quæ ad gloriam Dei omnipotentis faciant & vtilitatem horum regnorum. Itaq; ostendis te nihil magis cupere, quàm & placere semper Deo immortali, & iuuare mortales tam qui nunc sunt, quàm nascituros omnibus seculis, relinquereq; aliquid cùm è vita excesseris, quo non sine summa laude te vixisse testeris. Possem hîc multa commemorare de Magnificentiæ tuæ in DEVM pietate, liberalitate in pauperes, bonitate in probos, grauitate & prudentia in negocijs rebusq; publicis, tum deniq; iusticia in omnes & singulos. Hac enim norma & duce, vnà cum nobilißimis, prudentißimisq; alijs interregibus ita agis, vt nullam causam subscribas, nihilq; ratum habeas, quò aut quisquam de suo iure decedat, aut sacra iuris auctoritas minuatur.

nuatur, ſed quod eſt iuſticiæ proprium, ſuum cuiq; tribuendum curas, tum probos ornandos, ſceleratos puniendos & vis & imperas. Quibus in rebus ſummi ac infimi, mirantur acerrimum iudicium & acumen ſummum ingenij tui. Sed in tuis laudibus parcus ego ſum ac contentus, ampliſsimum nominis tui, breui anguſtæ tabellæ elogio circumferri decus, cùm nec defuerint nec vnquam defuturi ſint, qui imagines virtutum tuarum præcellentiſsimas, & præſenti & venturæ ſint conſecraturi famæ. Magnificentiæ igitur tuæ, quod iam poſſum præſertim in hoc noui anni principio, quem à genethlijs filij Dei Domini ac liberatoris noſtri IESV CHRISTI Eccleſia orditur, id demum rependo, haud ignarus eam ſplendeſcere in animo tuo bonitatem, vt non tam muneris amplitudinem ſpectes, quàm

egregiam

egregiam ac promptam contribuentis voluntatem.

Nunc igitur quod superest Deum immortalem oro, vt viuas diu ac valeas, quo literarum ac literatorum, virtuteq́ præstantium virorum columen, & præsidium, & perfugium multas ætates esse posSis. Hafniæ ex Musæo meo. Anno virginei partus, 1590. ipsis ferijs TRIVM MAGORVM.

T. M. D.

DeditiSSimus

Iohannes Olai
Slangendorpius.

(:)

Τῷ ἀναγνώστῃ:

NE acer & cordatus lector, me tanquam prorsus rudem in lingua sancta, sutorio (vt dicitur in prouerbio) notet atramento, quòd nullas vel paucas, in hæc αὐτοσχέδια linguæ sanctæ retulerim voces, grammaticasq; notationes: sciat me non prorsus imperitum esse sanctæ linguæ, sed hanc rationem interpretandi scripturam studiosè seruare, vt omissis altercationibus interpretum, ipsum authorem hebraicè & sua vernacula lingua perorantem, recitem, ipsoq; ex fonte primum versionem quasi de verbo ad verbum eruam, deinde artificium grammaticum, sed obiter tantùm, nimirum vocum συνθέσεις, idiomata, & hebreæ dictiones figuras varias, accentus quoq; ac tum deniq; radices omnes quæ inuentu difficiliores occurrant excutiam.

Quo studio nisi planè ignauus fuerit auditor, quàm breuissimo plurimum proficiet, linguæq; sanctæ mediocrem peritiam consequetur longe minore opera, quàm si per grammaticarum præceptionum ambages, & infinita regularum ac obseruationum plaustra sine modo grassetur &c. Interim literarum transpositiones in hoc libro, inuersiones & id genus mendulas, nihil moror, quæ non mea sed Typographi & interdum librarij irrepserint inscitia.

PRÆ-



PRÆFATIO IN ECCLESIASTEN ANNO 1588.

VIIIbris 3. obiter propoſita.



CVm Cæteri ante SOCRATEM philoſophi, cauſas naturæ latentes accuratius rimati eſſent, & circa phyſicen diſcutiendam, penitus intenti, ipſe eam rerum naturalium contemplationem minus homini neceſſariam ratus, ea potius inquirenda hortabatur, quæ mores inſtruerent & quorum vſus nobis ad totius vitæ directionem eſſet accommodus. Quare non parum SOCRATES eo ipſo præ cæteris philoſophis commendatur, quòd Ethicam primus inuexerit, atq; de humanorum affectuum moderandorum ratione, ante omnes diſſeruerit. Etenim quid quæſo confert, cœli vertigines, & varios ſyderum motus indagare? Quid terræ molem, globorumq; cœleſtium magnitudinem dimetiri, & ſeipſum ignorare? Neq; quo pacto vita degenda ſit, & actus omnes certa rationis lege regendi compertum tenere: Multi multa ſciunt & ſeipſos neſciunt, alios inſpiciunt & ſeipſos deſerunt, DEVM quærunt per iſta exteriora, deſerentes ſua interiora, quibus DEVS eſt interior. Hinc exclamat ECCLESIASTES hic noſter;

ster: QVID NECESSE EST HOMINI MAIORA SE QVÆRERE, CVM IGNORET QVID CONDVCAT SIBI IN VITA SVA? &c.

Simili modo ad exemplum nominati SOCRATIS, reliquis scriptoribus eos omnino anteferendos iudico, qui non tam linguam quàm rectæ vitæ institutionem, suam plebem docuere. Inter quos clarissimus habetur Salomon, amplissimorum olim regnorum & populorum Rex & Dominus, cuius ECCLESIASTEN explicabo, in quo incredibili quadam sapientia, qua cœlitus perfusus erat, & rerum experientia edoctus, considerans varias rerum humanarum vices quàm diu versamur in his tabernaculis, nobis mœrorum, cruciamentorum, cumulandarumque ærumnarum materiam propé infinitam aduehere, vanissimas vanitates omnes huius mundi pompas pronunciauit, ostenditque summam nostram felicitatem post ærumnosam & euanidam hanc vitam, esse Dei immortalis fruitionem, ad quam ob hæc mundi senticeta, salebras & prærupta, tortuosum, inuolutum & minime expeditum est iter: ideoque monet non leuem & incruentam pugnam, sed acre prælium subeundum

eſſe antequam eò pertingamus. Etenim cùm
qui huic mundo militant, toties ſua corpora
telis hoſtium obĳciant, ſuamq; vitam ambi-
gui Martis aleæ committant, vt ſupplicatio-
nem, ouationem, aut etiam triumphum aſſe-
quantur, eumq; ridiculum verius aut ludi-
crum quàm ſpecioſum, cùm eius vniuerſa
pompa vno fere circumagatur die: quid non
facient Dei milites, vt contempta huius mun-
di vanitate æternum illum triumphum aſſe-
quantur in cœlis? Ac quanta nunc eſt gloria
illorum, qui his poſthabitis mundi illecebris,
per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſti-
ciam, & adepti ſunt beatas promiſsiones:
Quorum encomia per vniuerſum reſonant
orbem, & Angelis applaudentibus ſempiter-
num cum cœlitibus omnibus triumphum a-
gunt in cœleſti Ieroſolyma? Talium docu-
mentorum plenus eſt SALOMON, quæ do-
cent mortificantes membra ſua, quæ ſunt ſu-
per terram, libidinem, auaritiam, faſtum, ira-
cundiam, alioſq; id genus affectus ſpiritui re-
luctari ſolitos, non incruento bello vincere
Satanam, ac tandem conſequi beatam im-
mortalitatem. Huius itaq; ECCLESI-
ASTEN de his ac aliĳs infinitis quæ in
hoc mundi iam ſeneſcentis occaſu, quo om-
nia vitia ſunt in præcipiti, adeo vt neque-

ant vel vlterius progredi vel altius conscendere, hoc semestri hyberno anni huius, enarrandum selegimus, quo amisimus optimum Regem nostrum, patrem patriæ, eruditorum phœnicem, pietatis vindicem, & perfugium ac portum omnium oppressorum: cuius quidem mors immatura, ipsi sane salutaris fuit, sed nobis acerba. Qui si vixisset longius, poterat nutanti passim Ecclesiæ dorsum manumq; (quod aiunt) apponere. Cæterùm quoniam aliter visum erat diuinæ voluntati (cui reluctari velle, non solum nefas, sed etiam habeatur inutile) nos interim communis fragilitatis ac sortis memores, præsentem casum æquo animo feremus, & quod superest, vos optimi iuuenes ac fratres in Christo Iesu charissimi, diligenter audite Salomonem, & auditum sæpiùs reuoluite ac ruminate, vt intelligatis mundi huius vanissimam vanitatem, & excitemini tandem aliquando ex hoc tam rerum vanissimarum profundissimo somno: erigatis capita, aperiatis oculos, et circumspiciatis vbi sitis, quàm fallax ac vana sit misera hæc terrena vita, quam vndiq; cincti simus hostibus innumerabilibus & crudelissimis, qui omnes in ceruices nostras, immo extremam perniciem coniurarunt: quibus de causis summi, totius

orbis

orbis Chriſtiani, Monarchæ, iam per tot an-
nos bellis heu nimium funeſtis & implacabi-
libus inter ſe congrediantur atq; confligant,
ſectæ olim excitatæ indies latiùs latiusq; ſer-
pant, & ferè quotidie nouas nouæ procreent,
cur nec ſummi nec infimi, vel a luxurioſa vi-
ta, nec a libidine, auaritia & turgido faſtu
quicquam remittere ſuſtineant. Breuiter quo-
modo intus & foris omnia ſint plena hoſti-
bus, omniaq; preſſuris, anguſtijs terroribus ac
formidine perturbatiſsima. Ac ex talium
conſideratione diſcatis impoſturas & inſidi-
as Satanæ, contemnatis mundi luxurian-
tem pompam, & reiectis carnis delinimen-
tis, vnanimiter in caſtra Regis Domi-
ni noſtri Ieſu Chriſti, reuertamur omnes &
ſinguli, atq; in ſumma concordia ſub eius
vexillis, animis armisq; coniunctis in hoſtem
Satanam pariter & mundi huius vanitatem
vaniſsimam acriter feramur. Et DEVS pa-
cis ac princeps militiæ huius ſpiritualis ade-
rit nobis, dabitq; lætiſsimam victoriam, &
cum gaudio inæſtimabili victores ac trium-
phantes in regnum ſuum cœleſte introducet.
Vbi tunc deinceps nobis gratulantes, ipſum
autem regem & Imperatorem noſtrum epi-
nicijs noſtris, pſalmis, hymnis & canticis,
cum ipſis angelorum choris coniuncti, lau-

dantes exultabimus, gaudebimus ac triumphabimus vsq; in æternum.

Hæc breuiter præfari volui in initio authoris. Nunc quanta fieri poterit breuitate, vt pulcherrimi simul & amœnissimi spectaculi contemplationem de huius mundi vanitate, alacriores ingrediamur, hæc sequentia capita prolegomenωn vice proponam, & rationem hanc interpretandi ECCLESIASTEN tempore hoc seruabo, vt saltem dispositione logica ad calamum dictata, reliqua omnia historica, philosophica ac imprimis diuinæ ac salutares commonefactiones, ad singulos fere versus adductæ, obiter recitentur. Sint itaque hæc capita.

*CAP. I. ARGVMEN*tum totius libri.

SALOMON Ecclesiastes & Rex, informat præsenti hoc libro uitam & mores omnium hominum, exponens primum rationem studiorum suorum & institutæ vitæ. Deinde obseruationem omnium earum occupationum, quibus se homines dedunt, & impias cogitationes quibus se implicant, quæ omnia vanitatis damnans, summum & perfectissimum bonum definit esse coniunctionem

cum

cum DEO, atq; perpetuam DEI fruitionem.

CAP. II. DE AVTHORE LIBRI.

PRincipalem authorem huius libri esse Spiritum Sanctum, nulli ambiguum est. Instrumentalem vero & organicum authorem titulus exhibet, nempe SALOMONEM Regum sapientissimum, cuius tres libri ad nostram peruenerunt memoriam. Primus ad adolescentes scriptus est, & continet de moribus religioneq; præcepta. Alter ob prouectioris iam ætatis homines in lucem est editus, in quo de humanarum rerum vanitate, vitiorum contemptu, & de seruandis diuinis præceptis, timendoq; Deo agitur. Tertius autem libellus, carmen est de sponsi & sponsæ amore. Hunc autem qui medius est, perhibetur scripsisse, cùm iam à Deo reprehensus esset propter idololatriam & sceleratam vitam, ac resipisceret, ætate iam prouecta, & comparata rerum tam multarum quæ in hoc libro continentur experientia.

CAP. III. DE OCCASIONE.

OCcasio scribendi gemina fuit, vna, vt hoc consilio abiuraret sceleratam vitam, resipiscentiam suam profiteretur, & solenni hoc scripto reconciliaretur cum Ecclesia Dei, altera, diuersitas philosophantium, quorum alij felicitatem hominis metiebantur ex diuitijs, alij ex delitijs, alij honoribus, scientijs: vt præteream alia bona, quæ per laborem humanum & multiplicem administrationem acquiri possunt in vita præsente, quæ opiniones sunt tantùm incertitudines & fabulæ.

CAP. IIII. DE SCOPO LIBRI.

VT liquidum fiat & manifestum omnibus summum bonum, in quo inueniendo ex Ethnicis præstantissimi quique homines, omnibus seculis elaborarunt, in vno Christo contineri alibi vero reperiri nusquam. Reliqua verò omnia, ingenium, doctrinam, multiplicem rerum cognitionem, dicendi facultatem, diuitias, opes, potentiam, honores, & si qua alia sunt aut nomi-

nari possunt, etsi ratione vtilitatis nihil his optabilius aut in oculis mundi admirabilius videatur: tamen per se nihil nisi inanes stipulas esse, aut si quid stipulis est abiectius euidenter demonstret.

CAP. V. DE GENERE Dicendi.

GEnus huius libri vt apparet est ὁριστικὸν & ἀποδεικτικὸν, quærit enim quid sit summum hominis bonum, & quæ vera beatitudo in qua mentes humanæ solidè acquiescere posint. Hoc vt commodè monstraret, initio assumpsit vicina genera, apparentia scilicet bona, quibus tanquam fluxis & insufficientibus refutatis, summum bonum demonstrat esse æternam & immortalem vitam, quam iustè & ex fide viuentes speramus: Summum vero malum æternam mortem & pœnas quæ malè viuentibus debentur. Compositionis vero genus in secunda parte ἀφοριστικὸν est. Nam breue & sententiosum est, vt singuli versus ferme totidem habeant præcepta vitæ & admonitiones. Eo genere olim vsi sunt medici, & postea etiam assumpserunt philosophi, ethici & oratores.

CAP-

CAP. VI. DE PARTIBVS.

PArtes libri duæ ſunt, prior eſt ἀνασκευὴ ἢ ἐλεγχτική. Confutat enim diuerſas ſententias philoſophorum, ac ſtatim primo capite eos refellit, qui ſummum bonum in ſcientia poſuerunt. Secundo ac tertio capitibus, eos qui ſummum bonum collocant in voluptate. Quarto qui in honoribus. In quinti capitis progreſſu & ſexto, eos qui in diuitijs. Septimo de tribus bonorum generibus, animi inquam, corporis & fortunæ diſſerit, deq; contrarijs malis & quis horum omnium vſus, nec non quomodo præcipuè à prouidentia Dei, res noſtræ omnes pendeant luculenter docet. In his variæ ſunt obiectiones, variæ dilutiones quæ in perſona Eccleſiaſtæ & aduerſariorum diuerſum opinantium proferuntur, quæq; in exigeſi nullo modo ſunt prætereundæ. Poſterior pars eſt κατασκευὴ & διδασκαλική. Concionatur enim de vita piè & iuſtè tranſigenda, quò tandem DEO coniungi felicitateq; frui æterna poſſimus, quæ deinceps abſoluitur argumentis ſuaſorijs ad obſeruantiam manda-

torum

torum DEI, dilectionis opera, ac virtutis ſtudium.

CAP. VII. DE QVÆSTIONE libri.

AN ſummum hominis bonum definiendum ſit ex ſcientia, delitijs, honoribus, diuitijs &c. Hoc Salomon negat. Quare & argumentum topicæ inuentionis ſumit ab effectis harum rerum, ex quibus, diſpoſitio analytica ſyllogiſmi generalis talis erit.

Illa quæ non ſunt aliud quàm vanitas vanitatum, imperfecta, caduca ac tranſitoria, non ſunt ſummum bonum, neq; perfecta felicitas.

Sed ſcientiæ, voluptas, honores, diuitiæ & reliqua quæ cenſentur in bonis humanis, ſunt huiuſmodi.

Ergo in ijs non eſt ſummum bonum. Et per conſequens in talibus non eſt ponenda

eius

eius felicitas quæ vltimum hominis sit bonum.

Propositio est in versu 2. cap. 1. Assumptio syllogismi in prioribus sex capitibus probatur & illustratur, ac tandem in septimo concluditur, in sequentibus verò solida felicitas definitur, & ad eam προτρεπτικά argumenta adhibentur.

† † †

CAP. VLTIMVM DE FINE.

FInis duplex est, scilicet proprius & communis. Proprius est timor DEI & obseruatio mandatorum DEI, versu vltimo vltimi capitis, DEVM time & mandata eius obserua. Finis communis est vita æterna, quæ & omnium librorum Theologiæ finis est. Iohannis vigesimo: Hæc autem scripta sunt, vt credatis quia IESVS est filius DEI, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius. Ex quo

apparet

apparet quàm immensa sit vtilitas huius libri, scilicet animum à noxia & vana delectatione compescere, omniaq́ue vt pecunias, vt diuitias, vt magistratus, vt regna, vt corporis vires, vt pulchritudinem instabilitati fortunæ subiecta reputare, quæ quamuis non penitus contemnenda sint, vt pote naturæ, & DEI OPT: MAX: munera, tamen præ timore DEI & spirituali felicitate nihili facienda esse monet.



CAPITIS PRIMI ΠΕΡΙΟΧΗ.

SApiens ostendit quæcunq; in hoc mundo sunt vanitatē esse, non quòd omnia damnet atq; accuset, verùm potiùs consilia hominum reprehendit, qui in rebus fluxis spem suam collocasse videntur. Principaliter autem vt refellat sententiam hominum animaliū collocantium in scientia beatitudinem hominis, ac dicentium eum tunc esse felicem: quando in eius mente describitur totus per scientiam perfectam orbis, in hoc capite maximè conatur excludere scientiam 'ανθρωπίνην à vera felicitate, quâ tanquam insufficiente reiecta, reliqua omnia γενικῶσ sunt refutata, cùm sint bona minora.

VERS. I.

Verba Ecclesiastæ, filij Dauid Regis Ierusalaim, &c.

PRima pars libri, exordium scilicet, à tribus adiunctis, genere, dignitate & ciuitate ipsa, in qua regia illi constituta erat, quæ ideo refert, vt ad personæ authoritatem animum conuertentes, promptiores reddamur ad doctrinam eius, accipiendam.

Est autem hic versus ἐπιγραφὴ, *id est, inscriptio & titulus.* Verba *(inquit) Sed cuius verba? Ecclesiastæ id est, non cuiusuis ex media plebe homuntionis, sed filij Dauid Prophetæ. Cùm igitur hæc non sint verba priuati hominis, nemo erit tam cornea fibra (vt ait Persius) nemo tam penitus frontem vel prostituerit vel amiserit, nemo deniq;*

tam truncus fuerit, aut si quid trunco magis stupuerit, qui non arrectis auribus, atq; attento animo audiendum eum censeat, cùm eius doctrinis aduersus omnem fortunæ temeritatem, vanitatisq; fœdissima monstra, longè magis quàm vel vulcanijs armis, vel Herculis claua muniamur. Quare si verum dixit iste: Sæpe inquit audiui eum primum esse virum, qui ipse consulat, quid in re sit, secundum, eum qui bene monenti obediat, qui verò nec ipse consulere, nec alteri parêre scit, eum extremi ingenij esse. Adolescens egregie, qui ad audiendum hodie conuenisti Salomonem Regem, si primam laudatorum sortem habere non potes, pudeat te, extremo censeri loco, mediam igitur teneas, & Salomoni rectissima monenti obedias, vel saltem ad eum perorantem auscultes. Sic enim loquitur vers. 2.

VERS. II.

Vanitas Vanitatum dixit Ecclesiastes Vanitas Vanitatum & omnia Vanitas.

SEcunda pars libri, propositio generalis, quam à versu quarto, εἰδικῶς *tractat, vt destruat ac refellat bona vitæ præsentis à felicitate vera & perenni, eaq́; ostendat nihil aliud esse, quàm leue, nudum & inane stramen. Distinguemus autem postea propositionem in suas partes, secundum numerum eorum quæ excludit. Nam ordine partes ex quibus vanum coalescit commemorat. Sic ergo inquit:* Vanitas vanitatum.

Hypothesis ac summa totius libri vno axiomate expreßa, quam sententiam ad exaggerandum magnitudinem vanitatum iterauit, vt per hoc demonstret, quòd omnis gloria mundi, sicut flos feni marcescet, & sicut fumus pertransibit.

transibit. Hoc versu tenendum, quid sit vanum, deinde quot modis dicitur homo vanus &c. HABEL vanum, dicitur quasi ex nihilo veniens & ad nihil tendens. Vanitas autem est quod nec plenitudinem confert continenti, nec fulcimentum innitenti, nec fructum laboranti. Sed vanus dicitur homo, duobus modis: scilicet τῷ εἶναι quia in se vanus ac vacuus est, quia non habet esse à se sed aliunde, & in comparatione creatoris, cuius esse est à se & incommutabile, tantum momentaneus est, & ad ictum oculi existens. Deinde transeundo, quia non potest per se subsistere, ac toto tempore quo est, infinitis vanitatibus subiectus existit. Hæc sanè optimè intelligantur, si vel saltem ipsius hominis conditiones ac adiuncta diligenter examinabimus. Videamus igitur si lubet, primum singulas vitæ

nostræ partes, deinde & varios hominum status, vt cognoscamus quomodo homo sit vanus.

Quæso igitur vt intelligas vanitatem, considera quid certitudinis aut stabilitatis habuit pueritia nostra? Lusimus nucibus par vel impar, plostella traximus, arundine equitauimus, lusimus trocho, lusimus pila, hæc præterierunt. Quid certitudinis habuit adolescentia? equitauimus, obambulauimus, ad philosophos siue præceptores itauimus, Veneri, poculis, coreis & cantilenis operam dedimus, quid tum? Vanitas vanitatum. *At iam viri facti appetiuimus vxores, natos, diuitias, dignitates & honores. In vxore multæ sunt molestiæ: in filijs plures, in diuitijs anxietates & labores, in publicis muneribus & honoribus, inuidiæ ac odia, & vbi hæc sunt, nulla ibi certitudo: Ergo* Vanitas vanitatum.

Paulatim in ſenium vergimus, quod eſt graue mortalibus pondus, vt poëta Græcus ſcripſit: Χαλεπὸν τὸ γῆρας, ὅ'στιν ἀνθρώποις βάρος, *& alius,* Γῆρας καὶ πενία δύο τραύματα δυσθεραπευτά: *Senium & paupertas duo vulnera immedicabilia, & curatu difficilia. Latinus quoq́ comicus: Senectus ipſa eſt morbus. Senectute enim vires amittimus & pulchritudinem, ingenium, memoriam, & ſenſus ac voluptates.*

Omnia fert ætas, animum quoq́, inquit
Maro:

Et quod valde dolendum eſt, contemnimur, illudimur, quid autem turpius quam illudi? Multi ſunt iuuenes, qui te ſenem audent laceſſere, impellere, vrgere, & fortaſſe verberare, quem æqualem ſi non timerent, ſaltem non irritarent, adde quod ſenes ſunt fabularum initia. Cùm ergo tantam varietatem,

tem, tantam instabilitatem fieri videamus in ætatibus, quid aliud sunt tempora nostra, quàm Vanitas vanitatum & fabulæ? ac singulis illis superadduntur infinita pericula, pestilentiæ videlicet, famis, febris, belli: multa incendia, ruinæ, naufragia, ægritudines corporis & animi, vt vita nihil incertius & fragilius fingi poßit, ac bene Homerus:

Οὐδὲμ ἀκιδνώτερομ γαῖα τρέφει ἀνθρώποισι πάντωμ ὅσσα &c.

Nihil imbecillius terra nutrit homine, omnium quæ in terra spirant & serpunt. Et Euripides melius: non est mortalis qui sciat crastinum diem futurum si viuat. Et paulò post subiungit, ὁ βίος οὐ βίος ἀλλὰ συμφορὰ, non vita hæc verè vita, sed calamitas. Quam sententiam noster tragicus imitatus est: Nemo tam diuos habuit fauentes, crastinum

num vt ſibi polliceri poßit. Atq; hæc in ætatibus, in quibus nihil ſtabile videmus.

Conſideremus porrò exercitia ſiue artes humanas, vt intelligamus quid ſit Vanitas & quomodo homo ſit vanus. Quæ ars, quod exercitium ſtabile eſt? Mercator modò emit, modò vendit, modò ſoluit quod debet, modò decoquit, modò lucratur, modò iacturam facit.

Impiger extremos currit Mercator ad Indos (vt inquit Flaccus)
Per mare pauperiem, fugiens per ſaxa per ignes.

Et nauta, ipſe nunc in portu, nunc in alto, nunc ridet, nunc plorat. Ædificator ædificat: diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis, & neſcit cui ædificet. Huc appoſitè illud M. Ionæ Canonici olim Lundenſis:

Den ene Pløyer den anden Saaer/
Den tredie veed ey huo det Faar.

Id eſt:

Vnus arat, alter ſeminat & occat, quis metet mortalibus eſt obſcurum. Vſurarius ſeu auarus, modò pecunias ſcribit, modò exſcribit, nunc calendaria, nunc ratiocinaria voluit, reuoluit, legit, relegit, modò ſupputat, computat, imputat, quantum crediderit, quantum debeat, modò fures, modò homicidas, modò incendia pertimeſcit, quo nomine hæc ſunt appellanda? Vanitas vanitatum & omnia *ſcilicet quæ eiuſmodi ſunt* Vanitas. *At milites, ſiue pedites, ſiue equites ſint, ſiue ductores, ſiue imperatores exercitus, quam requiem, quam certitudinem habent? cùm ſemper in laboribus, ſemper in armis ſint, nunc montes, nunc campos, nunc*

flumina, ascendant, descendant, metantur, transeant, modò mare superum, modò inferum, modò etiam ipsum oceanum, à Gadibus vsq; ad auroram permetiantur, longè à patria, longè ab amicis, cognatis, parentibus, fratribus, vxoribus, semper ad pericula & mortem tendentes, semper audituri, fiant castra, fossæ, vallum, legantur excubitores, mittantur exploratores, curentur impedimenta, mittantur subsidia, alij eant frumentatum, alij pabulatum, nonne magni labores & magna vanitas sunt hæc? Bene ergo exercitus dictus est ab exercendo, id est, fatigando. Præterea cùm bellorum euentus semper sint incerti, & fortuna maximè in illis dominetur, quid tibi artes militares? quid vires? quid stratagemata? quid insidiæ prosunt? Rectè igitur Homerus, victoriam modò huic, modò

modò alteri fauentem dixit, & Martem ἄλλον πρὸς ἄλλον id est, ad alium & alium euntem & instabilem cognominauit. Quid autem his accidit? nunc obsident, modò obsidentur, modò vincunt, modò superantur, nunc vulnerant, nunc vulnerantur. Cùm quiescendum est, tunc maximè ad arma clamatur, arma, arma, cape, suscipe, recipe, insta, verte, feri, respice, caue, fuge. Vah quot ibi clamores virorum, quot clangores tubarum, quot strepitus tormentorum, quanta cædis crudelitas? His igitur quid instabilius videre licet, aut sanè quid aliud quàm Vanitas vanitatum?

Prolixum igitur esset de vanitate singulorum statuum dicere. Quare exempla plura breuitatis causa, & in re clara ponere supersedeo, postea enim multiplicia occurrent.

Age igitur nobilior propago iuuentutis, time Deum, & mandata eius obserua, fuge vanitatem, & amplectere firmam & stabilem virtutem, quam solam ex verbo Dei addiscere poteris. Sumus omnes ex cœlesti semine oriundi, eò igitur vnde nobis est origo anhelemus, & contra breuitatem huius æui, quàm maximè memoriam nostram, ad posteritatem conabimur extendere pietate & sanctis virtutibus. Fugiamus otium, fugiamus voluptatem escam malorum, non tædeat nos laborare, vt doctrinam & gloriam consequamur, quarum altera, viuentibus nobis, eripi potest, altera ne mortuis quidem, semper enim nominis nostri memoria, in posterorum pectoribus fixa, reuirescet.

Hoc dixit Ecclesiastes, id est, non Philosophus, non propheta, sed concionator, qui caussis & rationibus singu-

lorum

lorum diligenter inſpectis, veram de omnibus ſententiam tulit. At dices, quorſum hæc Vanitas vanitatum? *Cùm ſcriptum ſit in libro Geneſ: vidit Deus quæ fecit, & ecce cuncta erant valde bona? Si cuncta pronunciat Iehoua valde bona: Quomodo ergo vanitas, & non ſolum vanitas, ſed etiam vanitas vaniſsima? Reſp: Omnia per ſe conſiderata, vt cœlum, terra, maria, & omnia quæ in hoc circulo continentur, per ſe & ſimpliciter quàm bona ſunt, ſed Deo comparata, quaſi nihil ſunt. Sicut lucerna in ſe lucet, ſed comparatione ſolis, non apparet lumen eius. Eſai. 40. omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane res putatæ ſunt ei &c.*

VERS. III.

Quid vtilitatis (eſt) homini in omni labore ſuo, quo laborat ſub Sole?

Con-

Confirmatio propositionis à generali testimonio omnium hominum κατ' ἐρώτημα. Quæstio enim est, cuius subiectio versibus sequentibus redditur. Omnes quidem homines, sub eodem sole versantur, omnesq́ labores & motus humani quodammodo regulantur & mensurantur à sole, non vt Duce, sed luce. Eorum verò qui laborant, alij quidem vires intendunt suas, ob ea quæ solem supereminent, alij verò ob ea laborant, quæ sunt sub sole, vt ventosam scilicet gloriam, pecunias, dignitatemq́ acquirant, sed quid interim est, quod homo suo labore efficit? nihil subijciet postea. Etenim labores quantumcunq́ potes, per communem tamen mortem, cuius inclementia omnia ereptura est, vanus ac vacuus, omnibus spoliatus rebus siue dignitatibus siue præsidijs, in Acherontis

rontis domum vita functus concedes, niſi ea fide geſſeris in vita, quibus in gratiam Dei receptus per Chriſtum, ſempiterno æuo fruaris, quod non niſi à Chriſto redemptis contingere poteſt; cùm reliqui amiſſa ſcientia, pecunia, tempore, honore ſecum μετάνοιαν reportent ſempiternam.

Hæc etiam quamq̃ clariſſima ſunt, nihilominus paucis exemplis illuſtranda cenſeo, vt liquidum fiat quàm vani ſint labores noſtri, niſi fauor numinis cœleſtis aſpiret. Ruſtici certè noſtri & Agricolæ, modò putant, modò arant, modò ſeminant, modò occant, nunc metunt, nunc vindemiant, nunc paſcunt, nunc pecudes tondent, & à labore ſemper tranſeunt ad laborem. Sed quid vtilitatis in labore ſuo capiunt? Sanè poſt laborẽ hic amittit panẽ, ille piſcẽ, hic oues, ille boues, hic lanas, alius à grandine nonnunq̃ etiã ſiccitate vaſtatos agros deplorat, & in quid non

vanitatum incurrunt? His adde mechanicos, materiarios, tornarios, coriarios, calcearios, molitores, pistores, cribrarios, fabros diuersos, fulones, textores, lintearios, retiarios, figulos, carbonarios, gerulos & omnes alios χειρονάκτους id est, manuales operarios, item magistros tributorum, architectos & infinitos alios, qui à manè vsq; ad vesperum, sunt in laboribus, in periculis, in igne, in fumo, in puluere, in aqua, in cortinis, in fætore, in carnificina, in cursu, in sole, in tenebris, in campis, in nugis &c.

Quibus etiam adscribo literarum studia, ad quæ homines gloria & vtilitate sæpius, quàm Dei amore & aliorum ædificatione incenduntur. Atq; vt agnoscamus bonum & pulchrum esse hac gloriola nostra dum viuimus delectari: Pulchrum sanè fatemur nisi gloria

gloria hæc vana esset, & homines nauci tumefaceret; ὦ δόξα δόξα exclamat Andromacha Euripidis, ô gloria infinitis iam mortalibus nullius precij, vitam tumefecisti magnam. Et Horatius: gloriam, vitium esse cognouit, cùm dixerit: Laudis amore tumes: Sunt certa piacula, quæ te, ter purè lecto poterunt recerare libello. Quid dicam? siue eruditionem, siue opes, siue potentiam, præter singularem animi solicitudinem & mœrorem, etiam trahere secum, inuidiam, odium, occultas inimicitias, insidias, & quid non? Rectè ergo pronunciauit Salomon, omnia studia & occupationes, homini, naturâ, labe peccati deformato, ac penitus corrupto, nil nisi fumum merum, purum & inanem esse, nec ei satisfacere posse. Quamobrem qui aliquem ex creaturis fructum demetere cupit, is dominum sibi adiun-

gat oportet. Deus enim vnus ac solus est, eiusq́ verbum Iesus Christus, in quo omnia quæ optabilia sunt, abunde suppetunt, neq́ vnq̃ inde vacui discedimus. Hoc enim verbum, si absit & amittitur nostro vitio, & pro eo adsit contemptus Dei, stultitia, iniustitia, fastus, audacia & temeritas, non solum vanißimi sumus in hac vita, sed & quod grauius est, feremus in altera illa æterna.

VERS. IIII.

Generatio præterit, generatio aduenit, terra autem in seculum permanet.

QVod generaliter & vna propositione dixit vers. 2. nunc diducit in partes, & distributiuè explicare orditur. Est autem hic versus prima pars distributionis, subiectio scilicet ad prio-

rem quæstionem ac versum, & amplificatio vanitatis humanæ, per comparationem aliarum rerum quæ in natura sunt. Nam eorum quæ creata sunt, alia quidem durant absq; successione, cum præsenti seculo simul existentia, veluti Cœlum, Terra, astra & Sol; alia verò corrumpuntur ac pereunt, sed generis successione seruantur, vt sunt homines, iumenta, aues, pisces ac plantæ, sed homo respectu priorum res vanissima est, nam neq; immotus permanet, vt terra aut astra, sed momento deficit, neq; postq̃ semel abijt, ad vitam hanc amplius reuertitur, sed euanescit omnis generatio, suq præteritione, non solùm hominum, sed & animalium & plantarum, herbarum & totius ornatus foliorum, florum & fructuum, rectè ergo dicitur homo vanitas & vapor, Iacob: 4: Quæ est vita vestra?

Vapor est ad modicum apparens, & deinceps exterminabitur. Iob. 14. Homo natus de muliere, breui viuens tempore, qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra &c: Sed quid dicit? terra in seculum permanet: *Cum Ecclesiastici 16. scriptum sit: Ecce cœlum & cœli cœlorum, Abyssus & vniuersa terra, & quæ in eis, in conspectu eius commouebuntur. Et Matth. 24. Cœlum & terra transibunt. Resp. Verè iuxta Domini sententiam Cœlum & terra transibunt, non per ablationem substantiæ, sed per renouationem & figuram, quia igne iudicij purgata renouabuntur, sed penitus non destruentur. Tantum quippe ardebit cœlum sursum, & terra deorsum, quantum malitia hominum, siue & Dæmonum coinquinari potuit, hoc tradunt vetustiores & pij doctores. Immutabilitas*

igitur

igitur hæc terræ intelligitur, quò ad partes eius inferiores, prope centrum, partes autem superiores alterantur & transmutantur, cuius causa est motus solis obliquus in suo circulo. Vel intellige terram in seculum permansuram, scilicet κατά τι, *id est, hominis vani comparatione, non simpliciter.*

Euertit igitur in hoc versu, rationes, consilia, commenta & operosas contemplationes ac scientias, quas homines sibi arrogant, & in rerum natura & alijs scientijs considerandis collocare solent. Ex his enim emolumenti nihil ad hominem accedere, ostendit duabus de causis: Vna à natura hominis, cùm ipse homo vanitati subiectus sit, & celerrimè decedat, ac quamuis non decederet, longè tamen tenuior sit, quàm vt ea ipsa quibus operam dat, vel absolutè eloqui vel mente poßit comprehendere.

Altera à natura rerum, in quibus occupatur homo, quæ sunt incomprehensibiles. Herillus igitur & alij contendentes scientiam, humana industria, acquisitam, summum hominis esse bonum, hîc refelluntur. Quare & primùm sic argumentatur à repugnantibus.

Illa scientia quæ est valde incerta, tenuis & imperfecta, non potest dici summum bonum & felicitas hominis. Etenim felicitati repugnat, modicum, incertum & imperfectum esse.

Sed scientia acquisita est talis, nimirum incerta & imperfecta.

Ergo in ea non est summum bonum, aut solida hominis felicitas.

Maius pronunciatum satis est perspicuum. Sed assumptionem comprobat inductione, in hoc toto ferè capite, & ostendit vnde sit illa imperfectio scientiæ acquisitæ, vt declaret eos vanissimos

nißimos esse, qui turgent sua scientia, ac se quasi ex ea beatos iactant, aliosq́; non ita scientes contemnunt.

Sed vt intelligantur sequentia argumenta & confirmationes Salomonis, obseruetur vnde σοφία dicta est, & quot modis σοφὸς apud priscos sumebatur, & quo tempore, siue à quo Philosophi cœpti sunt nominari.

Est igitur σοφία scientia ac intellectus rerum naturâ preciocißimarum, vnde & Anaxagoram & Talem σοφοὺς, dixit fuiße antiquitas. Simpliciter tamen σοφία est σάφεια quædam, vel σαφήνια id est claritas cuncta manifestans, vel dicta est ἀπὸ τοῦ σέβειν id est colendo, quasi veneratione digna. Sapiens autem quinq́; modis apud priscos dicebatur, quos vt intelligatis, scire oportet aliquando homines peste dificere, aliquando alijs morbis, nonnunq̃ cæde aliorũ

hominum, maximè verò diluuio; quale fuisse Deucalionis temporibus, etiam Astrologi confitentur. Quo quidem diluuio, cùm campi submersi essent, sola montium capita imbribus superfuerunt, ad quæ multi postquam confugissent seruati sunt, & deficientibus cibarijs, cœperunt accommodare frumenta ad serendum, molas ad molendum, & alia vitæ necessaria. Hæc, sapientia dicta sunt, quòd ex necessitate sumpta. Altera est sapientia in artibus, vnde Archilochus Poeta, κυβερνήτην σοφὸν appellat: Et Homerus τεχνήτην σοφὸν, id est, artificem qui vel fabrilem, vel materiariam vel aliam callet artem. Rursus cœperunt homines respicere ad res politicas, id est ciuiles, & leges condiderunt, harum consideratio Sapientia dicta est, & etiamnum tales sapientes nominamus, qui legibus suis nocturnos grassatores

tores

tores, diurnos oppreßores, latrones, Sicarios, pyratas, tyrannos, & omnem illam prauorum perditorumq́ sentinam, extra hominum cœtum exulare cogunt. Sine legibus autem, nulli sua domus, sua vxor, suæ opes, sui agri, sua deniq́ cutis foret salua &c: Post hæc processerunt ad ipsa corpora hominum, animalium, qualitates & potestates elementorum, virtutes herbarum, fructuum, radicum, humorum, quorum naturam conati sunt inuestigare, naturalem exercentes speculationem. Postremò ad alia se conuerterunt, quæ vocamus diuina & sempiterna, quòd semper eadem sint & eodem modo se habeant, & hanc quoq́ sapientiam nominauerunt. Hæ quinq́ species ante Pythagoram sub nomine σοφίας comprehendebantur. Verùm, post Pythagoram restrictum est nomen, ad cognitionem tantùm eorum, quæ sub

quinto modo continentur, qualia ſunt,
Mathematica & Metaphyſica, quem
tamen inductione paucorum exemplo-
rum, vt ſæpè hallucinantem & imper-
fectum pronunciat Eccleſiaſtes, quò,
his auditis, qui ſolerti ingenio pollent,
abiectis vel ſaltem temperatis talibus
ſtudijs ſapere incipiant, & ad illum am-
plectendum, qui omnium eſt ſapientißi-
mus, Deum ſcilicet ipſum, Sapientiæ
fontem aßuefiant.

Cæterùm primus omnium Pyt[illegible]go-
ras, ſe Philoſophum appellitauit, ſa-
pientis nomen tamq̃ Deo conueniens, &
ab alijs præterea occupatum recuſans.
Nam cùm ad olympicum certamen
deſcendißet, rogatus à Leonte Philia-
ſiorum tyranno: quonam cognomine cen-
ſeretur, & an eſſet σοφὸς, reſpondit,
οὐκ ἐγὼ εἰμὶ σοφὸς ἀλλὰ φιλόσοφος, quod
nomen antea inauditum, & Philoſophiæ
&

& Philosophantibus nomen dedit immortale. Atq; hæc de origine sapientum & Philosophorum. Ex quibus omnibus perspicuum est, quàm lubrica res sit Philosophia, ac quantum ex ea humano generi sit impositum, quæ non loquitur de æterna iustitia, de æterna vita, nec de remißione peccatorum, aut resurrectione mortuorum, sed in inani vel virtutum speculatione, vel astrorum, montium, fluminum, camporum, vrbium, arborum, herbarum, florum, frumentorum, leguminum, pomorum, piscium, auium, brutorum, insectorum, concharum, marmorum, gemmarum, lapidum, descriptione sola consumitur, in quibus diuersas formas, species, coloresq; innumerabiles excogitauerit ac effinxerit, vnde & tot libri φαινομένων, demonstrationum, & naturalis historiæ inscripti, qui potius naturalis vanitas caliginis & incertitudinum, à multis censentur. Etsi

Etſi autem non ignoramus, numerationem, ſcriptionem, Architectonicam, Medicam artem à Deo probari. Nam de illis manifeſta extant teſtimonia & de Architecto dicitur Exod. 31: Deus impleuit eum hac Sapientia. Et anni rationem eruditam Deus & inſtituit & oſtendit, & numerare Deus iubet. De arte quoq; Medica dicitur 38: Deus dedit hominibus ſcientiam, vt glorificetur in mirabilibus ſuis, hoc eſt, vt ſingularis efficatia in ſingulis remedijs, ſit teſtimonium de prouidentia Dei. Inter artifices tamen harum artium, tot ſunt certamina, tot opiniones, tot ſectæ, vt ſingula ſecula, ſingulas ſectas produxerint, certamina auxerint, liteſq; litibus reſoluerint, quorum incertitudines enumerare velle, eſt abyſſum pugno menſurare aut impoſſibilia captare, ſed iam pergam.

Verſ. 5.

VERS. V.

Et oritur Sol & Occidit Sol, & ad locum suum regreditur vbi oritur.

AGgreditur inductionem, in qua, hæc est prima ἀπόδειξις *minoris, à Philosophorum vana & curiosa inuestigatione in contemplando Sole, quorum alij dicunt eum non multò maiorem esse quàm videatur, vt Epicurus & Lucretius. Quidam verò octies terra esse maiorem, quod Macrobius probat. Alij amplius duodeuiginti partibus, vt notat Cicero. Ptolemæus autem centies Sexagies Sexies, verißimis (vt isti dicunt) argumentis & mensuris demonstrauit. Sunt quoq; qui de figura eius contendunt. Hinc alij ei figuram nauis affingunt, alij contra* σφαιροειδῆ *affirmant. De situ eius ac ordine planetarum, non minores sunt contentiones.*

Nam

Nam Plato à luna sursum, secundam spheram solis locat, & Aegiptios sequutus videtur, qui inter lunam & Mercurium Solem ponunt. Archimedes cum Chaldæis quartum de septem in medio locatum dicunt. Omitto circulos imaginarios, epicyclos, anaphoras, epicataphoras, domos, aspectus, trimoria, dyodecatomoria, horoscopos, quos incomprehensibiles ostendit Petrus Nigidius argumento, rotæ figularis circumductæ, & modò, pari, modò, impari spacio temporis percussæ, vt taceam omnes dies, omnes annos, maiores, mediocres, minores & Scansiles, quos Græci Climacteras appellant, omniaq́ alia inuenta, quibus Astrologi prædicunt, aliquem diu victurum, aut citò moriturum: Sed non mirum est, tantam hominum mentes inconstantiã occupare (vt quidã dixit) & Philosophos ac Astrologos inter se dissidẽtes

non conuenire, cùm cœlũ ipsum quod metiuntur, omnium sit inconstantissimum.

Ac certè ne prætercam quod maximi est momenti, hîc triumphum canunt Physici & Mathematici, volentes Salomonẽ habere authorẽ, de eo, quòd Sol motu suo recto, diurno & nocturno; quo penè ad eundem locum reuerti nititur, vnde præcedenti die fuerat ortus, laborum humanorum, consiliorum & euentuum, dux & rector sit: motum verò obliquum, quo dicitur gyrare per meridiem & flecti ad Aquilonem, dicunt esse ducem & authorem generationis & corruptionis, qui motus annuus est, quia ex eo annus mensuratur. Cæterùm si Salomon, huiusmodi sentiit, rursus quæro? cur tacuit de reliquis stellis, siue errantibus siue fixis, qui secundum eos nec minora nec minus mirabilia operantur? Nam si solus Sol ista efficeret: cùm

cursus

cursus eius singulis annis, omnino sit secundum eundem motum, necessariò vicissitudines temporum indifferentes essent, & aestates & hyemes semper essent aequales & vniusmodi, & generatio atq; corruptio, in rebus huius mundi inferioris, fierent semper secundum vnum modum, cuius contrarium manifestè videmus. Quid multa? coniecturarum eiusmodi & opinionum, nullus ferè est modus. Quàm bene igitur & horum deliramenta castigauit Salomon, & ostendit ex omnibus eorum θεωρίαις & librorum multitudine, nihil aliud percipi vtilitatis, quàm id quod cuiuis est obuium, videlicet solem nunc orientem, nunc occidentem, assiduè circumferri, vt doceat quòd Sol ipse, qui hominibus in lucem diei datus est, sua mobilitate, id est ortu suo & occasu quotidie huius seculi monstret interitum. Dum itaq;

respici-

respicimus mutationes temporum, ortus & occasus Syderum, cogitabimus de ortu & occasu huius vitæ, ac certum solis cursum dispositumq́, nos ad illius contemplationem inuitare, qui fabricatus est solem. Sed iam amplius addam de sole, cuius Encomia sunt apud eruditos satis multa, qui, vt rectè Cicero sentit, Dux est, princeps & moderator luminum reliquorum, mens mundi, cuncta sua luce complens & illustrans. Hinc à Physicis cor mundi, ab Ouidio mundi oculus appellatur, omnia videns & omnia audiens, πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει, vt inquit Homerus. Effecta solis sunt infinita, sol hyemis causa est, cùm ad capricorni Sydus accedit, veris cùm est in ariete, æstatis cùm est in cancro, autumni cùm est in libra. Ex his quatuor temporibus, fiunt arationes, sationes, messes, vindemiæ, nascuntur,

crescunt, maturant fructus. Sol præsentia sua diem facit, absentia noctem. Sine sole non erit in terris vita, vt ex plagis scire licet, ad quas nunquam Solis radij penetrant, quæ perpetuæ sterilitatis & rigoris damnatæ sunt. Hæc esse singularia Solis beneficia non negamus, in quo infinitæ bonitatis Dei & liberalitatis relucent vestigia. Verùm, qui contempto verbo Dei, sola ratione, in indaganda solis natura innititur, is equidem laboris satis, solidæ verò vtilitatis inde perparum, immo nihil habet. Præferendum est igitur verum, omnibus vanitatibus falsis, ac sciendum, hunc Solem, quamlibet magnum, ad Solem iusticiæ, vnigenitum Dei verbum comparatum, tantùm vanitatem esse, ad quod rationis ac status nostri memores, oportet semper niti ac tendere, quod qui fecerit, hic planè sapiens, hic iustus, hic

hic homo, hic cœlo Deoq́; dignus iudicabitur, quem summus parens non humilem, nec ad terram, more quadrupedum abiectum, sed stantem potius, ac rectum, sicut eum fecerit agnoscat.

VERS. VI.

Vadit ad meridiem, & circuit ad aquilonem, subinde circumeundo pergit ventus, & ad circuitus suos reuertitur ventus.

Secunda confirmatio assumptionis, à ventorum ratione sumpta, in quorum indagatione, etiam nihil aliud quàm erroris materiam inuenerunt Philosophi, quorum plus minus viginti, sicut Plinius refert, explicare conati sunt, quot venti sint, & quibus nominibus appellentur, quem situm habeant, & qui inter sese aduersentur, qui simul spirare

queant, qui non queant, qui calidi aut frigidi, humidi aut sicci, quæ etiam aliæ eorum affectiones sint & proprietates, de quibus Aristoteles in Sexta problematum sectione, 2. meteorῶν. Sed de ventorum numero, nunquam inter scriptores conuenit. Nam alij ex mundi punctis, duodecim esse volunt, alij octo, vt bini ex quolibet mundi præcipuo puncto existant, alij triginta & duos describunt, vndecim ex septentrionibus spirantes, totidem ex meridie, & quinos ab ortu & occasu. Olympiodorus autem nonnunquam decem, nonnunquam octo numerat, ita nihil certi de eorum numero constat. Quare post multas in ventorum rationibus inueniendis, exantlatos labores, quæso quid aliud sunt consequuti, quàm quod in medio ac peruulgatum est, aeris motum, non semper vbique eundem esse, sed alibi vehementiùs, alibi moderatiùs

agitari, id eſt, ventum, circumcirca flare, & quod Chriſtus Iohannis. 3. ait, Spiritum vbi vult ſpirare, vocem eius audiri, ſed vnde veniat, aut quò abeat, omnibus obſcurum. Breuiter, ventus vadit ad meridiem, *quando plus moratur in ſignis hyemalibus.* Et flectitur ad Aquilonem, *quando plus moratur in ſignis æſtiualibus, quæ viciniora ſunt boreali polo, & cùm orbiculariter moueantur, aër, luſtrat vniuerſa, quia ſordes vbiq; aſperſas, ſua mobilitate purgat & diſsipat, ac ſua ſubtilitate cuncta penetrat. Etenim in cancro oriens & occidens tangit aquilonem, in capricorno meridiem, in libra & ariete orientem & occidentem. Vides hanc ſimplicem eſſe ventorum rationem, aliam autem inueſtigationem & conſiderationem, quamuis accuratam abiecto verbo Dei ſuſceptam, non tam inutilem quàm va-*

nam & fabulosam. I. autem paralip. 9. perspicuè numerantur quatuor venti: Ad quatuor ventos erant ianitores, ad orientem, occidentem, aquilonem & meridiem. Item, Psal. 134. Dominus producit ventos de thesauris suis. Et Psal. 148. Spiritus procellarum faciunt verbum eius. Hæc testimonia fide percepta, docent ex quo loco spirent venti, & in quem finem directi sint, spirant enim ex arcano diuinæ Sapientiæ adyto, vt iussa Dei, vltionem impijs immittentis exequantur. Sic Deus subinde se vindicat in impietatem generis humani, dum ventos pestilentiales, qui per loca morbosa spirantes, cœlum nostrum vnde aerem ducimus, corrumpere patitur, vel etiam alia elementa, mixtaq; ex elementis infici permittit, quibus non minus brutorum, quàm hominum corpora corripiuntur & miserè diffluunt, quod &
Lucre-

Lucretius Epicureus iſte Philoſophus, quamq̃ aliò verſus, hoc modo teſtificatus eſt.

Hæc igitur ſubitò clades noua, peſtilitasq́;
Aut in aquas cadit, aut fruges perſidit in ipſas,
Aut alios hominum paſtus, pecudumq́; cibatus,
Aut etiam ſuſpenſa manet vis aëre in ipſo,
Et quum ſpirantes miſtas hinc ducimus auras
Illa quoq; in corpus pariter, ſorbere neceſſe eſt.

Interim autem omnino verum eſt, quòd humana mens, relicto Dei verbo, ſaltem ſpeculationibus ſuis indulgens, quos in errores, vanitates, incertitudines feratur ac abripiatur, & ſecum incerta, tamq̃ in pice & luto hæreat, nec

extricare sese vllo modo possit, sicut Simonides Hiëroni, hoc Dei verbo cassus respondet: Se quò diutius cogitet, eò minus posse inuenire, quid esse Deum dicat. Et memorabilis est dialogus Antonij & Marci, apud Ciceronem: Antonius queritur in Tusculanis, quem Marcus hortatur: Euolue diligenter, Platonis librum, qui est de anima, amplius quid desideres nihil erit: Antonius respondit, feci me herclè, & quidem sæpius, sed nescio, quomodo, dum lego non assentior: Composui librum, & mecum, ipse, de immortalitate animarum cœpi cogitare, & assensio illa omnis elabitur. Idem de Iulio Papa constat, qui cùm duos audiuisset disputantes, vnum de mortalitate animæ, alterum de eius immortalitate & resurrectione corporum, ad hunc dixerat, tu quidem probabilia dicis, sed illi

alteri

alteri magis aſſentior. Sic enim fieri ſolet vt dicitur: ἐκ τῆς τῶν ἀνεφικτῶν ζητήσεως, εἰς βυθὸν ἀσεβείας ἐμπίπτομεν. *Ex inquiſitione eorum quæ aſſequi non poßumus, in profundum impietatis incidimus. Agamus igitur Deo gratias, quòd ſeſe nobis patefecit, & non tantum in vniuerſali illa ſui agnitione, quæ omnium communis, & tamen lubrica & admodum tenuis eſt, ſed & in peculiari & certa ſui notitia exerceri, erudiri & confirmari voluit, iam ſequitur.*

VERS. VII.

Omnia flumina pergunt ad mare, & mare nequaquam completur, & ad locum quò tendunt flumina, inde reuertuntur (rurſus.) itura.

Tertia confirmatio minoris, & propoſitionis generalis, à mutabili-

 tate

tate, impoßibilitate & inutili, in quo mens humana verſatur, dum motum aquæ, quæ etiam circulariter mouetur, ad ſubtilium ſtudiorum oſtentationem diſſerere & profiteri cauſas velit, in cuius conſiderationem, non tam illuſtrium Græcorum, quàm noſtrorum ingenia, inani, vt arbitror, labore, iam multis retroactis ſeculis ſeſe exercuerunt. Etenim quis vel naturæ, vel cœli & terrarum opificis arcana, iure quodam curioſis mortalibus abſcondita, rimatus eſt? aut quis ingentes illas in ipſis terrarum viſceribus cauernas, vel maximè vaſti ingenij luminibus introſpexit? quæ, cuncta maria per tantum æui ſpacium, tot incurſu fluminum nuſq̃ creſcentia, perpetuò hauriunt & exſorbent? Quis deniq; ſubterraneorum anfractuum menſuras, certa ratione deprehendit: quibus repletis, vniuerſa

exube-

exuberantis aquæ moles, in apertum cœlum, per gibbosa montium euomatur, & ea quidem optima naturæ fide, quantum acceperit, irrequieta dispensatione rependentis. Imbecillitatis profectò naturæ nostræ non meminimus, cùm hæc, superba ingeniorum vanitate perscrutamur: Vnde iam hoc totum verum, scientiæ nomen tot vigiliis & sumptibus partum, profiteri dispudeat, postq̃ adeo pauca scire, & de singulis ambigere disputando cogimur. Hæc ita esse, Aristotelis casus, quem non soli Græci, sed Latini, sed Chaldæi, Syri, Hebræi, Arabes, & quod mirum est, Christiani Theologi, ac totus deniq; terrarum orbis, amat, testatur, colit & penè adorat. Huius inq̃ miserandus casus, testatum reliquit, nimirum post longum & tortuosum rerum arcanarum examen, quantum vtilitatis in humanum genus
redun-

redundet. Ferunt enim hanc causam mortis Aristotelis fuisse, illum scilicet naturam Euripi, septies in die fluxum mutantis admiratum, nec causam cur id fieret, inuenientem, ex mœrore in morbum, ex quo non conualuit incidisse. Quod absonum à vero non videtur, quoniam ingentes cogitationes, corporibus affectis, & magnis ingenijs sæpenumero mortem adferunt, vt de morte Homeri & aliorum memoriæ proditum est. Aristoteli igitur non tam hanc necessitatem, quàm alios inextricabiles errorum laberynthos, rerum inquisitio, sine fide & Dei verbo imposuit. Etenim de ortu maris disputans, 2. meteorῶν, sectione 15, primùm quidem expendit, vtrum mare idem numero semper fuerit, semperq́ futurum sit, anne specie quidem semper idem fuerit, neq́ semper futurum sit, sed aliquando desiturum.

Cuius

Cuius quæstionis duo capita, vt patet, cùm sint, ad vtrumq; respondet: ac pri-mùm quidem docet, mare genitum siue creatum non esse, quandoquidem nec mundus, cuius pars, non infima, mare est, creatus sit, sed sempiternus, de altera parte problematis, nihil dicam hoc loco.

En pie auditor, maximam impietatem Aristotelis, non dico inscitiam, de creatione rerum ac mundi, quam non tam Moses refellit, quàm ipsi mundi sapientes, qui mare genitum, siquidem & vniuersum genitum, affirmant. Fuit itaq; Aristoteles, mundi æternitatis author, cùm cæteri omnes, genitum credidissent, quamq̃ aliter & aliter ac alijs semel genitum, semelq; interiturum affirmantibus, alijs verò per interualla quædam, vicibus iteratis. Hæc de maris ortu & sempiternitate disputauit

Aristo-

Aristoteles, de salsedine eius quomodo disputat? minimè hîc moror opinionum & argumentorum chaos, quorum hæc summa est, aspirationem calidam & siccam, vnà cum pluuia in mare descendere, ac quia pluuia austrina, & quæ primum autumno decidit, salsiuscula sentiatur, tum quia mare calidum, hinc mare attrahere saporem salsum. Ita Aristoteles de salsedinis maris causa decernit probabili illa quidem, sed quæ tamen dubia, & cum difficultatibus multis coniuncta sit, quarum vna hæc est: Si exhalatione fumida, vnà cum pluuia descendente in mare, mare salsum redditur, cur & non flumina, lacus & stagna, quæ omnia, imbres, vt mare excipiunt? Cur item pluuia non ita vt mare salsa deprehenditur? aut quæso si mare est sempiternum, quando primùm est factum salsum, ex pluuia ne an

sudore

ſudore terræ? vel ardore ſolis? Omitto Timeum Platonis, Strabonem, Empedoclem, Democritum, Metrodorum, Anaximandrum, quorum nullum reperias, qui non ſuæ habeat ſententiæ rationes. Quibus relictis, Salomonis præiudicium hic valeat, qui dicit aquas per occultas terræ venas, ad capita fontium regredi, & de matrice abyſsi, in ſua ſemper ebulliri principia & in venis terræ deponere amaritudinem. Quæ circularis mutatio, non à cœleſtibus corporibus, ſed à natura maris magni exiſtit, licet fluxus & refluxus χρονικῶς attribuatur lunationi? ſicut canit Lucanus. Simpliciter igitur, huiuſmodi progreſsiones ſingularum rerum in circulis ſuis, admoneant nos, de mundi interitu & vanitate ac fragilitate humana. Ac imprimis ex curſu & decurſu aquarum, per occultas terrarum venas, diſcamus

humanam vitam elabi, dum ignoratur: Sic David Psal. 72: Ego ad nihilum redactus sum & nesciui. Inprimis autem admiremur Sapientiam OPT: MAX. Dei, qui imperscrutabili sapientia effecit, vt pulcherrimo & admirando fœdere, aqua cum terra sociata sit, & cum ea vnum globum constituat, nec tamen supra terræ conuexam superficiem, emineat, ne nisi iusta Dei indignatione terram suffocet, sed maneat intra suos terminos, & non excrescat super littora sua. Hanc Dei sapientiam admiratur Iob. 38. Ego circumdedi mare terminis suis, & posui vectem & ostia, & dixi: huc vsq; venies, & non procedes amplius, & hîc confringes tumentes fluctus tuos. Hic locus Ecclesiastæ obseruandus est, quia non extat similis, qui de origine fontium & fluminum, tam perspicuè aliquid certi affirmet,

met, videlicet, omnia flumina, per varios alueos & meatus ex mari fluere, & ad fontes suos refluere: nec tamen mare redundare, etiamsi omnia flumina continuo cursu, in illud se exonerent, id quod certè miraculo dignißimum est. Quot enim mille annis in Germania: Albis, Danubius, Rhenus, aliaq́ infinita flumina, ac innumerabiles fontes in mare fluxerunt, nec tamen mare excreuit, nec mundus suffocatus est? De hac re Physici nihil certi nôrunt, & disputant de materia fontium & fluminum, quam dicunt esse vaporem resolutum in aquam, & liquefactum à frigore & calore simul intra terram, ac alij alias adferunt cogitationes. Sed Salomon rotundo ore ostendit, vnde omnes sint fontes & flumina, & mare constituit matrem & originem omnium fluminum & fontium, & receptaculum

omnium aquarum. Quare hîc vanitatem & ignorantiam nostram liberè fateri debemus, & vt Basilius monet, soli Deo credere. Non enim repudiamus quod non intelligimus, sed eò magis admiramur & magnifacimus mysterium, quò minus assequimur. Sanctarum enim scripturarum authoritatibus colla subdenda sunt, vt ad intellectum quisq; per fidem veniat, sicut inquit Hieronymus.

VERS. VIII.

Cunctæ res laboriosæ (difficiles) nec poterit eloqui: non satiabitur oculus videndo, nec explebitur auris audiendo.

HActenus scientiam illam quæ insumitur in consideratione elementorum, curiosam, vt ab imperfectione

fectione & incertitudine, inductione quadam à summo bono reiecit, nunc additur conclusio sententiosa probationum, ex obiectis infinitis, ac incomprehensibilibus, circa quæ versatur humana inuestigatio, petita hoc modo: Rationes ergo quæ de certa rerum cognitione afferendæ sunt, planè sunt impossibiles, eò quòd homines minimè queant, quantumuis magna pollentes ingenij vi, rerum omnium absolutam consequi cognitionem. Huius rei hæc causa est, quia cunctæ res, *id est, rerum causæ & naturæ,* difficiles *scilicet, ad intelligendum & explicandum, quia nec numerari multitudine, nec comprehendi quantitate, nec inuestigari possunt profunditate. Et quia verissimè dixit ille: quod meliùs nouimus, meliùs eloquimur, & per oppositum, quod minùs bene intelligimus,*

minus bene proferimus, ideo sequitur hoc corollarium, non potest homo explicare sermone, scilicet perfectè ac pro dignitate, eò quód sensus humanus adeò inuolutus sit tenebris, vt vix pauca etiam secundum superficiem attingere poßit. Nam etsi in singula ac cuncta secundum exteriorem speciem, oculos defigere posset, quod equidem longè est impoßibile: in vim tamen latentem & naturam rerum inuisibilem penetrare, rerumq́ τὸ διότι inuestigare non valet. Etenim rerum quæ sunt, quædam ad sensum hominis veniunt, secundum speciem exteriorem tantùm, aliæ autem penitus absconduntur, vel quia loco remotæ sunt, vel quia præsentes, subtilitate sua, sensum humanum excedunt. Ipsa autem rerum vniuersitas, homini omnino incomprehensibilis est, & secundum exteriorem speciem,

& secundum interiorem qualitatem. Ac ne de singulis dicamus, quis vnquam quantumuis doctißimus, perfectè ac plenè disseruit, causasq́ præcisè monstrauit, cur folia aut arborum fructus, tantæ sint quantitatis, talis figuræ, saporis aut virtutis. Cæterùm vt demus ἐκ τοῦ ὅτι, experientia ac inductione, medicam scientiam constare: nihilominus cùm ignorentur differentiæ rerum specificæ, in pluribus essentiales quoq́ definitiones non posse dari consequens est. Hinc multiplices in herbis, fructibus, floribus, radicibus, succis, lapsus: dißidentium confusiones, & homogeneorum distractiones, quæ & similia, sæpius harum rerum studiosos deceperunt, quàm vuæ Zeuxis pictæ aues, & linteum Parrhasij Zeuxim. Sed addit: Non satiabitur oculus videndo, nec explebitur auris audiendo. *Secunda ra-*

da ratiocinatio à proprio summi boni.

Proprium summi boni & felicitatis humanæ est, appetitum hominis paccare, ne vlterius appetat, aliâs non consequitur vltimum finem.

Sed scientia quæcunque acquisita, non tranquillat appetitum hominis in studio scientiæ, sed magis excitat ad sciendum.

Ergo in scientia acquisita non est summum bonum. Assumptio est Ecclesiastæ, Non satiabitur oculus &c: *A sensoriis instrumentis visu & auditu, sine quibus scientiæ nullo modo sumus capaces, deinde & eandem confirmat authoritas philosophorum, qui dixerunt, hominem nunquam satis, seu plus quàm satis scire posse. Et certè ita esse confirmat Cicero, qui exclamauit, si duplicaretur sibi ætas, non satis*

ſatis tamen eſſet ad euoluendos lyricos. Et Plautus, non ætas ad perdiſcendum ſatis. Sic quoq́ Hippocrates, ὁ βίος βραχὺς ἡ δὲ τέχνη μακρή. Baſilius quoq́ magnus, illud Prophetæ exponens: Guſtate & videte quoniam &c: *Bene propheta inquit: guſtate & non implemini, quia nunc ex parte cognoſcimus, per ſpeculum aſpicimus, & per ænigmata veritatem ſcimus. Veniet autem tempus in quo hic arrhabo & hic gratiæ guſtus, in perfectam vobis fruitionem conuertetur &c: Quare quemadmodum hydropicus, quantò plus potat, tantò ardentiùs ſitit: Sic* Oculus hominis & auris, *hoc eſt, mens hominis & cogitatio, quò profundiùs in creaturarum contemplatione occupatæ ſunt, eò minus inueniunt, neq́ oculo, neq́ auri ſatisfacit eiuſmodi inquirendi ſolicitudo.*

Quid de illis dicam, qui non contenti Grammatica, Rhetorica, Philoſophia, Medicina, Iureciuili, Theologia? Sed etiam per chiromantiam, pyromantiam, hydromantiam, necromantiam, & alias nugas in ea inquirunt, quæ non fas eſt mortalibus attingere. Prætereo inſatiabilem ſciendi cupiditatem in Xenocrate, Crantore, Theophraſto, Zenone, Pythagora, Platone, Ariſtotele, qui propter nimiam cupiditatem ſciendi, & materiam laudum ſuarum amplificandam, totum terrarum orbem peragrârunt, ſtudioq́; hauriendæ ſapientiæ nunq̃ defatigati. Ac nota eſt induſtria Solonis, qui dixit ſe quotidie aliquid addiſcentem ſeneſcere, quod ſupremo vitæ die confirmauit, cùm aſsidentibus amicis & quadam de re ſermonem inter ſe conferentibus, fatis iam preſſum caput, erexit, interrogatuſq́; quapropter

id

id fecisset, respondit, vt cùm istud quicquid est, de quo disputatis percepero, moriar. Ex quo & infinitis similibus iam clarum est, quod Salomon proposuit, nimirum: ne quidem in diutissimè actæ vitæ fine, studium contemplationis augendiq; scientiam, in magnis & præclaris ingenijs, non nisi ad summa contendentibus, languescere, sed quò magis proficiunt, eò intentius ad studiorum cupiditatem incendi, ex quo nil nisi vanitatem, incertitudinem & laborem consequuntur, ac proinde summum bonum, non esse in scientia humanitùs acquisita. Hactenus autem disputauit Salomon de elementis & sole, in quorum latentes ἐνεργείας, *potestates & causas, cùm acies humani ingenij nullo modo penetrare poßit, acquiescamus in verbo Dei, ac sciamus hanc esse veram Physicam ac Ethicam, quam*

nobis proposuit Deus in verbo suo, quod vt infallibile sanè est: ita verissimè docet, de elementorum ac mixtorum origine & fine, nimirum, hominis causa mundum constructum esse, omniaq; quibus constat, quæq; ex se generat mundus, ad vtilitatem hominis accommodata esse. Vtitur igitur homo igni ad vsum calefaciendi & luminis, & coquendorum ciborum, ferriq; fabricandi: vtitur fontibus ad potum & ad lauacra, fluminibus ad agros irrigandos, terminandasq; regiones: Vtitur terra ad percipiendum frugum varietatem, collibus ad conserenda vineta, montibus ad vsum arborum atq; lignorum, planis ad segetem: vtitur mari non solùm ad commercia, & copias ex longinquis regionibus ferendas, verumetiam ad vbertatem omnis generis

neris

neris piscium. Quòd si his elementis vtitur, quibus est proximus, non est dubium, quin & cœlo, quoniam & cœlestium rerum officia, ad fertilitatem terræ, ex qua viuimus temperata sunt. Sol irrequietis cursibus & spacijs inæqualibus, orbes annuos conficit, & aut oriens diem promit ad laborem, aut occidens noctem superinducit ad requiem, & tum abscessu longiùs ad meridiem, tum accessu propius ad Septentrionem, hyemis & æstatis vicissitudines facit, vt & hybernis humoribus ac pruinis, in vbertatem terra pinguescat, & æstiuis caloribus vel herbidæ fruges maturitate durentur, vel quæ sunt in humidis incocta & feruefacta, mitescant. Luna quoq; nocturni temporis gubernatrix, & amissi ac recepti luminis, vicibus, menstrua spacia moderatur,

&

& cæcas tenebris horrentibus noctes fulgore suæ claritatis illustrat, vt æstiua itinera & expeditiones, & opera sine labore ac molestia confici poßint. Astra etiam cætera, vel ortu, vel occasu suo, certis stationibus oportunitates temporum planè subministrant, sed & nauigijs, quò minus errabundo cursu per immensum vagentur, regimen præbent, cùm ea ritè gubernator obseruans, ad portum destinati littoris prouehatur. Ventorum spiritu attrahuntur nubes, vt sata imbribus irrigentur, vt vites fœtibus, arbusta pomis exuberent. Et hæc per orbem vicibus exhibentur, ne desit aliquando, quò vita hominum sustineatur. Quid dicam de brutis animantibus, quæ & ipsa eodem modo ad vsum hominis à Deo facta, partim ad cibos, partim ad vestitum, partim ad operis auxilia seruiunt, vt clarum sit, diuinam prouide

prouidentiam, rerum & copiarum abundantiâ hominum vitam instruere atque ornare voluisse: ob eamque causam, & aërem volucribus, & mare piscibus, & terram quadrupedibus impleuisse. Huiusmodi creaturarum & elementorum consideratio, sumpta ex fine & vsu, ideo est necessaria, vt maiore cum sedulitate & diligentia, qui ad beatitudinem sempiternam aspirant (omnes autem aspirare debemus) in hoc à primis statim annis assuefiant, vt æterno patri Domini nostri Iesu Christi gratias agant. Orent itaque cum Propheta, ô cœlestis & æterne Deus, minor ego sum omnibus bonis mihi præstitis, & quum tuam nobilitatem attendo, deficit præ magnitudine illius spiritus meus. Etenim omnia quæ habemus, animâ & corpore, tum etiam quæcunque, vel exterius vel interius, naturaliter vel supernatura-

naturaliter poßidemus tua beneficia, te beneficum, pium ac bonum commendant, à quo bona cuncta accepimus, tibi ergo gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

VERS. IX.

Quid eſt quod fuit? ipſum quod erit, & quid eſt quod factum eſt? id ipſum quod fiet, & non eſt quidpiam nouum ſub ſole.

COncluſo quòd ſcientia ſit imperfecta, eodemq́ ex infallibili rerum inductione euicto ac demonſtrato, nunc ſe confert ad probandum eius incertitudinem, à mutabilitate eius & varietate, ac proinde in ea non eſſe ſummum bonum. Argumentatur itaq́ á conſequentibus ſummum bonum, in hunc modum:

Quod statuitur summum hominis bonum, debet firmum esse, proprium & non facilè mobile, quale Christianorum bonum definit Paulus, dum inquit, salutem nostram & iustificationem, constare gratiâ & fide, non autem operibus, vt firma sit promissio.

At scientia ab hominibus inuenta, non est firma & propria, sed mutabilis, cùm dicta maximorum Philosophorum & Doctorum, quæ olim tanq̃ axiomata & ἀξιόπιστα omnibus recipiebantur, nunc tanq̃ deliramenta, ἄδοξα, & confusanea censeantur, quæ tamen subinde non alia, re, sed verbis tantùm, licet reprobentur & renouentur.

Ergo talis scientia, non est summum hominis bonum. Assumptionem reipsa exprimit versus Salomonis, ita discernens, Quid est quod fuit?

scilicet,

ſcilicet, tam in rebus quàm in homi-num opinionibus. In rebus: Etenim quanquam Geneſ. 2. requieuiſſe Deus dici-tur ab omni opere, quod fecerat, id eſt à creatione rerum nouarum, ſpecierum ac generum, & non à gubernatione, Iob. 5. Pater meus vſque modo operatur, & ego operor: ſingula tamen in ſuis ſpeciebus ſic inſtituta ſunt ab initio, vt vnumquodque ſecundum ſimilitudinem ſuæ propriæ originis propaginem exten-dat: nec terminum eius excedat. Quanquam igitur ſingula, quæ per ſucceßi-onem conſeruentur ac ſint ſub ſole, vt animalia ipſa ac plantæ, quæ generatio-ni ſubiacent & corruptioni, per immu-tabilitatem conſiſtere ac permanere non poßint, nihilominus per ſpecies ſtatum ſuum conſeruant. Quid igitur eſt quod fuit? ἐρώτημα. *ſequitur ſubiectio. Ipſum quod futurum eſt, ſcilicet in ſpecie, non in nu-*

in numero, factis & euentis, vt homo mortuus & recens natus, quorum eadem natura, non eadem substantia. Sic planta fuit & planta enascitur, creuerunt segetes & crescent, bella gesta sunt & deinceps gerentur, ædificatum est, & in posterum ædificabitur, fuerunt literæ & erunt, ac fortè hæ literæ, quibus nunc vtimur, peribunt, & aliæ resurgent, & fortaße sæpius extinctæ, sæpius reuixerunt, ac deniq; vt infinita persequi desinam, nihil sub sole nouum. Etenim non tantum præsentibus his seculis, sed olim etiam claruerunt summi viri, Imperatores, Reges, Principes, populi, nationes, Oratores, Poëtæ, Philosophi, Medici, Iureconsulti. Sed quid iam hi? cinis, terra & vanitas, ac vt hanc humanam mutationem facilem esse ostenderet Persius, nec admodum mirandum, siue nouum

 corpus,

corpus , siue noua forma sumatur, dixit:

Indulge genio , carpamus dulcia, nostrum est,
Quòd viuis: cinis & manes & fabula fies.

Quid iam est Homerus? quid Plato? Quid Demosthenes? quid Alexander Magnus? Quid Scipio Africanus? quid Hannibal Pœnus? Quid antiqui Troiani & Græci? quid antiquiores Aßyrij? Quid Latini, Romani, & tot Germanorum, Gallorum, Hispanorum, Danorum, & aliarum nationum millia, quæ præterierunt? vah Vanitas vanitatum. *Sunt iam florentißima, paßim Europæ regna ac nationes. At & olim fuerunt florentißima regna, clarißimi Reges ac imperatores, excellentißimi ac doctißimi homines, qui vt immortalitatem quandam in terris*

terris consequerentur, multa gesserunt, multa quoq; scripserunt, vnde & erectæ ipsis statuæ, pyramides, cippi &c: Sunt inter principes viros, non pauci in titulis & honoribus nimis ambitiosi, & in ponendis trophœis contentiosi, tales & olim Athenienses, Lacedemonij & Romani fuêre, sicut apud Plinium videre licet. Ita omnibus semper temporibus, vna & eadem libido ambitionis, cæca hominum pectora occupauit, multosq; inter se commisit, vt de iure gentilitatis acerrimè manus consererent. Constantinus Imperator olim Traianum Imperatorem, herbam parietariam, ob titulos multos, ædibus inscriptos, appellare solitus erat, vt scripsit Aurellius, at ille idem, si iam in humanis ageret, nonne eandem gloriæ cupiditatem sacrilegam, paßim apud omnes & singulos notaret?

non dico ſummos, ſed mediocres & infimos, quorum ſitis in capeſſenda laude, etiam ſceleribus innoteſcere, non dubitat, vt & olim Pauſanias fecit, qui cùm Hermoclem percunctatus eſſet, quonam modo ſubitò clarus poſſet euadere, atq; is reſpondiſſet: Si illuſtrem virum aliquem occidiſſet, futurum vt gloria eius ad ipſum redundaret, qui continuò Philippum interemit, & quidem quod petierat aſſequutus eſt, tam enim ſe parricidio, quàm Philippi virtute, notum poſteris reddidit. Huiuſmodi Pauſaniæ Stratagema, nec etiam noſtris temporibus inauditum. Nam & parricidijs, latrocinijs, furtis & occulto fallaciq; magis tramite, quàm aperta via, materiam laudis, infiniti petunt. Nihil igitur in rebus nouum ſub Sole, *quia vel in ſimilitudine ſui generis iam præceſsit, vel paulò poſt eueniet,*

niet. Ecce demonstrata est vicißitudo, mutabilitas & vanitas in fluxis & caducis mundi rebus, sed iam breuiter idem faciemus, in opinionibus eorum, qui scientiam inuenerunt, vt scientiæ incertitudo agnoscatur, intelligaturq́; in ea non esse summum bonum. Nam illud est κρινόμενον huius versus. Ventilatur autem & agitatur inter doctos quæstio, qui hominum primi Sapientiam inuenerunt, quod alij ad persas referunt, apud quos fuerunt sapientes, qui lingua eorum Magi dicti sunt: alij ad Indos, apud quos fuerunt gymnosophistæ, alij ad Celtas, apud quos fuerunt Druïdes, & qui Semnothei dicti sunt. Non desunt qui hanc laudem Ægiptijs tribuant. Lucretius autem hanc inuentionem, non hominibus, sed Deo immortali attribuit.

Deus ille fuit, Deus inclyte
Memmi &c:

 Qui

Qui tamen in vniuerso suo Poëmate, in hoc vnum incumbit, vt omnem sensum Deorum, hominum animis adimat, quò liberiùs in voluptatũ prata diuersari poßint etc: Hæc Philosophia (inquiunt) facit nos cognoscere naturas, scilicet omnium terrestrium, aquaticorum, aërio- rum, cœlestium, immortalitatem animæ, æternitatem Dei, efficit quoq́, nihil timere præter culpam, non famen, non sitim, non paupertatem, non dolores corporis, non mortem. Hanc Philosophiam deniq́ qui inuenerunt, plus hominibus profuisse asseuêrant, quàm Cererem, quæ fruges reperit, quàm Bacchum, qui vina, quàm Herculem, qui monstris, orbem terrarum liberauit. Huc elogion Ciceronis, qui in quinta Tusculana, Philosophiam suauissimè sic alloquitur: ô vitæ, Philosophia, Dux, ô virtutum indagatrix, expultrix vitiorum, quid non modò nos, sed omni-

no ho-

no hominum vita, sine te esse non potuis-
set? tu vrbes peperisti, tu dißipatos ho-
mines in societatem vitæ conuocasti, tu
eos inter se primò domiciliis iunxisti,
tu inuentrix legum, tu magistra morum
& disciplina fuisti, ad te confugimus, à
te opem petimus &c: Philosophiæ autem
sectas decem, maximè memorabiles fuis-
se, vel à locis, vel ab earum principibus
auctoribus, vel alia re nomen habentes,
memoriæ proditum est: Academicam à
Platone, Cyrenaicam ab Aristippo, E-
liensem à Phœdone, Megaricam ab Eu-
clide, Cynicam ab Antisthene, Erithrei-
cam à Menedemo, Dialecticam à Clito-
macho, Peripateticã ab Aristotele, Stoi-
cam à Zenone, Epicuream ab Epicuro.
Huius partes quidam faciunt logicam,
Ethicam, Physicam, sed peripathetici ali-
ter diuiserunt, vt scilicet, primæ partes
duæ essent, θεωρητικὴ καὶ πρακτικὴ, de

harum etiam partium subdiuisionibus, cùm prolixum foret dicere, iam ad propositum veniemus. Nullum vnquam fuisse hominem, qui vt homo non deceptus fuerit & errauerit, ex omnibus artibus & disciplinis apertè demonstrat Cornelius Agrippa, quòd omnes ferè constent rebus dubijs & opinionibus, nulla prorsus apparente demonstratione. Grammatici nihil demonstrant, solis nituntur authoritatibus, quæ tam variæ atq; discordes interdum sunt, vt necessè est, earum aliquas esse mendaces. Dialectici quidem demonstrare nituntur, sed infinitis impedientibus ambiguis & æquiuocis, id non possunt, altercando enim nimium inter se veritatem amittunt. In physicis disciplinis, quot varietates sententiarum, quot opiniones de rerum principijs, de Cœlo & Mundo, de Cometis, de Motu, de Ventis, de Anima, &

ma, & alijs, id genus plurimis? In Ethicis idem videmus, de virtutibus enim & moribus, non omnes idem ſentiunt. In legum interpretationibus, quot Dij boni, opiniones, certè quot homines, tot Sententiæ, hic abſoluit, ille condemnat, tertius ampliat. Medicina verò cur totiens innouata, totiesq́; mutata eſt? Cur Methodici vituperant Empyricos, & Empyrici Methodicos, niſi quia veritas latet? Hîc tranſeo poetas, mendaciorum parentes, hîc quidquid Græcia mendax audet in hiſtoria. Scripſit Democritus, vt Plinius notauit, aues quaſdam eſſe certis vocabulis, ex quarum confuſo ſanguine, gigni ſerpentem refert, quem ſi quis ediſſet, linguas, animum & colloquia interpretaturum, Sed quis huiuſmodi vera eſſe, aut quomodo aues habere colloquia credamus? Pythagoras Samius, quem pro diuino homine

venerata est antiquitas, dicebat quaternarium numerum, ad perfectionem animæ pertinere, & eum inter arcana venerabatur, et per eum iurare solitus erat: καὶ μὰ &c: per eum qui nostræ animæ numerum dedit ipse quaternum. Quod sanè absurdissimum videtur & mendacissimum: affirmare animam, rem diuinam perfici à re insensata & inanimata. Etsi autem in cœlestibus corporibus, ab omni seculorum æternitate, nihil in eis immutatum vnq̃ conspectum est, nihilominus quotidie audimus Astrologos, infinita conglobare mendacia. Nam sæpè cùm prædixerint serenitatem futuram, fiunt imbres, cùm imbres presagierint, serenitas illico apparet. Omitto Magorũ incertitudines & mendacia, quæ totum mundũ superstitionibus repleuerunt, prætereo quoq; Chaldeorum falsa promissa, Pompeio, Crasso & Cæsari, neminẽ sci-
licet

licet eorũ niſi in ſenectute ,niſi domi,niſi cum claritate moriturũ, cùm quiſq; tamẽ illorũ malè perierit, ac ne longiùs proue-bar, confirmat hoc Ariſtotelis ἀπόρημα præſens diſputatio I. τοπικῶν,cap. 9: Vbi concludit,quòd ſapiẽs ſit expers ſcientiæ, eò quòd qui diſcit expers eſt ſcientiæ. Sed ſapiens diſcit,ergo ſapiens eſt expers ſci-entiæ. Veriſsimã certè eſſe hanc connexi-onẽ quamq̃ hoc minimè daret Ariſtoteles, res ipſa oſtendit. Addo in ſcientia non poſſe cenſere hominis felicitatẽ , quòd ex omnibus rebus humanis,nihil tam deteſtã-dæ hominũ improbitati ſubiectum,nihilq; tam ſæpe immutatum,atq; artes & ſcien-tiam, compertum ſit. Quæſo ſi libet , ex tot Philoſophorũ ſectis, quas ſupra com-memoraui,quamuis infinitas alias præte-riens,quæ nunc viget ? aut quæ celebra-tur? certè vagas et ſparſas, nullaq; certæ artis ratione circumſcriptas , aut ratis

fixiſq;

fixisq; iustæ artis præceptis circumdatas, anniuersarij suborientes Philosophi & censores clamitant, ipsumq; Aristotelem, cuius tantam fuisse doctrinæ excellentiam constat, vt innumerabilium penè philosophorum, ante se, opera vel nomina obscurauerit, & ipsum quoq; Platonem, quem diuinum omnes studiosi appellant, & ita facundum, vt si ipse Iupiter de cœlo descenderet, nec elegantiore, nec beatiore facundia vteretur, prorsus cadere & obmutescere coëgerit. Hunc inquam & ferè totam antiquitatem, nunc contra illam, nunc contra hanc legem, ac nunc ἀδολεσχοῦντας, nunc ταυτὰ λέγοντας & coccismos, nunc nescio, quid inutile, incertum, ἑτερογένεον, ἄχρηστον repetentes, damnant. Adeoq; nihil fixum ratumq; esse potest, vt non hæc, siue improbitas, siue impudentia, siue etiam scribendi quædam libido, & labe-

labefactare & ad extremum conuellere, euertereq́ velit. Nullum itaq́ exitum, nullamq́ certitudinem inuenient scientiæ, cùm scribentes aucupandæ famæ gratia, (vt est humani ingenij natura) dicta maiorum refellere, antiquorum instituta inuertere, contorquere, distorquere, corrumpere, vim veritati adferre, verborum aucupia, syllabarum tendiculas, literarum decipulas comminisci, nihil deniq́ non inceptare, illustrandi sui nominis gratia perseuerent. Sed quid illi, qui vix bonis literis & disciplinis tincti, non verentur tamquam Ægiptiorum opibus suffarcinati, reliquos omnes, siue vetustiores, siue recentiores tamquam prorsus inanes, inopesq́ aspernari? qui si aliquando cogitarent, diuitias illas suas, κεραμέως πλοῦτος (vt dicitur) figulinas esse, altiores illos ac sesquipedales Spiritus deponerent. Ac

vt

vt tandem receptui canam, huiusmodi ſcientiarum vaſto, incertoq́ ac errabundo pelago, qui ſummum bonum quærunt & extremam felicitatem, velut ex paleis multis, modicam frugem, aut etiam nullam colligunt. Quare felicitas huius vitæ, in eo ſita eſt, nempe vt in cordibus ſuis, pacem & tranquillitatem habeant, qui iuſtificati fuerint vera fide in Chriſtum, quod qui non ſunt conſequuti, quamuis in humanis ſcientijs excellentiſſimi, animam tamen habent & conſcientiam, mirũ in modum turbulentam. Vanitas igitur vanitatum & omnia vanitas, præter amare Deum & illi ſoli ſeruire. Iſta ſumma eſt ſcientia ac ſapientia, per contemptum mundi tendere ad cœleſtia regna. Vanitas inquam eſt, ſcientias perituras quærere & in illis ſperare. Vanitas quoq́ eſt hominem, res ambire, & in altum ſe extollere. Vanitas

eſt

est carnis desideria sequi, & illud desiderare, vnde postmodum grauiter oportet puniri. Vanitas est diligere quod cum omni celeritate transit, & illuc non festinare vbi sempiternum gaudium manet. Memento illius frequenter prouerbij: Quia non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu. *Stude ergo cor tuum ab amore visibilium abstrahere & ad inuisibilia te transferre. Nam sequentes carnem, contaminant conscientiam & perdunt Dei gratiam.*

VERS. X.

Est quippiam de quo dici possit, vide istud nouum est: iam fuit in seculis quæ fuerunt ante nos.

VERS. XI.

Non

Non eſt memoria priorum & etiam poſterorum quæ erunt, non erit de illis memoria apud eos, qui erunt poſtea.

EXpolitio ſuperioris verſus, quâ primum perſtringit vanitatem eorum, qui de factis ſuis, aut dictis, aut inuentis quaſi nouis & inauditis gloriantur, cùm nihil nouum, laudabile aut præclarum, vel excogitari, vel iactari poßit, cui non ſimile aliquod retroactis ſeculis, vel factum vel dictum fuerit, vel inuentum. Quod ſanè perſpicuum fiet, ſi paucis exemplis rem expediemus. In Eccleſijs pontificijs, nunc oſtendunt imagines ſuorum ſanctorum, ecce hæc imago eſt Petri, Pauli, Eraſmi &c: At & olim apud Ethnicos idem factitatum legimus, aſpice hic eſt Hercules, qui attritu pectoris, leonem necat, cerne hæc eſt Alexandri Magni effigies, hæc Iulij Cæſaris, hæc Traiani facies.

facies. Hæc verò Antonini Pij, hæc Iuliæ, illa Faustinæ, & Poetæ nunc excogitant varia figmenta rerum non existentium & falsarum, at & idem fecerunt olim, & fortè longè illustrius, hinc habemus Nymphas, Centauros, cerberum, furias cornigeras, furculis & verubus animas in igne coquentes, & multa similia. Tales Milesius vnus è septem Sapientibus, tamq̃ primus, aquam dixit esse rerum principium, at longè ante ipsum idem dixit Homerus, ὠκεανὸς γένεσις πάντεσσι τέτυκται, quod etiam æmulatus Maro carmini suo inseruit, oceanumq́ patrem rerum. Post Thaletem verò Xenophanes Colophonius, tamq̃ primus, constituebat principia prima, esse aquam & terram, sed & idem Homerus longè prius cecinit, ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα &c: id est, sed quidem omnes terra & aqua fiatis,

significat enim resolutionem in elementa vniuersitatis generatiua. Quin & bombardam, cuius recens germanorum inuentum putant ferè omnes, nonnulli (inter quos est VVolaterranus) prisco æuo vsitatam fuisse, vel ex Virgilij versiculis conuincere volunt.

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammam Iouis & sonitus imitatur olympi &c:

Hæc cùm ita sese habeant, non immeritò igitur Salomon concionatus est, nihil esse recens*, cùm enim præcesserit in seculis, quæ fuerunt ante nos. Hoc etiam Aristoteles confirmat, qui in 2.* μετεορῶν *inquit: quod opiniones & dicta sapientum, quæ videntur recens inuenta, fuerunt in vsu ante multa secula, sed per incendia vel inundationes, vel hominum mortes,*

libri eorum ſunt corrupti & tandem obliterata. Sed deinde ne quis exciperet hoc commentum eſſe & multa eſſe noua, poſteritatemq́ ſolertem, & ingenioſam ſemper augere ſcientias, & nouitatum eſſe inuentricem, ſequitur πρόληψις. Non eſt priorum memoria, ſed nec eorum quidem quæ poſtea futura ſunt, erit recordatio apud eos, qui futuri ſunt &c: *id eſt, tamq̃ vmbra citò euaneſcit, vel tamq̃ nauis quæ fluctuantem ſulcans aquam, veſtigium tranſitus poſtea non deprehendit: ita omnia tranſeunt, vt memoria eorum non remaneat. Quid ergo hîc dicemus? niſi quia omnes ſcientiæ & artes obliuioni & morti ſubijciantur, nec perpetuò manebunt in anima, ſed vnà cum morte tranſibunt in mortem, dicente Chriſto, quia omnis plantatio quam non plantauit*

pater meus cœlestis eradicabitur, Math. 15. & in ignem æternum mittetur: tantum abest, vt scientia conducat immortalitati. Solùm autem verbum Dei, manet in æternum, cuius quidem cognitio nobis tam necessaria est, vt qui contemserit, qui neglexerit, qui non audierit (teste ipsomet verbo in scripturis sacris) inducet super illum Deus, maledictionem & perditionem, & iudicium æternum. In diuino igitur verbo via est, in illo norma & meta, quò tendere oportet qui nolit errare, & veritatem attingere, omnes reliquæ scientiæ tempori & obliuioni subiectæ sunt: quin, non solùm hæ scientiæ & artes, sed & hæ literæ, & characteres, & linguæ quibus vtimur, fortè peribunt & resurgent aliæ. Neq; ipsa orthographiæ ratio, semper eadem fuit, nec similis apud omnes vel eodem seculo, & latinæ ac græcæ lin-

guæ

guæ pronunciatio hodie nuſq̃ eadem eſt: & priſci hebræorum characteres perierunt, & non eſt eorum memoria, ſed tantum nouorum quos adinuenit Eſdras, linguaq; hebræorum à Chaldæis corrupta eſt, quod omnibus ferè linguis contigit, vt hodie nulla ſit, quæ ſuam germanam antiquitatem agnoſcat aut intelligat, ſubnaſcentibus viciſsim nouis vocabulis, deiectiſq; veteribus, illiſq; porrò rurſum reſtitutis, adeoq; nihil ſtabile, nihilq; diuturnum, deniq; Terentiana ſententia vera eſt, nihil eſſe iam dictum, quod non ſit dictum prius. Increpantur igitur illi hoc verſu, qui gloriam & nomen ſuum conantur extendere ad poſteros, de quibus Propheta Pſal. 48: *Vocauerunt nomina ſua in terris ſuis, ſed periȷt memoria eorum cum ſonitu.* Nolo hîc ampliùs nimium immorari. Quantum fieri poteſt nomen

ſuum producere dulce eſt. Sed quam immortalitatem tibi pollicearis? Si poſt mortem aut nihil eris, aut ſi eris, nomen tuum infinitate annorum è memoria delebitur, addo ſi mundus, ab immortali Deo per ignem conſumendus eſt, multò minùs immortalem famam ſperare conceditur, celebretur ſanè nomen tuum, ſed nondum venit exuſtio, quam Philoſophi non totius, Chriſtiani verò totius orbis expectant. Omitto etiam illud, quòd cùm fortuna in omni re dominetur, & ea inſtabilis ſit ac incerta, nihil ſtabile, certumq́ tibi poteſt polliceri.

VERS. XII.

Ego Eccleſiaſtes fui Rex ſuper Iſrael in Ieruſalaim.

COnfirmatio vanitatis, à singulari ipsius Salomonis obseruatione & experientia. Etenim quia nos adhortatur, ad despiciendum sensibilia cuncta, faciliùs autem consilio eius fides adhibetur, qui ea contemnenda proponat, quæ ipse possederit ac expertus fuerit, ideo suam nobis exposuit personam & dignitatem, vt non incredibile videatur alicui, omnium eorum à quibus dehortatur, singularem eum habuisse experientiam. Ego itaq; inquit: cùm sim Rex potens, opulentior etiam ac sapientior, quàm vllus ante me fuit, & nihilominus doceam, scientias, potentias, diuitias, cum miserijs esse coniunctas, & ad regnum cœlorum inutiles, æquum est vt mihi tam exercitato, ac imprimis harum rerum vsu, edocto, credatur. Distributiuè autem recitat illas vanitates, circa

quas occupatus fuit, quarum versus sequens primum est membrum.

VERS. XIII.

Et dedi cor meum ad disquirendum & inuestigandum cum sapientia, omne quod fit sub cœlo (hanc occupationem malam dedit Deus filijs hominum) vt occupent se in ea.

PRimum caput occupationum Salomonis, in rebus, scientia & cognitione comprehensis, historicis atq; Ethicis. Historicis vt naturali scientia & rebus gestis. Harum rerum causas & rationes, signa atq; effecta, non obiter aut perfunctoriè, nec leuibus Philosophorum persuasionibus & conclusionibus, sed ex indubitatis, immediatis atq; certissimis proprietatibus, inuestigare conabatur, nec Theologica præteryt, vt

cur

cur alij dum infantes ſunt, miſerè torqueantur, & ante vſum rationis fatis cedant, cur pij & impij naufragio pariter demergantur, cur impij & ſcelerati diteſcant, honorentur, potentes ſint, cùm plerique iuſtorum egeant ac infirmi ſint, an hæc & huiuſmodi caſu, an iudicio Dei fiant, ſi iudicio, vbi iuſtitia? Si caſu, vbi prouidentia? Quod quærere & inueſtigare multò maius eſt, quàm inueſtigare omnia quæ ſub ſole ſunt. Nam cauſæ & rationes huiuſmodi inuiſibiles ſunt, facta verò viſibilia. Verùm quòd hîc ait, ſe dediſſe cor ſuum, ad inueſtigandum omne quod fit ſub ſole, intelligendum eſt, præter Phyſica, Ethica, Theologica, de quibus hoc libro agit, eum diſputaſſe de plantis, à cedro libani vſque ad hyſſopum, quam herbam parietariam vocant. Cedrus nominatur inter proceriſſimas arbores, Hyſſopus

autem inter humilimas herbas. Cùm ergo disputârit de maximis & minimis, consentaneum est, vt de medijs quoq; disseruerit. Sed qua ratione vel methodo harum rerum naturas inuestigauerit, hodie ignoratur. Theophrastus, Dioscorides, Plinius & alij, qui scripserunt harum rerum historias & rationes, pro viribus etiam naturam earum, figuram, folia, flores, fructus, succos, proprietates & medicinas tradiderunt. Quare simile veri est, Salomonem idem longè excellentiùs inuestigasse & fecisse. Disputauit quoq; de animantibus, nimirum quadrupedibus, de piscibus & auibus, insectis, & serpentibus, explicando (vt consentaneum est) naturam, mores, partes & loca, vbi nutriantur, & consimilia, sed non sine Theologicis rationibus. Etsi autem de Mathematicis

aut metallicis rebus, de Grammatica etiam, Dialectica & Rhetorica, caput quartum I. Melachim, eum disputasse non meminit, harum tamen artium, eum minimè fuisse imperitum, vel id argumenti loco est, quòd in omnibus se exercuerit, quæ sunt sub sole, & quòd fuerit concionator, nemo autem rectè vel concionari vel disputare potest, nisi Rhetoricam & Dialecticam quoquo modo calluerit. Galenus in libro de vsu partium, suas commentationes, hymnos Dei appellauit, quòd ex partibus maximè humani corporis, mira eius ars ostendatur, ita & in his rebus, quibus occupatißimus fuit Salomon, multa esse vestigia Dei, gratamq́ de Deo (vt Plato ait) famam sparsam esse, non ignorauit Salomon, ac proinde intentiùs in earum inuestigationem incubuit. Sed quia in his quæ foris apparent, non potest

perfecta veritatis cognitio, vel quies mentis inueniri, videns Salomon impudentis desiderij ardorem, & stultæ curiositatis lapsus infinitos, tum maximè quòd in harum inuestigatione, & suiipsius & creatoris Dei Max: Opt: cognitionem negligant mentes humanæ, taceo tantarum rerum occupationem, longè imparem viribus humanis: Ideo addit hanc occupationem malam, dedisse Deum filijs hominum, vt occupent se in ea. *Egregius hic est locus, in quo Ecclesiastes alludit ad pænam primorum parentum, qui infeliciter ambientes scientiam, quam Diabolus promittebat, in totam posteritatem, similem curiositatis occupationem deriuabant, à paribus igitur relatis, causam finalem, occupationum, laborum, & omnium molestiarum arguit, ac ostendit quòd Deus laboriosam occupationem dederit,*

id est,

id est, permiserit impendere filijs hominum, *qui vsq; adeo ad hæc terrena & vana inhiant attoniti, ad magnam illorum vtilitatem factum esse. Nam si in comparandis diuitijs, & in acquirenda inani gloria, ac etiam in ijs, quæ ventri ac gulæ gratificantur, summopere laboramus, ac si labores & angustias, tantas subimus ac patimur, vt possideamus quæ vana sunt, quònam flagitij ac sceleris progrederemur, si hæc ipsa ociosis nobis vltrò aduenirent. Vtiliter igitur data est hominibus, hæc difficilis distensio vel occupatio. Si autem & ipsa virtus cum labore perficitur, & hoc item homini perutile est. Si insuper quoquò te vertas & circa bonum & circa malum laborare oportet, consequitur verò malum punitio, bonum autem fruitio, voluptasq; ineffabilis, sine vlla comparatione præoptandus est labor et occupatio*

circa

circa bonum. Hæc igitur eſt deprauatæ naturæ noſtræ conditio, vt in ſudore vultus, acquiramus panem ad vitæ ſuſtentationem. Hæc vt vnà cum noxa inſcitiam, calamitates, morbos & mortem ipſam: ita etiam degenerem ſeruitutem laborum in orbem inuexit, quæ culpæ (vt Auguſtini verbis vtar (non autem naturæ impoſita fuit.

VERS. XIIII.

Vidi omnia facta, quæ fiunt ſub Sole, quòd ecce, iſta omnia ſunt vanitas & afflictio ſpiritus.

ILlatio ex ſuperiore contemplatione, ergo cognoui experiendo, quòd tum res factaq́ ipſa, tum accurata iſtorum inueſtigatio, naturâ duce, & non prælucente verbo Dei & percipiente fide,

fide, nihil aliud ſunt, quàm afflictio ſpiritus & vanitas. *Ego enim feci quod potui & defeci, quin ad omnia perſcrutanda me effudi, ſed quoniam dum in tanta rerum multitudine & latentis* ἐνεργείας *profunditate, intellectus, ſpargi inceperit; reuerberabatur, vtiq́; ſenſi pondus tanti laboris; nequaq̃ poſſe ſuſtinere hominis fragilitatem. Quod ego ſanè, ego Eccleſiaſtes conſiderans,* vidi omnia facta, *id eſt, in me reuerſus cœpi* cogitare, *ſtultum eſſe & vanum, iſtarum rerum ſcientiam tam pertinaci ſtudio, hominem mortalem quærere, in eaq́; tam accurata diligentia incumbere, quæ non ſolùm, extra naturam eius ſunt facta, ſed nec ſaluti eius, ſi ſciantur aliquid addere poſſunt, nec auferre aliquid ſi ignorentur. Præter enim hoc quòd elabuntur ac*

euaneſ-

euanescunt, etiam quòd longè maximum est, si suscipiuntur sine timore Dei, disponunt homines ad supplicia, post præsentem vitam futura, quandoquidem nulla coacti necessitate, ob gloriolam euanidam, tantas operas aggrediuntur, sed præuia electione, certoq́; consilio. Quare duo de his rebus, earumq́; scientia hoc versu prædicantur, vnum quòd ipsæ per se vanæ sunt, neq́; salutem nobis, regnumq́; cœlorum afferunt. Alterum quòd magis humanos animos torquent & affligunt. Hæc vera esse, & exempla & indignationes ac querelæ hominum, post infinitos exantlatos labores, perspicuè docent, ac exempla vt Aristotelis & Homeri casus, nec non Cleombroti Ambrasiotæ, qui lecto Platonis libro de anima, quamq̃ ei nihil accidisset aduersi, è muro se in mare præcipitauit. De querelis longum esset singu-

ſingula perſequi. Nota eſt Ciceronis quiritatio & miſerrima exclamatio: ô me nunq̃ ſapientem &c: Quid dicam de Mario, dignitatibus & rerum ſcientiâ ampliſſimo viro? Is enim (vt refert Plutarchus in Mario) cùm annos duos & ſeptuaginta vixiſſet, ſepties conſul, primus omnium renunciatus ac declaratus fuiſſet, ſuam fortunam deplorabat, quaſi à morte occupatus, anteq̃ ea quæ cupiebat, aſſecutus eſſet, quæq́; cogitabat, perfeciſſet, è vita excederet. Tam inexplebilis vitæ cupiditas homines tenet, tantaq́; indignatio mentes humanas perrumpit, vt ex ſtudijs rerum humanarum, nil niſi vanitatem ſe conſecutos fateantur. Sed meliùs Chiron, qui interrogatus à Menippo, quamobrem, cùm ei immortalem eſſe liceret, mori maluerit, reſpondet, perpetuum rerum tenorem & ſimilia omnia ſuo tempore

vicißim recurrentia, vitæ satietatem sibi peperiße.

VERS. XV.

Peruersum non poteſt dirigi, & defectus non poteſt numerari.

Confutat adhuc propoſitam ſcientiam, ratione à comparatis, quæ illi regulæ innititur peruulgatæ: Si quod minus videtur ineſſe, nec inerit, nullo modo conceditur, quod magis eſt, ineſſe poſſe.

At ſcientia acquiſita & rerum naturalium perueſtigatio, adeo frigida ac vana eſt: vt ne minimam quidem rem contortam corrigere, aut perditam reſtituere poßit.

Multò ergo minùs cœleſtem & immortalem ſubminiſtrare ſufficit.

Arguit

Arguit hoc loco Salomon eos, qui dixerunt casu fortuito, mundum factum ac imperfectum esse, vt Democritus & Epicurus, ostenditq́; omnem eorum Sapientiam, ne quidem sufficere ad repræsentandum & addendum minimum, quod ipsis imperfectum & mutilum videtur, nisi velint φυσιομαχεῖν, *sicut Titani, qui manibus magnum rescindere cœlum aggreßi, superisq́; Iouem detrudere regnis, vt ait Virgilius: quiq́; montes montibus imposuisse dicuntur, ac Propterea fulminati omnes, ad inferosq́; deiecti, & sub Aethna monte sepulti finguntur, vel etiam in caucasum relegari cum Prometheo, qui Pandoram, feminam primam (vt fabulæ tradunt) è limo finxit, ignemq́; de cœlo in ferula furatus, pectori subdidit, vnde Spiritus illi. Quapropter Iupiter*

iratus, ad caucasum eum relegauit ferreis vinculis, cuius hepar continuò renascens pascatur ab aquila. Sed mittamus fabulosa. Apparet autem ex hoc versu, eorum vitam, qui sine Deo & eius verbo Philosophantur, anxiam, solicitam & ærumnosam esse, omnibus deniq; pœnis & cruciatibus refertam, ita, vt videantur viui eas pœnas perferre, quibus, Tantalus, Sisyphus, Tityus & Danaides affici apud inferos putantur.

VERS. XVI.

Loquebar ego cum corde meo, dicendo, ecce ego magnus factus sum, & addidi sapientiam supra homines, qui fuerunt ante me in Ierusalaim, & cor meum vidit multitudinem sapientiæ & scientiæ.

Tran-

TRansitio à naturali scientia ad ciuilem, ex qua quoq; se nil nisi laborem & afflictionem, nihilq; adminiculi, ad bene beateq; viuendum, se consecutum affirmat. Vtitur autem hoc loco argumento à comparatis:

Si is qui in vnaquaq; re exactè & absolutè, quid sit virtus & quid sit vitium, ac deniq; quid florentes & tranquillas respublicas constituat, optimè intellexit, nec quicq̃ hanc scientiam conferre ad bene beateq; viuendum iudicauit, sed tantùm molestiam & animi acerbitates adferre incredibiles, is sanè in ea non collocauit summum bonum.

At Salomon harum omnium rerum minimè expers fuit.

Etenim si perfectam sapientiæ cognitionem se hausisse, aut certè si hoc de ho-

mine dici nefas, proximè ad eam accessisse, testatur hoc versu.

Politicam ergo scientiam accuratissimam habuit, at in hac, nisi vanitatem & afflictionem, nullum aliud sensyt, nec vllo modo, summum bonum in ea statuit. Ergo multò magis id alium facere decet, qui in his minùs exercitatus est. Assumptio vt dixi, Salomonis est. Cùm enim multæ sint artes & scientiæ, illæq; inter se ordinem habeant, ita vt summa ac præcipua sit ciuilis, quæ ordinatur ad felicem gubernationem communionis, bonum autem commune vt plurimùm, longè sit præstantiùs bono singularis personæ, ergo cùm hâc quoq; non consistat felicitas hominis, certè nulla alia humana scientia, consistere necesse est. Vis consecutionis in vtroq; Syllogismo hinc apparet, quòd cùm proprium sit ciuilis

artis, bonos reddere ciues, & optimis conditionibus ac qualitatibus insignes. primùm bonas leges ferendo: postea earum custodes atq; fideles obseruatores, honoribus ac præmijs afficiendo, è diuerso transgressores puniendo ac deprimendo: ita vt ciuilis facultatis geminæ sint partes: vna bonas leges promulgare: altera, illis, Rempub: gerere atq; administrare. Quas duas partes, Plato duobus & attigit et eleganter absoluit libris. Ex quibus apparet, in magistratu non satis esse, subditos ditare, fines imperij ampliare, mœnibus & propugnaculis vrbes munire, sed quòd in magistratum maximè conuenit, est, vt bonos ciues reddat. Hinc illud, præstare regem, virtutum quàm trophæorum hæreditatem relinquere. Ab hoc fine tantùm sæpè absunt politici viri, vt in statu politico nulla felicitas censenda sit,

cùm multæ magnæq́ mutationes illi impendeant, & peruersi hominum animi, nequaq̃ ad virtutis studium se flecti patiantur. Quod enim est fretum, aut quis Euripus, quæ tot agitentur perturbationibus, totq́ moueantur æstibus, atq́ subditorum animi, aut deniq́ quid acerbiùs aut molestiùs, quàm stupidos & efferos animos, consilio & authoritate regere? Hinc libri Ethnicorum pleni sunt querelarum, de curis & laboribus, quos boni rerumpublicarum gubernatores sustinent. Quam molestiam experti sunt νομοθέται gentiles, & sapientes viri? qui circa vniuersalia contemplantes, & in rebuspublicis iudicantes, ac legibus decernentes? Solon sapientissimus, ille νομοθέτης, in exilio vitam finire coactus fuit. Themistocles vir omnium eloquentissimus, è patria sua, Athenis, quæ vrbs illius rebus sapienter &

cum laude gestis, clarior facta fuit, eiectus est. Quam ferè sortem expertus est Scipio, vir multis magnisq; victorijs clarißimus. Prætereo Mosen, Aharonem, Iosua, omitto multos principes viros, qui nostrorum hominum memoriâ, à rusticis seditiosis in Germania tumultuantibus, ferè sunt oppreßi. Vnde non malè dixit ille, eos qui ad Rempub: gubernandam accedunt, perinde esse, atq; se demittant in aquam concitatam, quæ rapidißimè currat, cuius vorticibus tantum abest, vt resistant, vt potius, illis, quàm maximè trahantur. Quâ sententiâ, licet percipere difficultatem, vim rapidam fluctuantium animorum, in vulgo frenare, efficereq; vt homines boni fiant. Ac cùm hæc vera sint, vt sunt sanè verißima, ciuilis ac politica hæc scientia, eiusq; administratio, quid aliud habet, quàm

molestias & acerbitates, vt taceam alia infinita incommoda, quæ maximè concernunt, longè eos abesse à felicitate, qui, in ea versantur. Ac quamq́ florentes ac beati videri poßint, præ alijs hominum statibus, politici viri, ac magistratus munia gerentes: multiplex tamen rerum diuersitas, quæ in externis rebus perpetuò cernitur, sæpe docet, eos quibus per totam vitam fortuna indulserit, ad finem vitæ miserrimos fuisse, quod omnes ex Homero & Virgilio luculenter possunt cognoscere, qui ideo tam diligenter describunt Priami historiam, quòd harum rerum imaginẽ exprimat viuam. Priamus enim Rex fuit Asiæ opulentissimus, cui copiosa proles erat, pater enim fuit quinquaginta liberorum, quorum, septendecim nati sunt illi ex iustis coniugibus, abundauit amicis & militari gloria, omnibus inclaruit, sed quò magis fortuna

tuna in toto vitæ decurſu arriſit, ſic ad finem vitæ, omnia illi miſerrimè abſtulit. Hoc conſiderans THALES, vnus è ſeptem ſapientibus, principis felicitatẽ definiuit, vt ſenex ſecundũ naturam in ſuo lectulo moriatur. Et cùm Lydorum Rex Crœſus, iactaret impotẽter ſuas opes, fortunas, regni vires, delicias & cætera quibus fruebatur, bona, ecquid inquit: nonne tibi videor felix? quod dicendo Philoſophis videbatur inſultare, qui cum ſuis doctrinis atq; ſcientijs, quodãmodo egerent, cùm ipſe è Philoſophia alienꝰ, plenus atq; diſtentus ſibi videretur felicitate. His Solon auditis, graui reſponſo, elati Regis inſolentiam repreſsit: Ante obitũ, inquit, nemo felix, philoſophica libertate illũ admonens, aduerſa fortunâ illa omnia ſibi poſſe auferri, ita vt è tantis rebꝰ, ad extremã calamitatẽ detruderetur. Quod illũ nõ fefellit. Nam Crœſꝰ à Cyro victꝰ, omnia

ſua

sua euersa conspexit. Quam Solonis sententiam Ouidius elegantißimè expreßit:

Vltima semper expectanda dies homini,
diciq́; beatus,
Ante obitum nemo, supremaq́; funera
debet &c:

VERS. XVII.

Et dedi cor meum ad sciendum sapientiam & scientiam, insanias & stultitiam, didici hoc quoq; esse pabulum venti, (vel) depastionem animi.

ALia illatio quæ ex superioribus infertur, cùm hæc omnia loquutus essem in corde meo, ex præcedenti contemplatione fiduciam concipiens, collegi itaq́; & subducta ratione, apposuisse me vidi sapientiam, super omnes alios. Superauit enim Salomon studio sapientiæ, non saltem orientales, qui licet posteriori ætate

ri ætate ad ſuperſtitiones deflexerint: prima tamen ætate ſapientes admodum fuerunt. Nam primi omnium curſus aſtrorum obſeruârunt. Quin & Abrahamum reuolutionum orbium cœleſtium noticiam habuiſſe, à multis traditur, & ſanè inter orientales, Iobus & eius amici, vt ſapientes recenſentur. Erant etiam illuſtres Gymnoſophiſtæ & Brachmanes. In Meſopotamia etiam fuit Bileamus augur & diuinus, magni nominis. Ad tales viros olim ſe conferebant diſcendi cauſa, Pythagoras, Democritus, & poſtremò Apollonius Tyaneus. Hos omnes non ſolùm, ſed & ipſos Aegiptios, ſapientiâ & doctrinâ antecelluit, qui etiam à ſtudijs & diſciplinis, olim fuerunt admodum commendati. Fuerunt enim cumprimis Geometræ, atq; ab Ariſtotele primo Metaphyſices, vt ſapientes prædicantur. Moſes etiam di-
citur

citur omni genere ſcientiæ Aegiptiorum, fuiſſe imbutus. Plato quoq; ſcribitur, magnam inde reportaſſe doctrinam & eruditionē. Quin & ſapientiam Græcorum, ab illis dimanaſſe, authores eorum minimè inficiantur. Cùm igitur tanta fuerit ſapientia Salomonis, quæ & optimè ex monimentis eius colligitur, ac licet multa eorum ſint omiſſa, ita & ſingularis Dei prouidentia, multa etiam ſunt conſeruata, eaq; præſertim, quæ maximæ ſunt vtilitatis, & plurimùm ad erudiendos homines conducunt, quare nunc de ſcientijs humanis diſſerens, addit, ſe vſq; adeo ſcientiarum ſtudium vrſiſſe, vt ne quidem ab eis abſtineret artibus & ſcientijs, in quibus homines à veritate aberrantes, & repugnantibus opinionibus inter ſe digladiantes, non tantùm inſcitiam ſuam, verumetiam ſtulticiam ſummam, atq; adeo multiplicem

cem insaniam produnt. Ad harum rerum inquisitionem, *id est, errores sectarum & opinionum, cùm tantùm vana ac inutilis* πολυπραγμοσύνη *eum compelleret, nec non superbia ad ostentationem: dignum fuit, vt tumidum labor premeret & curiosum dissiparet, vnde sequitur:* Et didici hoc quoq; esse pabulum venti, *id est, laborem vanum & inutilem. Etenim labor vtilis non affligit Spiritum, sed reficit. Hinc scientiam nominat* Pabulum venti, *id est, præsumptionem & ostentationem Spiritus, metaphoricè, sed nunc aliam causam subiungit & concludit primum caput.*

VERS. XVIII.

Quoniam in multitudine sapientiæ (inest) multa indignatio, & qui addit scientiam
122. c dolorem.

Con-

CONclusio ἐκ τοῦ ἀδυνάτου. Nulli vnq̃ quamq̃ solertissimorum ingeniorum, decursis operibus actionum suarum, inuenerunt in quo acquiescerent, sed quò plura didicerunt, eò magis eorum quæ ignorarent, disquisitionem impossibilem iudicârunt, ex quo nil nisi dolores & animorum cruciatus reportârunt, nullamq́; requiem laborum repererunt, cùm anxiè animos suos in earum rerum, quæ inueniri non poterant inuestigatione, torquerent. Hæc est sententia. Quare vt iam finem faciam in hoc capite explicando, hactenus audiuistis, ex his quæ ab initio huc vsq́; dicta sunt, nihil aliud esse scientias & artes, quàm hominum traditiones, à nobis bona in illos credulitate receptas, easq́; omnes constare, non nisi ex præceptis, per apparentes demonstrationes traditis, esseq́; illarum multas, non tam incertas

atq; fallaces, quàm coniunctas cum præsumptione & impietate. Quocirca credere omnino impium est, illas posse nobis aliquam diuinitatis adferre beatitudinem. Gentilium hæc olim superstitio erat, qui, rerum inuentores, quos sciētiâ vel aliqua arte præstare reliquis intuebantur, eos diuinis honoribus venerabantur, atq; in Deorum suorum referebant numerum, templa, aras & simulachra illis dedicantes, & sub varijs imaginibus illos colentes. Atq; hæc est illa nec vlla alia scientiarum deificatio, quàm antiquus ille serpens huiusmodi Deorum artifex, primis parentibus pollicebatur. Eritis sicut Dij scientes bonum & malum. In hoc ergo serpente glorietur, qui gloriatur in scientia, cuius sanè dogmata, non nisi præstigiæ sunt, & finis semper malus est, vt etiam in prouerbium cesserit: scientes

insanire, quò etiam Aristoteles alludit dicens: Nullam magnam esse scientiam absq; mixtura dementiæ. Et ipse Augustinus testatur, multos sciendi desiderio, sensum rationis amisisse. Melius est ergo & vtilius, nos idiotas & nihil omnino scientes existere, & per fidem & charitatem splendere, ac ad Deum accedere, quàm per subtilitates scientiarum elatos, & superbientes cadere in possessionem serpentis. Qui ergo veram & Deificantem sapientiam, quæ nos in cœlestium & beatorum choros refert, superbè vel negligunt, vel arroganter contemnunt, propter hanc scientiarum cupiditatem studiumq; inexplebile, illi superstitionibus vanis pertinaciter inhærentes, obdurant se contra manifestam veritatem. Ac cùm habeant iter rectum, deuios sequuntur anfractus, planum deserunt, vt per precipi-

cipitium labantur, ac deniq; lucem relinquunt, vt in tenebris cæci ac debiles iaceant. Sed dum hæc contra Herillum & alios, mera inscitia, summum bonum in scientia concludentes, ex Salomone hactenus disputauimus, nequaq̃ volui aut vnq̃ author sum, vt inscitiam homines expetant, quin potius sapientiam, tamq̃ summum Dei donum, studiosè, ingenui & liberales animi inquirant: ita tamen, ne quicquam fiduciæ in illa reponant, sed quicquid ad solidam felicitatem & veram beatitudinem pertinet, id penes solum Deum, fontem omnis sapientiæ residere existiment. Quare si in sapientia acquiescere velint, Dominum sibi adiungant oportet, & omnia ex animi sententia cadent.

CAPITIS SECVNDI ὑπόθεσις.

Cùm hactenus ostenderit, scientiam non esse summum hominis bonum, quòd ea, plus ærumnarum quàm quietis pariat, nunc sequitur altera quæstio disputationis, anne summum bonum consistat in voluptate & delicijs corporalibus, hoc negatiuè tractat, & à suo exemplo siue facto proprio ἀπόφασιν probat, affirmans sese cùm à studio scientiæ, summum obtinere bonum non posset, voluptatibus & commessationibus diurnis & nocturnis vacasse, exploraturus an hoc modo tandem, desiderio suo satisfieri posset, verùm ne hoc quidem modo voti compos factus est, quòd ex eo, nil nisi inanißimam vanitatem sit consecutus. In affectionem igitur

tur quæstionis, constituatur sic Syllogismus negatiuus.

Felicitas humana, item quieta & optabilis vita, non consistit in eo quod est momentaneum, & in ipso vsu consumitur. Nam felicitas est bonum, stabile & firmum.

Sed deliciæ & voluptates corporales sunt momentaneæ. Etenim modicè sumptæ, ad modicum temporis spacium, corpus sustentant. Immodicè verò, certa sunt animi & corporis pernicies.

Ergo non est in ijs felicitas humana aut summum hominis bonum. Assumptionem probat vers. 1. & sequentibus.

VERS. I.

Dixi ego in corde meo, agedum miscebo vinum læte, fruere igitur bono, & ecce etiam hoc vanitas.

Ἐπιμονὴ *diſputationis*, ἐκ τῆς ἀποδιώξεως *quæſtionis de ſcientia, ad quam poſtea verſ. 3. regreditur. Cùm igitur ignoratione rerum bonarum & malarum, maximè hominum vita vexetur, ob eumq́ errorem homines, & ſcientiarum certitudine priuentur, & maximis doloribus torqueantur, ſapientia eſt adhibenda, quæ, & erroribus cupiditatibusq́ ſcientiæ detractis, & omnium falſarum opinionum temeritate direpta, certiſsimam ſe nobis ducem præbeat ad felicitatem. At huiuſmodi eſſe voluptatem, argumenti ſatis id eſt, quòd vt plurimum voluptario vitæ genere homines delectentur, tamq̃ cumulo curarum & laborum exonerato. Relicta ergo intellectus & animi ſcientia, totum me in voluptatem proyciam, & carnis blandimenta tamq̃ ſolida bona ſectabor,* miſcebo vinum *& indulgebo*

gebo genio. Minor huius collectionis, primùm manifesta est ex definitione voluptatis. Etenim cùm voluptas sit affectus, quo suauiter afficimur, propter actionem quæ à natura proficiscatur, actiones quidem, tum edendi, tum bibendi & procreandi, certè à natura oriuntur & rectè habenti semper voluptatē afferunt, quæ autem voluptatē afferunt, ea maximè expetenda, at huiusmodi sunt delitiæ, res venereæ & similia, ergo & illa præferenda sunt studio scientiæ, quod totū agitatur fluctuationibꝰ & incertitudinibꝰ. Deinde eandē confirmat Lucretij Epicurus. Is enim volens confirmare voluptatem ab omnibus expeti, tamq̃ finem extremū, vel potiùs vt bonorum summū, à paruis pueris ducebat argumentum, quòd in his natura doceat homines: Hi enim cùm adhuc educatione praua non sint deprauati, neq; falsis

opinionibus imbuti, sed integrè atq; incorruptè iudicant, voluptatem persequuntur, atq; dolorem vt rem exitiosam fugiunt: quare vox naturæ audienda est, & in his, quæ eius, quodammodo specula quædam sunt, est contemplandum, quæ natura sit felicitatis humanæ. Nam si naturâ homines essent ad alia destinati, primo ab ortu in ea essent propensi. Præterea subditi & priuati homines, cùm principes viderint, summa potestate præditos, omnibus tamen modis ac partibus, craßiores has voluptates persequi, existimant illas extremum esse bonum, quod homines sibi vendicare poßint. Etenim, cùm principes legibus vt cæteri non coherceantur, neq; magnifaciant, quid vulgus de se opinetur, neq; ad eas dignitates putentur absq; numine atq; illorum præclara sapientia euecti: quod ipsis vt præcipuum

bonum

bonum est gratum, & cæteris antepo-
nitur, quodq́ suis vt præmium propo-
nunt, id à cæteris vt felicitas & bo-
num extremum constituitur. Hinc simi-
le illud Aristotelis, in quo, maximè
vulgus & mancipia & pecudes refert.
In ouibus etenim mos iste videtur, vt
si aries, aut quæ in grege primum ob-
tinent locum, in vnam partem disce-
dant, sequuntur omnes: ita sine iudi-
cio vel vllo delectu, mancipia suos do-
minos consectantur. Et hæc sanè Pla-
tonis & aliorum sapientum, semper lau-
data sententia fuit: Tales esse populos,
cuiusmodi Reges eorum & principes
fuerint. Quam diu regnum hoc, habuit
sanctum & florentem Regem nostrum
FRIDERICVM. II. veræ pie-
tatis & doctrinæ amantem, certè aula
vniuersa, & reliqui omnes ac singuli,
conabantur studia eius imitari, & Dei

beneficio adhuc imitantur, ſed quia homo fuit, & non prorſus à næuis humanis alienus, eoſdem & ſtudioſè non pauci conſectarentur, ſi quos inſpectaſſent. Adeo verum eſt:

Regis ad exemplum totus componitur orbis &c:

Sed de Regibus ac Imperatoribus, totam ſuam vitam in voluptatum cœno ingurgitantibus, notæ ſunt hiſtoriæ. De Sardanapalo multa dicerem, niſi quæ Iuſtinus habet, omnibus eſſent in promptu. Id tantùm dicam, quod ſemper ferunt ei fuiſſe in ore: Ede, bibe, lude. Quæ Horatius eleganter redarguit in ſuis Epiſtolis:

Luſiſti ſatis, ediſti ſatis atq; bibiſti,
Tempus abire tibi eſt.

Et in quinta Tuſculana, Cicero inquit, eum ſuo buſto voluiſſe inſcribi:

Hæc

Hæc habeo quæ edi, quæq́ exaturata libido
Hausit, at illa iacent, multa & præclara relicta.

Ac addit Cicero Aristotelem dicere. Quid aliud in bouis, non Regis sepulchro inscriberes? Sed quid de Sardanapalo tantũ famur? quasi Tiberius Romanorũ princeps, non adeo fuerit deditus his illecebris & blandimentis, vt sibi munus constituerit à voluptatibus. Vt enim quidam sunt qui regibus & magistratibus sunt à libellis, ab epistolis, ab equis: ita ille voluit aliquos habere à voluptatibus. Item Heliogabalus, quem nescio an Imperatorem magis, an portentũ dicere debeã, præmia constituit inuentorib⁹ nouorũ condimentorũ, quò gulã et palatũ magis irritaret. Neq́ soli peccârunt hac in re Romanorũ ἀυτοκράτορες: Sed etiã Persarũ Rex, magn⁹ ille inq̃ Zerxes, præmia

quidem

quidem & non vulgaria constituit inuentoribus nouarum voluptatum. Quid dicam de Dario illo qui magos sustulit? cui in Epigrammate sepulchri inscriptum erat: ἠδυνάμην καὶ οἶνον πίνειν πολὴν καὶ τοῦτον φέρειν καλῶς, *potui & multum vini potare, & hoc probè ferre: Ac sanè inter huiusmodi voluptatum gurgites, refertur Philoxenus apud Græcos, qui* γεράνου λάρυγγα εὔχετο ἔχειν: *qui collum gruis habere optauit, vt scilicet diutiùs edendi bibendiq́ titillatione, posset perfrui. Horum & similium Epicureorum in se sententiam suscipiens Salomon, & falsam postea ostendens, vel fortè vti desperatæ mentes faciunt, fatetur se adhuc integro statu religionis & Reipub: vsq́ adeo in delicias & voluptates delapsum, ysq́ ita inescatum, vt paulatim in Dei & suipsius obliuionem traduceretur, vnde &*

hoc

hoc prodit effectum generale, Et ecce ista vanitas, *quod iam ex suis speciebus distribuit.*

VERS. II.

De risu dixi, insanit, & de lætitia, quid efficit ista?

D*Istributio Synecdoches, quâ, omnia quæ comprehensus est primo versu, quæque faciunt ad* ἐνέργειαν *voluptatis, in suas species siue effecta distribuit, scilicet risum & lætitiam, quas ideo recitat, quòd non defuerint, qui lætitiam & risum, summam esse felicitatem hominis comprobauerint: vt Tibareni populi Chalybibus vicini, quorum Apollonius & Pomponius mentionem faciunt, sed ad rem. Mundana inquit gaudia, voluptatem & delitias mecum reputans, inspexi quid haberent boni,*

boni, ac consideraui voluptates, escas esse malorum. Etenim quæ confectio valetudinis, quæ deformatio coloris & corporis, quod turpe damnum, quod dedecus, quod non euocetur atq; eliciatur voluptate? cuius motus vt quisq; est maximus, ita inimicissimus est sapientiæ. Nihil dico de bonis corporis, cùm gula & Venus longè plures interficiant, quàm gladius, vel ordinarius aliquis naturæ morbus aut defect⁹. Quin Galenus de semine lib. 2. scripsit: voluptas nonnunq̃ est per seipsam causa dissoluẽdi vitalem vigorem & firmitudinem. Ac reperti sunt nonnulli, qui animam exhalârunt ob nimiam voluptatem. Prætereo asotos, qui suis patrimonijs, quamuis magnis & amplis consumptis, coguntur infeliciter egere. Hæc inquam, considerans, vidi demum quòd lætari vel ob voluptates, vel affluentiam diuitiarum,

gloriam

gloriam aut aliquid eorum quæ in mundo sunt, mera est vanitas.

Hinc dixi de risu, insanit, *scilicet, dum his transitorijs adeo impensè delectetur, & perpetuum putet, quod velut vmbra fugit. Quicquid enim in mundo præter verbum Dei amatur, carcer animæ est, vbi anima miseri amatoris, vinculo amoris reclusa tenetur atq; ligata, opus igitur est valle lachrymarum potiùs quàm risu, vt ab his miseriarum vinculis colla excutiamus. Vnde & Salomon hic noster, postea accedendū potiùs ad domū luctus, quàm lætitiæ exclamat, quòd in ea finis cunctorum admonetur hominum, & viuens inspicis, quid futurus sis. Ac Ephren Syrus grauis author atq; sanctꝰ, de risus immodici vituperatione scripsit; vbi ponit, nequaquā eum ad hominē sapientem pertinere, bonaq; animi euacuare, intemperantiam augere,*

temę

temeritatem arrogantiamq; alere, dicitq; dominum nunq̃ risisse, fleuisse autem quandoq;. Ethnicorum quoq; considerantium vicißitudinem rerum humanarum, inuenti sunt qui à risu omnino temperabant. Vt L. Craßus pater Craßi diuitis, qui semel in vita traditur risisse, ex quo ἀγέλαστος *cognominatus. Cato senex nunq̃. Philippi Cæsaris filius, in hoc etiam seuerißimus, patremq; in Theatro quondam liberiùs ridentem, dicitur rigido vultu respexisse, ac similis ferè historia, in Saxone nostro extat.* Et de lætitia, *inquit*, quid ista: *hoc est, circumuagare à me longiùs & absiste. Quid enim tu? scilicet conaris me allicere, vt huiusmodi rebus gaudeam, quæ mera sunt vanitas. Sed quæstio hîc incidit, cùm hominum naturale sit ridere, & Dominus in Euangelio dixerit; Gaudete & exultate, quoniam*

merces

merces vestra magna est in cœlo, cur improbat risum & lætitiam? Resp: Non reprehendit Ecclesiastes risum naturalem, id est, modestum & honestum. Etenim risus & fletus, indices sunt modestiæ, & duo, humani affectus extrinseca signa, sed risum dissolutum & immoderatum atq; perstrepentem appellat errorem, talis nempe risus vocatur cachinnus. Similiter non spirituale sed temporale gaudium vocat deceptionem. Illi verò qui præterita mala sua non plangunt, neq; intelligentes ruinam peccatorum cachinnantur & rident, maximè decipiuntur, quòd incerta esse putantur bona perpetua, idcirco suauitate vitæ præsentis decepti, quotidie huius seculi errore vexantur.

VERS. III.

Exploraui in animo meo, ad trahendum à vino carnem meam, (idq; animum meum ducens in sapientia ipsa) amplecterer stoliditatem, vsq; dum vidi vtrum hoc bonum quod facturi sint sub cœlis, numero dierum vitæ suæ.

COrollarium ex prædictis. Ex quo enim vita delitiosa, modici est momenti, & ipsa impedit à consecutione sapientiæ, quæ excellentiùs bonum est, quamuis non tantum tamen, vt in ea constituatur hominis felicitas. Hinc deflectens: Exploraui, *inquit, seu dedi Cor meum, id est, mentem meam & reputaui qualenam bonum esset in hominibus, & quidnam operari poßunt, dum in hoc mundo sunt, ex quo perpetuam in hac vita lætitiam voluptatemq; consequantur. Qualia itaq; sunt humana facinora contemplatus.* Retraxi carnem meam à

vino.

vino. *In cuius malignitate illud impri-
mis apud Athenæum legimus, quòd ſa-
nos quidem homines inſanire faciat, ſtul-
tè loquendo aut reticendo, ex quo pro-
uerbium apud veteres*: οἶνον μὴ ἔχειν πη-
δάλια, *id eſt, vinum non habere calcia-
menta, quòd vberius pateat omniaq́
tamq̃ ſpeculum reddat perſpicua. Vnde
Tripodas duos conſtituêre Apollinis &
Bacchi. Nam ex tripode loqui dici-
mur, cùm vera enarramus. Et vinũ cùm
vera proferens, tripodẽ propriè veritatis
habere dicebatur, hunc ſcilicet ex verita-
te, alterũ verò ex vaticinio. Et Æſchy-
lus poeta ait, æs formæ vinum autem
mentis eſſe ſpeculũ. Vinum inſuper mul-
torũ egregias virtutes obſcurauit, inter
quos eſt Lyſander dux Lacedæmonio-
rũ, vir alioqui cæteris in rebus frugi. Ac
Antioch⁹ magnus, dies totos dormire ſo-
lebat ob vinolentiã, veſperi excitabatur,*

ieiunus pauca dicere videbatur, ebrius verò multa vaticinari. Ideo duos habuit regni rectores, Aristonem & Themisonem Cyprios fratres, quos maximè amabat. Cùm bellum cum Romanis sumpsisset, captus amore puellæ Chalcidensis, cumq; iamiam pugnaturus esset, nuptias celebrauit, hyemeq; tota cum ea, vino, veneriq; pariter indulsit, ex quo superatus fugit Ephesum. Nota est historia Olophernis Cappadociæ regis. Ac postremò Alexander Macedo ab ebrietate, duos dies totidemq; noctes dormiebat. Quare Plinio teste, Androcides scripsit ad Alexandrum: Memento Rex, cùm vinum potas, sanguinem terræ te bibiturum, nam cicuta homini venenum est, cicutæ autem vinum, hoc est, vide quanta sit vini vis, quod veneni venenum est. Sic & fortè noster Salomon, ex huiusmodi temulentia, numinis cæ-

nis cæ

nis cœlestis ac muneris mandati oblitus, addit : cùm amplecterer stoliditatem, *id est, inijssem hanc stolidam viam & rationem viuendi voluptariam. Sed quid tum? certè tum detestatus sum omnem vinolentiam*, vt animum reducerem ad sapientiæ studium. *Non enim simul esse possunt sapientia & ebrietas, vnde & prouerb. 20: luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas, quicunq; his delectatur non erit sapiens. Oseæ 4. Fornicatio, vinum & ebrietas auferunt cor, ac rectè Hieronymus, nihil adeo obruit intelligentiam, vt comessatio & ebrietas, & idem alibi: Venter pinguis, nihil cœleste & nihil tenue cogitare potest. Nec malè iste Philosophus qui dixit: quòd anima cibis & potibus, velut speculum incrassetur intantum, vt in ea relucere ad liquidum non possint rerum imagines. Vanißima est*

igitur hominum iactantia, affirmantium se non nisi liquore perfusos, aliquid præclari efficere posse, vnde & non nisi temulenti operas suas aggrediuntur. Sic Anacreon & Alcæus Lyrici, & Aristophanes comicus, in ebrietate multa scripsêre. Aeschylus item, quare & Sophocles cauillans in eum dixit, ô Aeschyle, εἰ καὶ τὰ δέοντα ποιεῖς, ἀλλ' οὐκ εἰδῶς ποιεῖς: *Tametsi ea quæ conueniunt facis, non tamen cognoscens, facis. Sic & Thimocreon Rhodius, poeta simul & athleta, tale fertur habuisse Epigrāma:*

Multa bibens, tum multa vorans,
malè deniq; dicens
Multis: hîc iaceo Thimocreon Rhodius.

Quid dicam de alijs insanis, apud quos opinio fuit, vt nil nisi in vino præclarum ab ingeniosis aut Poetis ederetur, vt patet ex hoc disticho Demetrij Poetæ:

Dulce

Dulce merum Musis, equus est in carmine velox,
Si quis aquam potas, nil bene parturies.

Quod omnino falsum, cùm plerumque contrà eueniat, vnde & Horatius: Abstinuit cerere & Baccho. Et Iuuenalis: Ac toto vinum, nescite decembri. Et apud Plinium Protogenes, in Ialyso pingendo, plures dies lupinis tantùm madidis vixit: Ac Minos legem à Ioue accepturus apud Homerum, nouem dies in cauerna, summa est vsus abstinentia, quemadmodum Moses apud Hebræos dies quadraginta. Sic & Salomon perhibet de sua temperantia, nempe se non dissolutè & immoderatè postea vixisse: sed ita vt à ratione non discederet, quare & addit : vsque dum vidi, quid hominibus facto opus esset, *id est, reipsa didici, factoque ex me periculo, fui ad resipiscentiam prouocatus.*

VERS. IIII.

Magnificaui opera mea, ædificaui mihi domos, plantaui mihi vineas.

VERS. V.

Feci mihi hortos & paradiſos, & plantaui in eis arbores omnium fru-ctuum.

VERS. VI.

Acquiſiui ſeruos & ancillas, & filij domus fuerunt mihi, etiam poſſeſsio boum & Pecorum, multa fuit mihi præ omnibus qui fuerunt ante me in Ieru-ſalaim.

VERS. VII.

Coaceruaui mihi etiam argentum & aurum, & theſaurum deſiderabilem regum & prouinciarum: Comparaui mihi

mihi cantores & cantatrices, & delicias filiorum hominum, electas mulieres ex præda.

VERS. VIII.

Et magnificatus ſum & auctus ſum præ omnibus qui fuerunt ante me in Ieruſalaim: inſuper ſapientia mea perſtitit apud me.

VERS. IX.

Et omnia quæ deſiderauerunt oculi mei, non negaui eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in his quæ præparaueram, & hanc ratus ſum partem meam ſi vterer labore meo.

VERS. X.

Cumque me conuertiſſem ad vniuerſa opera, quæ fecerunt manus meæ, &

ad labores in quibus frustra sudaueram, vidi in omnibus animi afflictionem & vanitatem, & nihil permanere sub sole.

AMplificatio superiorum, à descriptione Regiæ personæ, eiusq; magnificentia & adiunctis studijs, per distributionem integri in varia effecta, quæ omnia ad paccatam & optabilem vitam, aliquid momenti adferre videntur, de quibus tamen ita pronunciat, vt magis vitæ tranquillitati officere, mentisq; perturbationem adferre iudicentur, quàm conferre solidum bonum. Sit igitur analysis talis:

Si in ædificatione aut plantatione, Oeconomia, opibus, Musica & omni deniq; voluptatum apparatu, beata & optabilis vita posita esset, id si quispiam alius, at Salomon expertus fuisset. Nullius enim ædificia magnificentiora, nullius

lius maiores hortorum ac pomariorum amœnitates, quàm illius fuiſſe accepimus, vt reliqua præteream.

At Salomon hoc negat.

Ergo in ijs non eſt beata vita, ac multò minùs felicitas hominis. Aßumptio, eſt in verſu decimo, quam infert ex partibus integri omnibus negatis. Propoſitio verò in toto & eius diſtributione, de qua ſic inquit : Magnificaui opera mea, *hoc eſt, magnificentiam & vitæ cultum, ſumma cum elegantia amplexus ſum. Primùm* γενικῶς *ſua & non Dei opera nominat, quòd Dei operibus nemo quidquam poteſt adijcere, deinde totum diſtribuit ac ordine commemorat, quæ ſunt illa opera. Sed de magnificentia Salomonis hîc dicturus, priuſq̄ res ipſas aggrediar, primùm monebo vnde nomen habeat magnificentia, tum & addam differentiam, quâ magni-*

magnificentia à ſplendore diſtet, ac poſtremò, proponam pauca exempla ſordidæ magnificentiæ, vt intelligamus Salomonis magnificentiam fuiſſe coniunctam cum honeſtate & frugalitate. Sumpſit igitur magnificentia nomen à magnitudine, verſaturq; in ædificijs, ſpectaculis, muneribus: Splendor autem originem traxit à ſplendendo, quòd ſplendor in ornamentis domeſticis, in cultu corporis, in ſupellectile, in apparatu rerum diuerſarum prælucet. In vtroq; horum ſupra modum copioſus fuit Salomon: Sed tamen non prorſus quamq̃ ex parte, vel ad palati laſciuientem titillationem, aut miluinam potiùs voluptatem, huiuſmodi eſt abuſus, neq; ad inanem oſtentationem, ſicut Nero Auguſtus: qui piſcatus eſt reti aurato, purpura & cocco funibus nexis &c: Ac cuius domus fuit non ſolùm

auro perlita, ſed gemmis, atq́; vnionum conchis diſtincta, cuius cœnacula tabulis eburneis, iiſq́; verſatilibus laqueata fuerint, quò tum flores per fiſtulas ſpargi, tum vnguenta deſuper defluere poſſent. Taceo magnificentiam, vel potiùs voraginoſam ingluuiem aliorum portentorum, quorum multi vt magnifici cenſerentur, pecunias, agros, villas, prædia, gemmas, aut in ludis theatralibus, tumore quodam elati, aut alea, aut in luſtris & cauponis, vitam agentes, dilapidârunt & decoxerunt, ac ludibrio poſtea ſunt habiti, prodigalitatiſq́; maximè accuſati. Quis enim immaniſſimam Gaij gulam ferat? quem Tranquillus affirmat, nepotinis ſumptibus omnium prodigiorum ingenia ſuperaſſe, commentum etiam nouum balnearum vſum, ac portentoſiſſima ciborum ac cœnarum genera, vt qui calidis, frigidiſq́; vn-
guentis

guentis lauaretur, preciosissimas etiam margaritas, aceto liquefactas sorbillaret: conuiuis etiam ex auro panes, atque opsonia apponeret, ac breuiter in condimentis omnis generis, ac dapibus ministrandis, ita redundauerit, vt post exsaturatum populum, magnam reliquiarum vim deijci in flumen iusserit. Mitto hîc Hortensium oratorem, patinas Vitellianas, Apicij gulam, Augusti splendorem, qui (vt apud Suetonium legimus) sæpenumero conspectus fuerit in Deorum habitu, nunc aurea barba fulmen tenens, nunc fuscinam, aut caduceum, aliquando etiam Veneris habitu in publicum processerit. Prætereo infinitos alios, qui magnificentiâ sua freti, nullo modo passi sunt se intra gyrum rationis ac mensuræ coërceri. Vanum profectò genus hominum, totumque in ostentationem & luxum conuersum, cum
quo

quo non erat conferendus Salomon, cuius μεγαλοπρεπία ἀσωτίαν *reyciens supra versu 3: tamquam perniciem beatæ vitæ, res magnas & præclaras, ac imprimis in hac hominum societate vtiles aggressa est. Quare & Salomon regia potestate vsus, diuitiarumq; copia, circa omne possessionum genus effusus est, ac cùm redditus annui ipsi fuerint, ad 666. talenta auri (hæc fuerunt ordinaria) certè extra illa, prouentus illi accedebant infiniti, quos colligebat ex varijs mercatoribus, quosq; quomodo & in quem vsum collocârit, sic perhibet:* Aedificaui mihi domus, *vel magis propriè & peracutè:* Domificaui mihi domos. *Hoc ædificandi studium, præcipuè ex templo Ierusolymitano & domo Dei elucet. Fuit & inter Ethnicorũ templa Ephesinæ Dianæ celebre admodũ, & sanè in eo extruendo, tota Asia laborauit, et*

quidem

quidem multos annos. In loco paluſtri ſitum erat, vnde cùm fundamenta effodiſſent, magnam vim carbonum & lanæ ſubſtrauerunt, ne locus terræ motibus & hiatibus maneret obnoxius, aut fundamenta eſſent lubrica. Longitudo eius fuit quadringentorum viginti quinq; pedum, latitudo ducentorum & viginti. Erectæ ibi erant viginti ſeptem columnæ, quarum vnaquæq; alta fuit ſexaginta pedes, nimirum quò ad ſcapum, quoniam Epiſtilia imponebantur eis magna. Artifex eius templi fuit Cteſiphon, authore Plinio lib. 36. cap. 14. qui cùm ædificando perueniſſet ad poſtes, ibi non poterat Epiſtilia erigere, cumq; animum deſpondiſſet, mori ſtatuerat. Verùm noctu ab Epheſina Diana confirmatus eſt, quæ illi affirmauit in ſomnijs, Epiſtilia à ſe fuiſſe impoſita. Tantus fuit præterea ſplendor

parie

parietum & marmorum eius templi, vt ingredientibus peregrinis dicerent editui: Parcite oculis. Verùm si istud conferamus cum templo Salomonico, videtur quodammodo nihil esse, præsertim quò ad longitudinem & latitudinem, id quod facilè apparebit, si quis diligenter ponderabit descriptionem templi Salomonici. De aula ac domo quid dicam? Reges Ægiptÿ pyramidibus suis construendis, nihil aliud affectârunt, quàm stultam ostentationem. Insanierunt etiam Reges in colossis & obeliscis erigendis: Quin & Romani principes, his suis domibus, propè totam vrbem circumdederunt. Caligula inquam & Nero, quorum posterior præter laxitatem & amplitudinem, quam adhibuit omnia ornauit auro, & idcirco domum quam ædificauit, appellauit auream. In ea verò quanti sumptus facti fuerint, inde colligimus,

gimus, quòd Ottho, cùm primùm imperium adeptus esset, iussit duodecies centena millia coronatorum & quinquaginta millia in apendicem domus conferri. Quæ domus comprehendebat in se nemora, piscinas, & propemodum orbem ipsum. Quid etiam dicemus de theatro Scauri priuigni Syllæ? Id habuit columnas 360. quarum quælibet triginta pedes fuit alta, pars verò illius infima constabat marmore, media vitro, suprema deauratis asseribus, erantq; tria millia signorum æreorum intercolumnijs posita, neq; constructum fuit hoc theatrum ad perpetuitatem & vt diu maneret, sed vt mensem duntaxat extaret. Hæc portentosa & omnino insana erant. Salmonica verò regia, non admodum fuit sumptuosa, sed longè maiores expensæ, maiorq; diligentia adhibita est in templo Dei ædificando, quàm in regia & arce extruenda. Ex quibus apparet,

paret, quod ad officium magistratus pertinet, ædificare necessaria & vtilia ædificia. Subditi igitur suis principibus dare sumptus ædificiorum non grauentur, præsertim si ad publicum bonum fiant. Principes prouideant, ne inanibus sumptibus ædificiorum ciues suos exugant, &c. Salomonis ædificia erant valde necessaria, & non tam ad ornatum & voluptatem quàm ad necessitatem instituta, vt se & suos defendere posset & hostes depellere. Sed quamquam ex DEI mandato huiusmodi ædificandi rationem vrsit, nihilominus subditorum animos à se abalienauit, quòd extruendo templo eos sumptibus grauaret. Ac Ieremiæ 22. reprehenditur Iochaz, quòd sanguine pauperum ædificârit. Sed quid de illis dicemus, qui nullum finem ædificandi faciunt, quiq; vt luxum suum expleant,

sine vlla conscientia, miseris suis subditis, haud secus ac bestijs abutuntur, non cogitantes eos esse sanguine Christi ablutos, & eorum gemitus ac iustas querelas cœlos rumpere, & vindictam à numine cœlesti expetere, tandemq́; ipsis euenire, quemadmodum diuiti illi, de quo Lucas capite 12: scribit, qui cùm moliretur ædificationem horrei, Deum sic concionantem audiuit: Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem parasti cuius erunt? Quare & inde illud commodum colligunt, quod mortem alioquin acerbam exasperent, si cogitant sibi ex suis palatijs excedendum esse, & (velint nolint) parua vrna se contentos esse oportere. Quare & hoc considerans Salomon, nullam felicitatem sibi metiendam ex splendidis ædificijs existimauit. Quare iam ampliùs de suo splendore loquutus perorat. Vers. 5. Splendidè ac

sump-

ſumptuoſè pomaria & paradiſos concinnaui, *proceraſq; arbores, quæ ſponte quodammodo ſua in montibus enaſcuntur, vt palmas, quercus & piceas, variasq; peregrinas herbas præſtantiſſimæ fragrantiæ & odoris, aliaq; ad aromatum & condimentorum copiam imprimis neceſſaria in eis conſeui.* Feci quoq; *piſcinas aquarum, id est, ſtagna diuerſa, fontes, viridaria & viuaria, vt irrigarem ſyluam lignorum germinantium, id est arborum fructiferarum, atq; ideo meminit ſyluæ ſtudio comparatæ, quòd in ea irriganda, magna aquarum copia opus erat.* Hæc *de pomarijs ac ſyluis ideò recitat, quòd in eis venationes, aucupia, hortos & cætera oblectamenta, veriſimile est eum habuiſſe, ac fortaſſe ibi legatos & peregrinos, nec non principes & Reges ad ſe venientes excipiebat, ſed nec in his beatam vitam collo-*

 cat.

cat. Quare & pergit in amplificanda ſua magnificentia, Verſ. 6. Acquiſiui ſeruos & ancillas. Cùm enim vernæ minus ſufficerent in familiari ac domeſtico miniſterio, venalitios mihi quoq; comparaui, ac emi ſeruos atrienſes, mediaſtinos, focarios, muliones, agaſones, oſtiarios, cellarios, fabros, topiarios, ancillas, pediſſequas & alia mancipia, ac deniq; quicquid dici aut excogitari poßit quod domum faciat inſtructiorem, quæ omnia cùm empta, cumq; parata eſſent, animaduerti quantam curam, quantamq; ſolicitudinem exhibent, cùm caduca & fragilia ſint, & ſemper refundenda ac comparanda. Nec tantùm in hominum copia beatus fui, ſed & alios, equos, vaccas, tauros, oues, capras alere magno numero conſiderans, vt vberrimum & honeſtißimum quæſtum facerent, etiam agriculturæ & rei pecuariæ dili-

genter

genter operam dedi. In qua præter boues, vitulos, capras & oues, tam ad sacrificia quàm vitæ humanæ vsus necessarias: Etiam ad voluptatem ociosam, emi psitacos, lucinias, cardueles, cuniculos, canes melitheos, pauones & simias, quæ in delicijs habentur, quòd risum moueant, maximè propter imitationem, quam Aristoteles in Rhetoricis ait voluptatem afferre. Huiusmodi & alia infinita, non ex inopum expilatione comparaui, vt hac ratione mea maiestas, rebus nouis, admirandis et peregrinis commendari potuisset, sed diuitijs immensis. Etenim versu 7. Coaceruaui mihi aurum & argentum, &c. Vitæ genera duo hactenus attigerat, vnum quod deteritur in acquirenda scientia, alterum quod exigitur in voluptatum illecebris, ad quas cùm diuitiæ tanquam instrumenta spectent, nunc ipsarum mentionem facit, ac præter opes,

quibus, ex agricultura & pecore auctus fuit, etiam ex ijs qui stipendia & tributa annuatim soluerunt, ingentem thesaurum se conflasse commemorat. Adeo enim opibus creuit Salomon, vt argentum nihili faceret, quemadmodum sæpenumero vsu venire solet, vt cùm rerum copia, viliora paruipendantur. Cereorum etenim lumen iucundum est noctu & vtile, sed post ortum solis contemnitur, & vbi crescunt generosa vina, ibi aqua & ceruisia à mensis remouentur: Sic & Salomoni, cùm ingens vis auri & gemmarum suppeditaretur, præter scuta maiora, peltas & thronum regium, vasa potoria, omnemq́ supellectilem regiam domus saltus libani, ad maiorem ostentationem voluptatem & delicias, ex puro auro curauit perfici, quòd argentum, quò ad vsum & supellectilem regiam, suo tempore non esset in precio: Sed & huius-

huiusmodi reijcit & ad alia transit, & quidem meritò à felicitate diuitias excludit, quòd primùm instabilitati fortunæ subijciantur, sicut exempla Crœsi Regis Lydorum, & Polycratis Samiorum ostendunt, quorum alter habebat pactolum fluuium aureas arenas profundentem, alter etiam pisces sibi fauentes inuenit, & tamen ambo infeliciter amisso regno perierunt. Supra dixi de Priamo, qui cecidit ante aram summi Iouis vt vetulus bos. Dionysius Siciliæ tyrannus, vix humili duram reppulit arte famem. Ille enim Rex Syracusanorum, qui maximarum opum Dominus, exercituum dux, rector claßium, equitatu potens, propter inopiam tandem, literas puerulos Corinthi docuit. Rex quoq; Syphax, qui fuit eò claritatis euectus, vt validißimorum populorum, non tantùm arbiter, sed & victor victoriæ

 existe-

existeret, parui temporis interiecta mora, catenatus à Lælio legato ad Scipionem imperatorem pertractus est, cuiusq; dexteram regio insidens solio arroganti manu attigerat, eius genibus supplex procubuit. Val: lib. 6. capite vltimo. Non frustra igitur Ammianus Marcellinus, cap. 26: Quiuis inquit beatus: Versa rota fortunæ, ante vesperum potest esse miserrimus. Deinde & homines, sæpe traducunt à pietatis & virtutis studio in voluptatis et malorum sexcentorum gurgitem. Hinc illud, virtus & opes haud aliter quàm duo in trutina pondera, quorum altero degrauante, eleuatur alterum. Sic Euripides πολλῶν τὰ χρήματα αἴτια ἀνθρώποις κακῶν, *pecunia est hominibus multorum causa malorum. Ac vera deniq; comparatio Aristonymi, qui inquit, diuitum vita, est veluti qui altum nauigium tenent: Pauperum verò qui iuxta littus.*

littus. Nihil dico de ijs qui perijsse dicuntur ob diuitias, quòd non rarò diuitibus tendantur insidiæ & calumniæ, cuius rei exemplò sunt in poëtis Sichæus ac Polydorus, in historijs multi proscripti leguntur Syllanis temporibus, ac deniq; in sacris literis Naboth Isreelites, qui propter vineam fuit interemptus, de quibus postea commodiùs. Cæterùm cùm verum sit illud: Quantum quisq; nummorum sua poßidet arca, tantum quoq; habere curarum, sequitur humana consilia & fiduciam, quæ in diuitijs reponitur, ingentium malorum fontem esse ac originem.

IN VERS. Sequentes.

Comparaui mihi cantores & cantatrices, & delitias filiorum hominum, electas mulieres ex præda, & omnia quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui eis, &c.

Musica

Musica ad mœrorem compescendum, morbos mitigandos, leniendos & concitandos affectus plurimùm valet, item ad fallendum labores et animi molestias, quare & Virgilius:

Hinc alta sub rupe canet, frondator
ad auras, &c.

Magnam quoq; vim habet, ad accendendam turpem libidinem & inflammandam variam oblectationem. Nec aliquis est qui ignorat, quanta sit eius vis, cùm vtraq; pars animi habeat & sentiat illic suas titillationes. Sensus auditus, qui disciplinæ ac eruditionis esse dicitur, sonos blandos & suaues admittit, quibus iucundè mulcetur. Mens verò & numeros & modos animaduertit, notat item spacia seu distantias, proportiones & alia huiusmodi, quibus mirificè se oblectat. Et clangor tubæ, non solùm militibus, verumetiam equis addit animos

mos redduntur enim ſolito ferociores, quare & Muſicam eamq́ duplicem: Vocalem ſcilicet & inſtrumentalem non neglexit, vt nihil intentatum relinqueret, quod ad exhilarandos animos accommodum putabatur. Quinimo, ad exſatiandam effrenem quandam libidinem, ſeptingentas vxores principes inter alias dicitur habuiſſe, nec non trecentas concubinas, & ſimul addit omnem oculorum concupiſcentiam & animæ appetitum circa voluptatem (quam & lætitiam vocat) ſe ad executionem perduxiſſe, id eſt, nihil omiſiſſe quod facit ad hilaritatem. Sed conuiuia habuiſſe ſe opipara innuit, & quidem vina ſibi fuiſſe varia, dulcia, auſtera, acinaticia, græca, leſbia, maſsica & phalerna, omnes aues, feras, fructus ex melle arundineo confectos, panes auratos, tetrapharmaca, tripatina, & omnia alia quæ ſolers

lers gula excogitauit, quibus nec poſſum nec ſcio dare nomina. O prodiga rerum luxuries. Sed audiamus quid tandem de his pronunciet.

VERS. XI.

Cumq; me conuertiſſem ad omnia opera quæ fecerunt manus meæ, & ad labores in quibus ſudaueram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi & nihil permanere ſub ſole.

ASſumptio ſyllogiſmi ex omnibus partibus negatis. Cunctis (inquit) ſtudio ac electione ſuſceptis laboribus, hanc cœpi portionem ac ſortem, quòd illorum fruitionem conſecutus composq; votorum factus, deprehenderim ſubtiliorem et nobiliorem eſſe hominis naturam, quàm vt terrenâ quapiam creaturâ aut vllâ huius mundi voluptate ac gaudio quantumuis maximo, exſaturari poſſet. Quare cùm

re cùm hoc præ cæteris vitijs voluptas ac libido habet, vt quodammodo homines ad bruta deijciat, certè in illa non est felicitas hominis. Etenim nulla alia re magis, quàm eâ homines brutesunt, quod etiam poëtæ fabulâ Circes insinuârunt, fingentes Magam illam socios Vlyßis in sues & alias bestias conuertisse. Videant igitur suam felicitatem, qui proh Deûm fidem, ita voluptatis vitio dediti ac immersi sunt, vt dies noctesq; id agant cum lenonibus, cum meretricibus, cinædis, per omnem ætatem, per omnem sexum, per omnia deniq; membra quomodo voluptatem captent, quiq; in quali felicitate constituti sunt experiuntur, dum præsenti pœna castigati, fiunt debiles, macilenti, tremuli, spastici, obliuiosi, podagrici, et vt summatim dicã, sæpenumero apoplectici, nihil est enim quod tam citò vitam consumat humanã, quàm

super-

superflua libido, quod ex volucribus & plantis patefit, cùm passeres eâdem de causa et pisces breuis sint vitæ, caules & arbores citò aut nimium seminis producentes, vel citiùs crescentes flaccescant & tabescant, vt nihil dicam de pœnis diuinis & nunquam consumendis. Meritò igitur addit: Vidi in omnibus vanitatem *scilicet triplicem, mutabilitatis, mortalitatis et* πολυπραγμοσύνης, & nihil permanere sub sole, *id est, omnia temporalia vidi caduca & transitoria.*

VERS. XII.

Quamobrem conuerti me vt aspicerem sapientiam & omnem insaniam ac stoliditatem, quid enim est homo vt sequi posset factorem suum?

Επάνοδος *ad sapientiam. In hoc versu multi faciunt collationem inter Salo-*

Salomonem & alios ſapientes, quaſi ſit πρόληψις per collationem maioris & minoris. Nemo poteſt me exæquare in inueſtigandis rebus humanis, nullo igitur modo, me anteire aliqua cognitione vel facultate, ergo quiſquis ampliùs laborauerit in inueſtigandis rebus, actum quod (aiunt) egerit. Hæc expoſitio parum videtur quadrare. Etenim potiùs videtur Salomon pergere in elencho falſarum opinionum. Ac cùm Salomon concionatorem in hoc libro agat, frequenter loquitur in perſona aliorum, non ſolùm vera dicentium ſed etiam errantium. Fuit inter Philoſophos Simonides, qui cùm inueſtigare non poſſet eſſentiam Dei, in magnam veſaniam prolapſus, dixit non fas eſſe homini, quærere cognitionem diuinorum & eorum quæ ſunt ſupra eum. Hinc illud: Quæ ſupra nos nihil ad nos: Oportere igitur mortalem hominem, mor-

talia tantum ſapere. Hæc Ariſtoteles lib. 10. Ethicorum, qui eam veſaniam refellens, oſtendit, quòd licet homo ex parte corporis mortalis ſit, ex parte nihilominus animæ ſiue intellectus, eſt immortale quiddam & diuinum, fas igitur eſſe quantum fieri poterit ad immortalia & æterna per eorum cognitionem & amorem ſe exuſcitare. Ex perſona igitur huius Simonidis vel alterius, videtur Salomon quærere in ſecunda parte verſus, vt ſit μίμησις προληπτική. Quamobrem me conuerti (inquit) vt aſpicerem ſapientiã. Tranſitio, poſtquam enim vidi in omnibus quæ ſub ſole fiunt vanitatem & afflictionem Spiritus, & quòd ad omnem ventum circumferantur bona iſta terrena, quæ materiam ſuggerunt lætitiæ & voluptati: Inſanire quoq; ac eſſe ſui oblitos, qui in loco miſeriæ & lachrymarum lætandum ſibi eſſe falſò exiſtimant, at-

tonitus

tonitus igitur hac cogitatione, decreui *(inquit)* transire ad sapientiam contem-plandam supra solem. *Qui transitus nimis adeo difficilis est. Etenim nemo in hac mortali vita, sapientiam plenè potest comprehendere. Trahitur enim de occultis sapientia & in occultis inuenitur, semper etiam secretum amat, nec se contemplandã præbet, nisi his qui toto animo ingrediuntur ad eã. Sed hoc valde graue est infirmis, amata scil. deserere, ignota quærere nisi priùs vitæ acerbitatib⁹ erudiantur et incipiant esse amara quæ priùs dulcia erant, vt ita quodammodo compellantur transire inuiti ad sapientiam contemplandam, cuius suauitatẽ cùm gustare cœperint, non iam compelli opus habent, sed sequuntur volentes, & libenter omnia despiciunt, vt hanc cœlestem attingant sapientiã. Moses exod. 2: cùm adhuc esset in eremo et vxorẽ haberet Æthiopissam, nec*

nouiſſet adhuc ignem conſumentem, mirabatur quòd rubus arderet & non conſumeretur: Sed huius ignis admiratione accenſus Moſes, tranſiuit vt videret viſionem hanc magnam, & ſic tranſiuit ad contemplandum ſapientiam, peruenitq́ ad colloquium Dei, quare & miſſus eſt ad populum liberandum. Tranſiuit Abraham de igne Chaldæorum ad contemplationem ſapientiæ, & venit in terram viſionis, quam monſtrauit illi Deus & loquutus eſt ei Deus, Gen. 12: Iſaac quoq́ tranſiuit ad contemplandam hanc ſapientiam, cùm egreſſus eſſet ad meditandum in agrum, & locutus eſt illi Deus, Gene. 24: Sic quoq́ Iacob de Meſopotamia veniens ob hanc ſapientiam, vidit Deum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima eius, Gene. 32: Sic tranſiêrunt omnes Prophetæ ad contemplandam hanc ſapientiam, & locutus eſt eis Deus.

us. Ac postremò ipsi Philosophi, anhelantes ad hanc sapientiam euanuerunt cogitationibus suis, Roman. 1: Quorum alij speciem pietatis habuerunt, sed à veritate exorbitârunt, abiecerunt pecuniam, sed retinuerunt infidelitatis malitiam, & ideo non inuenerunt Philosophi sapientiam, quia non introibit in maleuolam animam sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis Sapient. 1: Sic & Salomon diuinam sapientiam à se repellens, & in eorum inuestigatione perseuerans, quæ extra naturam hominis consistunt, suam sapientiam meram insaniam fuisse, suo magno cum malo didicit. Nam cùm intemperans euaserit, necesse est vt minùs sapiens fuerit, & licet fortaßis alijs rectè viderit, tamen sibijpsi tanquam excæcatus parum cauebat. Etenim luxu & libidine superatus, turpißimè à vero Dei cultu in superstitiones

tiones & idololatriam ethnicam defecit, cui occasioni diabolus non defuit, sed sicut Adamum & Euam deiecit: Ita Salomonem per numerosam turbam vxorum miserè euertit. Esdras etsi liber is apochryphus est, inter ea quæ magnam vim habent, vinum, regem, mulierem & veritatem enumerat, testaturq́; se vidisse Regis Persarum concubinã, quæ illi petulanter admodum insultärit atq́; illuserit. Ethnicæ quoq́; historiæ plenißimæ sunt tristium exemplorum, quibus colligitur γυναικοκρατȣμένȣς, id est, vxorios, quiq́; regnuntur à mulieribus nihil egregium præstare. Cumq́; permulti fuerint, ex eis duntaxat Marcum Antonium proferam, qui alioquin & bellicosus & fortißimus imperator, postquam amoribus Cleopatræ Ægyptiæ se implicuit, nullum insigne ac laudabile facinus edidit, quin & Cleopatra ab ebrio imperatore Antonio, precium

libidinum, Romanum imperium petyt, quod promisit Antonius, authore Flore lib. 4: Quid dicam de Christierno II. qui Hollandicæ mulierculæ Siburgæ voluntati & iussioni tam diu paruit, donec extra regnum à suo ipsius populo eyceretur. Sic & Salomoni vsu ferè venisse legimus. Ac scriptura disertis verbis testatur cor eius non fuisse perfectum: Nec immeritò, quia tota hominum perfectio, in eo sita est, vt ad legem & voluntatem Dei se conforment. Ac Salomon inde iam desciuerat, & languefiebant iam vires eius, non modò corporis verumetiam animi, & indies fiebat seipso deterior. Sed illuminatus tandem per lucem sapientiæ, nunc addit: Sed quid est homo vt sequi posit regem factorem suum: *Non hîc admiratur dignitatem suam, quasi alios ex alto despiciat, sed agnoscit infirmitatem propriam,*

& ad eandem quoq; agnoſcendam alios inuitat, ac oſtendit hominum ſapientiam ſubinde ſtoliditate, contumaciâ & inſaniâ ferri. Si homo non poteſt ſequi factorem regem, multò minùs factorem Deum qui creauit regem ſequi poterit. Sed quis ſequitur Regem? Id eſt ad iubentis imperium per omnia ſe inclinat, legibusq; bene præſidentis obtemperat? Ea enim eſt mentium humanarum contumacia, vt non niſi pœnarum formidine moueantur. Quare & eadem eſt conditio Regis reſpectu mandatorum DEI atq; ſubditorum, in quibus ſeruandis cùm longè magis ſæpius titubet, quàm ſubditi in magiſtratus terreni mandatis ac edictis perficiendis vel cauendis: Longè ergo abeſt vt imitetur creatorem in comprehenſione ſapientiæ diuinæ.

VERS.

VERS. XIII.

Et vidi ego ſuperari ſtultitiam à ſapientia, ſicut lux ſuperat tenebras.

Conceßio de dignitate ſapientiæ in hac vita ex ſuperiore προλήψει, etiamſi homo non poteſt ſequi factorem ſuum, id eſt ipſi aßimilari in ſapientia & factis, quod planè eſt impoßibile, non propterea vacandum eſt ſtultitiæ. Quia cognitio hæc tenuis de diuinis in verbo Dei reuelata longè vtilißima eſt, quia cùm ſit ſuperior, facilè de inferioribus ſcientijs iudicabit. Hoc euidentiùs facit ex collatione ſimilium. Sicut tenebræ ſe habent ad lucem, ſic & ſtultitia ad ſapientiam. Sed tenebræ ipſæ per priuationem lucis fiunt, ita vt lux quidem reuerâ exiſtat, tenebræ verò nihil penitus ſint. Ergo & opera ſtultitiæ tranſeunt, perpetuam punitionem conciliantia ſuis

cultoribus: Opera verò ſapientiæ in perpetuum durant, æternaq; ſuos cultores lætitiâ afficiunt. Obſeruandum hîc non eſſe comparationem aliquam ſapientiæ & ſtultitiæ immediatè. Quæ enim ſeſe mutuò tollunt ac deſtruunt, ſicut ſunt lux ipſa & tenebræ, ſapientia & ſtultitia inuicem non comparantur, ſed comparatio fit reſpectu lucis. Magnum hoc loco Encomion extat ſapientiæ, de quo poſtea audiemus.

VERS. XIIII.

Sapientis oculi ſunt in capite ipſius, ſtultus autem incedit in tenebris, ſed didici etiam ego, eundem euentum ipſis omnibus contingere.

RAtio ſimilitudinis ex contrarijs effectis. Superiùs enim dictum eſt, tantum diſtare ſapientem à ſtulto, quantum dies

dies à nocte & lux à tenebris, sed nunc quomodo hoc fit declarat ab effectis, quoniam ſapientis oculi.

Cùm statuiſſet Deus ex omnibus animalibus ſolum hominem facere cœleſtem, cætera autem vniuerſa terrena, hunc ad cœli contemplationem rigidum erexit, bipedemq́ conſtituit, ſcilicet vt eò ſpectaret vnde illi origo eſt, illa verò depreſſit, vt quia nulla his immortalitatis expectatio eſt, ſed toto corpore in humum proiecta, ventri pabuloq́ ſeruirent. Hominis igitur propè diuina mens, quia non tantum animantium quæ ſunt in terra, ſed etiam ſui corporis ſortita eſt dominaum, in ſummo capitè collocata tanquam in arce ſublimis, ſpeculatur omnia & contuetur. Quam eius aulam DEVS non obductam, porrectamq́ formauit, vt in mutis animalibus, ſed

orbè

orbi & globo similem, quòd orbis rotunditas perfectæ rationis est ac figuræ. Eo igitur mens & ignis ille diuinus tanquam cœlo tegitur, cuius cùm summum fastigium naturali veste texisset, priorem partem quæ dicitur facies, necessarijs membrorum ministerijs & instruxit pariter & ornauit, vtpote oculos in capite, tanquam summo loco hominis collocaret. Sicut ergo oculi in capite tanquam in arce mirificè ad vsus necessarios & facti & collocati, altißimum locum obtinent, ex quo plurima conspicientes fungantur suo munere (vt loquitur Cicero) ita sapienti viro est sapientia sua, quâ circumspicit multa, res bonas adhibet & fugit contrarias. Stultus autem hac sapientia tanquam gubernatrice & rectrice consiliorum & actionum destitutus, tanquam cæcus vitam hanc transigit. Ergo sicut intellectus

verbo

verbo Dei & solida sapientiâ illustratus, oculos in capite & non pedibus habere dicitur, quòd non infimis his quibusq́ & præsentibus rebus stupidus & attonitus hæret, sed potiùs superiora illa & cœlestia bona solus suspicit: Ita & stultus, quando mens eius ad terrena conuertitur sanè in pedibus oculos habere videtur, ac circa limum terræ occupatus. Quare qui bona sua in hac vita, alea perditè dilapidat, aut corporis voluptates sequitur, eius oculi non in capite, sed in pedibus collocati sunt. Siquidem id solùm videt quod est ante pedes, quod verò supra est, cœleste scilicet ac æternum Dei verbum non animaduertit. Simili modo sapiens qui tractans mundana negocia in luce rationis, diuinis verò rebus incumbens, in luce fidei ac verbi Dei ambulat, rem facit & præcauet futura mala, ac perrumpit peccatum, mortem, ipsa

etiam

etiam tartara illæsus, nec ad mortem crus impingit, quòd veram lucem manu gestet, hoc est, Christum fide apprehensum teneat. Nunc sequitur. Sed didici etiam eundem euentum omnibus contingere. προκατάληψις. *Omnia enim secum meditans sapiens noster Ecclesiastes, quæ adferre contra ipsum aduersarij possent, è propria loquitur persona. Cùm multa & varia existant, quæ communia omnibus sint, quæ occursus & euenta appellat: Qualia sunt ægrotare, bene valere, ditescere, paupertatem pati, & præcipuè communis omnibus mors: Aduersarij subiens personam, infert: Si hæc communia sunt stultis & sapientibus, quæ igitur vtilitas demum erit? Suscipisse labores officiosos, & sapientem fieri? Mox autem hoc refutato, ostendit quale sit nobis à sapientia lucrum, ait ergo.*

VERS.

VERS. XV.

Propterea dixi apud me, iuxta euentum stulti mihi quoque eueniet, quorsum igitur tunc plus sapuerim? Itaque dixi apud me hoc esse etiam vanitatem.

Repetitio illationis superioris. Eadē est stulti & sapientis conditio, eademque mors, & quò ad substantiam mortis & sæpe quò ad ignominiam, ac sæpiùs ignominiosa morte obruitur sapiens quàm stultus, ergo cùm laboribus reddantur tam inæqualia præmia, & stulti ac indocti tantum hinc secum auferunt, quantum docti & sapientes, præstat domi ociari, poculis sese oblectare & comessationibus quàm discendo, cerebrum & vires animi excruciare. Huius paralogismi antecedens quod ex versu superiore assumpsit concedit ex necessitate peccati, totam hanc mundi sapientiam nullo modo prohibere posse, quin

vtrique

vtriq; ſint communibus humanæ vitæ incommodis & calamitatibus obnoxÿ, ſed illud ipſum quod hinc in conſequentiam aſſumitur, videlicet non propterea vacandum eſſe ſtudio ſapientiæ ſed genio indulgendum, dicit apud ſe eſſe vanitatem, id eſt, cum magnis erroribus & impietate coniunctum, cuius rei rationem poſtea audiemus.

VERS. XVI.

Non enim erit memoria ſapientis cum ſtulto, eò quod diebus ſubſequentibus omnia tradentur obliuioni, & quomodo moritur ſapiens cum ſtulto?

VERS. XVII.

Et idcirco tæduit me vitæ meæ, videntem mala vniuerſa eſſe ſub ſole, & cuncta vanitatem & pabulum venti cuncta.

Inſtantia

INstantia aduersariorum, habens βεβαίωσιν superioris paralogismi. Non solùm sine omni exempto discrimine, & malos videre licet & bonos malo eodem iactari ac occumbere. Ergo cùm res futuræ ipso spacio temporis obliterandæ sint, sequitur quòd neq; sapientum, neq; stultorum defunctorum memoria constans sit, ac proinde quòd homines ob superbos titulos immortalemq; sui memoriam ponendam, tantoperè in comparanda præclara sapientia & percipienda variarum rerum doctrina occupati sint, vanissimum existit. Consequentia patet in ijs qui tam scientia quàm rerum quas putabant perennes, dedicatione & effecto immortalitatem quæsiuerunt, quorum nomen & memoria, quanquam à paucis eruditis historiarum monimentis prodita sit, à plerisq; tamen in singulis mundi partibus ita suspecta & obscura,

ta existit, vt quod de ijs narretur, fabula potiùs quàm cum veritate censeatur coniunctum. Huiusmodi gloriæ cupiditatem & memoriam quæsiuerunt sapientes illi Philosophi, sed non assecuti sunt. Vix enim inter mille homines vnum inuenies, qui vel nomen eorum cognoscat. Ac etiamsi maximè apud doctos eorum memoria vigeat, interim quid illis prodest? Beroso astrologo ob prædictiones astrologicas, Athenienses publicè in Gymnasio (vt scribit Plinius) statuam inaurata lingua erexerunt, Hippocrati medico: Quia venientem ab illyrijs pestilentiam prædixerat & discipulos ad auxiliandum circa vrbes dimiserat, herculeos honores tota Græcia decreuit. Platoni sapientiæ antitisti, Dionysius tyrannus nauem misit obuiam, ipse quadrigis albis egredientem in littore excepit. Alexander Magnus scrinium vnguentorũ Regis Persarum gemmis & margaritis ipsoq́;
auro

auro precioſum, librorum Homeri cuſto-
diæ dedit, cuius quidem Homeri ita ſtu-
dioſus fuit, vt eum vnà cum gladio dor-
miens ſub ceruicali ſemper tenuerit. La-
cedæmonijs olim Thebanam vrbem com-
burentibus, Pindarus hunc verſum pro
foribus ſuis poſuit: πινδάρου τοῦ μουσοποιοῦ
τὴν στέγαν μὴ καίεται, quo lecto, à domo
Pindari Lacedæmonij incendium auerte-
runt. Quod etiam Alexandrum poſtea fe-
ciſſe cùm Thebas raperet ſcribunt, fa-
miliæ enim Pindari parci iuſsit. Apollo
autem quanti fecerit Archilochum Poë-
tam ex eo apparet, quòd cùm interfector
Archilochi templum intrare vellet, eum
his verbis oraculum prohibuit: Muſa-
rum miniſtrum interfeciſti, exi templo.
Nec non idem magnum virtutis teſtimo-
nium Lycurgo dedit, cùm illi ad oracu-
lum profecto ſic reſpondit: Veniſti ô Ly-
curge ad meum optimum templum, Ioui
charus et omnibus cœlum inhabitantibus,

dubito an te Deum dicam an hominem. Nihil dico de Ennio, Varrone, Cicerone & alijs, quorum Encomia multis retroactis seculis, mirificè sunt decantata, & adhuc ob scientiam et eruditionem, eorum libri per manus eruditorum hominum volitant. Sint sanè hi fructus laborum & sapientiæ, sed eiusmodi tamen quantum ad ipsos pertinet, quid aliud sunt quàm vanitas & inane nomen? Mortui enim ante multa secula, neq; frigefiunt inde, neq; calefiunt, neq; dolor, neq; oblectatio inde ad eos redit. Et siue vituperes eos siue laudes idem erit, aut quid est homo inde melior, quia reputatur ab homine maior? Fallax fallacem, vanus vanum, cæcus cæcum, infirmus infirmum decipit dum exaltat & veraciter magis confundit dum inaniter laudat. Nam quantum vnusquisq; est in oculis domini tantum est & non amplius. Vis igitur tibi

æternam memoriam parare, quære ſapientiam non ob aliud quàm vt plenius Dei voluntatem & agnoſcere & perficere poſsis alijsq́ ſeruire. Quod ſi feceris, nunquam tui obliuiſcetur Deus, etiamſi totus mundus tui obliuiſcatur. Futura tempora cuncta obliuione pariter operient. Εργασία ab inſtabilitate & mutatione rerum humanarum, quibus mutatis vel prorſus conſumptis, ipſa hominum memoria euaneſcit & obſcuratur. Huiuſmodi multa recitantur in hiſtorijs, quæ tantum ob inane nomen ad poſteritatem propagandum, vel potiùs ad ocioſam & ſtultam pecuniæ oſtentationem ingentibus ſumptibus conſtructa ſunt: Qualia ſunt Ægiptiorum, Græcorum, Hetruſcorum, Babyloniorum ac cæterorum aliquot gentium ſuperſtitioſa operum miracula, Labyrinthi, Pyramides, Obeliſci, Coloſsi, Mauſolei, Soſoſtris

& *Amasidis monstrosæ statuæ: Atq́; Sphinx illa admiranda in qua Rex Amasis conditus putatur, quò spectant templa, arces & monasteria superbissimis fastigijs extructa, et in miram altitudinẽ (congesta ingenti Saxorum mole) erecta, multis admodum pecunijs & sumptibus quibus multi pauperes Christi, vera Dei templa ac imagines interea fame, siti, algore, ægritudine ægestateq́; periclitantia, rectiùs ædificari & sustentari potuissent deberentq́. Cæterùm huiusmodi insana ædificia passim vbiq́; terrarum diruta & decurrentis æui vetustate consumpta, potiùs latibula serpentum et ferarum, quàm monumenta immortalitatis spreta iacent. Non igitur Ecclesiastes noster sine causa addit:* Futura tempora cuncta pariter obliuione obruere. *Licet enim hominum memoria in libris vigere possit, in ordinatione tamen reipublicæ oblite-*
rata

rata ac expuncta existit. Ac licet res gestæ referantur ad annales regnorum & vrbium, nemo tamen eas obseruat & curat, posteri non commouentur exemplis priorum, nec contenti sunt ordinationibus priorum, sed meliores conantur facere. Lycurgus putabat suas leges fore æternas, sed fefellit eum hæc opinio. Augustus dicebat se iecisse ea fundamenta reipublicæ vt speraret eam perpetuam sic mansuram, sed posteri eius statim omnia euerterunt. Sic & Salomon noster gubernabat regnum vt speraret perpetuum fore, sed statim post eius mortem Roboamus non contentus ordinatione patris, dum multa moliebatur regnum multis modis attriuit. Idem subinde contingit non in philosophicis saltem artibus, sed & in religione & verbo DEI. Stultum est igitur res suas sic instituere, vt saltem posteris placeant.

Non enim est memoria sapientis. Moritur simul doctus & indoctus. *Alio exemplo vel potiùs repetitione eiusdem in maiorem assertionem, probat vanum esse quærere gloriam nominis & immortalitatem. Est & hic quasi concessio &* λύσις παραλογισμοῦ *Vers.* 15 *propositi.* Moritur quidem doctus & indoctus, *pius & impius, sed non eundem successum habent in futuro. Ergo licet vnus sit occasus sapientis & stulti, & sæpè vehementiùs in hac vita affligatur sapiens quàm stultus, similis tamen non erit memoria in futura vita, nec æqualem percipient remunerationem. Quoniam sapiens in die iudicij ad regni cœlestis eleuabitur gloriam, stultus verò demergetur in æternæ damnationis tormenta. Obseruetur hîc non disputari de sapientia carnali, quæ quamuis eloquentiæ floribus exornetur, nullum tamen in*

se

ſe ſpiritualem nullumq́ perpetuæ beatitudinis fructum continet. Quare & ille verè ſapiens eſt, qui dominum diligit quiq́ mandata eius cuſtodit, & quantum poßibile eſt fragilitati humanæ, DEI voluntatem in omnibus ſtudet implere, de quo paulò inferiùs dicit, homini bono in conſpectu ſuo dedit Deus ſapientiam & ſcientiam & lætitiam. Et idcirco tæduit me vitæ meæ, videntem mala vniuerſa eſſe. *Illatio. Cùm autem nullum ſit bonum ſtabile & permanens, ſed fluxa & euanida mortalium ſors cuncta conſumat, omniaq́ decurrentis æui vetuſtatisq́ iniuriâ obruantur aboleanturq́.* tæduit igitur me vitæ meæ, *id eſt, huiuſmodi omnia conſilia & conatus penitus deteſtatus ſum. Vides quomodo pios tædet vitæ huius calamitoſæ propter externa mala, vt Iobum, Thobiam et Heliam, ſed non tamen aliquid prauiùs in ſe con-*

 ſulunt,

ſulunt, ſed omnia Deo committunt dicentes fiat voluntas tua domine: Impij autem ex indignatione multa mala patrant & nonnunquam ſibypſis violentas manus iniiciunt. Sic Achitophel ſeipſum ſuſpendit, idem fecit & Iudas, ac Saul quoq; autocida fuit.

VERS. XVIII.

Odi etiam omnem meum laborem quo laboraui ſub ſole, quòd eum relicturus ſim homini me ſubſecuturo.

Occaſionem arripiens ex illatione, nunc proponit dilemma. Tædet inquit, me vitæ meæ. Nam etiamſi res omnes meas optimè conſtitui & adminiſtraui, tamen ignoro ſapientem ne an ſtultum hæredem habiturus ſim. Si ſapientem faſtidiet & aliud quæret, cùm ego ipſe mea faſtidiam & noua cupiam, ſi temera-

merarium destruet & habebit eundem laborem in destruendo quem ego in construendo, iuxta prouerbium, Vnus ædificans & alter destruens quid prodest illis nisi labor? Sic Octauius Cæsar ornauit Vrbem, sed Nero eandem vastauit, Pompeius ingentem pecuniæ vim in ærarium publicum collegerat, Cæsar autem vno die totum ærarium exhausit, Meritò ergo, odi omnem laborem meum. *Hunc locum si Midas ob oculos habuisset, non sic studio congerendarum diuitiarum se addixisset, vt meritò* χρυσόμανης *dictus fuerit. Dementat enim homines hoc boni genus si accesserit imprudentes, qui vt laborant de acquirendis diuitijs plurimùm, non autem de filijs quibus ea sunt relicturi, neq; de seipsis qui sunt vsuri. Sunt igitur vt ille qui multos calceos habere voluit, & interea loci negligebat pedes. Etsi autem præclarum est,*

magnæq;

magnæq́; ſapientiæ & prudentiæ filijs proſpicere, eosq́; promouere ad diuitias & honores. Et ob id plerunq́; magnis negocijs ſe ingerunt parentes, & ad ardua officia contendunt, totâ vitâ ſe macerant, immo nec noctu quieſcunt, vsq́; adeo exacuit eos & ſtimulat cura amorq́; habendi: Sæpè etiam & corpus & animum in periculum adducunt tantùm, vt ſuos liberos ad magnos honores euehant, ysq́; amplum patrimonium relinquant. Hoc ſanè etiamſi in natura aliquo modo fundamentum habere videatur, vbi modum excedit tale eſt, vt mereatur iram DEI, quodq́; Eccleſiaſtes deteſtatur: Nempe tantoperè alijs nos in corporalibus laborare, non autem nobisipſis in ſpiritualibus ſed noſipſos planè negligere. Item quòd propter liberos noſtros præcepta DEI tranſgredimur, noſq́; ipſos cum liberis damnamus. Ac deniq́; quòd filijs

filÿs noſtris tantùm terrena, non autem ſpiritualia prouidemus.

VERS. XIX.

Et quis ſcit ſapiens futurus ſit nec ne? Dominabitur tamen omni labori meo, quo laboraui & quo ſapui ſub ſole, hoc quoq; eſt vanitas.

Aſſumptio dilemmatis, in qua laborioſam collectionem pecuniarum & poſſeßionum, hisq; impenſum laborem cum teſtatione odÿ execratur, ac primùm quidem quòd huiuſmodi rerum poſſeßio, perpetuò non duret apud habentem, ſed ipſe quidem vitam egreditur nihil ſecum portans: Alter verò poßidenda accipit, quæ ipſe labore multo cōparauit. Deinde quòd ignorat qualis ſucceſſor ſuus futurus ſit vitâ, intemperatè ne ac luxurioſè victurus, an prudenter & ſobriè diuitias

expen-

expensurus. Etenim multipliciter Deus hunc conatum nostrum frustratur. Nam aliquando filij moriuntur antequam ad hæreditatem perueniant, aliquando etiam mali euadunt et miserabiliter pereunt. Cuius rei documento esse possunt 50 filij Priami, & Artaxersis Mnemonis 115 liberi, quorum magnam partem ei insidias parantem de medio sustulit, vt præteream Thyesteam domum Francisci Busali ciuis Romanensis nobilis ac prædiuitis viri, qui duos filios mutuis vulneribus se petentes vidit, totidem ob seditionem securi percussos, alium nouercam interficientem, filiam verò apud virum veneno sese necantem. Ex quo Euripides ait, bonum esse incognitum carere liberis. Præterea, aliquando quod magno labore eis peperisti, ipsi dilapidant: Aliquando etiam ijs congregas qui nunquam tui recordabuntur. Et aliquando

ab ijs ipsis quibus laboras iniuriâ afficiê-ris. Sicq; hoc conatu vano, nihil consequê-ris, quàm calamitates & animi acerbitates, vt interim taceam de pœnis inferni quæ consequentur. Vis igitur vt prosperè tibi succedant labores circa filios, hæc age. Primò agnosce Deum potiorem esse patrem filiorum tuorum, eosq; non minùs, immo plùs ad eum quàm te pertinere. Hoc si feceris senties dimidium laboris tui ablatum. Laborem enim corporalem tibi assumis, Deum autem vt vero patri curam relinquis. Miserrimus autem es si te vtroq; affligas, nec tamen quicquam efficere potes. Secundò cogita filios tuos nedum corpus, sed etiam animam habere, animamq; potiorem esse corpore. Hinc videbis plùs tibi laborandū esse, vt anima eorum rectiùs habeat quàm corpora, sicq; erudies eos in timore domini. Tertiò cogita filijs tuis non solùm necessaria

esse

eſſe temporalia, ſed etiam ſapientiam & iuſtitiam. Quid enim prodeſt multa bona congerere filios autem negligere, nec eos erudire vt bonorum poßint eſſe capaces? Quartò moriturus ante omnia pro teſtamento filijs Deum propitium relinquito, quod tum fiet, ſi eos in timore domini educaueris. Qui Deum habet propitium, huic ſuo tempore non deerint diuitiæ & honores. Sic Iſaac filio ſuo benedixit ac Deum propitium illi reliquit, id quod euentus monſtrauit. Sic Thobias moriturus filium ſuum inſtruit. Sic & Iob pro filijs ſacrificat. Quod quidem ſi etiam tu feceris, videbis filios tuos tibi iucundos, Deo placentes & Eccleſiæ vtiles, quemadmodum pulchrè docet Pſal. 127: Deinde & Deo gratißimum & tibi vtilißimum facies opus, ac poſtremò & tibi & filijs tuis vitam æternam acquires. Hæc proponens optimè recordor

pium

pium & sanctum virum, M. Erasmum Catholmium hospitem meum olim subinde dixisse profundo gemitu, sibi nihil amplius curæ esse, nec se angi vel de fortuna vel de infortunio suorum, nec nisi hoc vnicum precari & optare, vt cum sua coniuge & filiolo saluetur. Hoc inquit si obtineo, sicut certus sum me propter Christum exaudiri, satis habeo satisq́ue mihi, vxori & filiolo prospexi, cui iam dudum omnia pro voto feliciter successerunt.

VERS. XX.

Et conuersus sum ego vt desponderem animum super omni labore, quo laboraueram sub sole.

REpetitio eiusdem conclusionis ex prædicta indignationis causa. Respicit enim interminationem diuinam de

maxima parte regni extra ſobolem ſuam ad alienigenas principes transferenda. Quòd Deus, tantum ſuum ſcelus minimè inultum vellet, ſed illud hoc modo quaſi prodigio quodam ſtupendo patefacere. Hanc autem interminationem diuinam iam ſtatim à ſua morte in effectum perducendam, ex moribus filij ſui Rechabeami diſſolutis collegit. De quo poſteriore libro Paralip. capit. 13: ſententia fertur, quòd fuerit rudis, timidus & ignauus, ac proculdubio ignauia ac petulantia filij cauſa fuit gemituum & dolorum de rege hærede relinquendo, tum petulantia eiuſdem quæ quodammodo infatuabat ſenem patrem, ne ea prouideret quæ ad regni tranquillitatem & pacem ſpectabant, ipſumq́ Rechabeamũ filium, Dauidis verò nepotem, viuus regem deſignaret, id autem & Salomon iure potuiſſet

tuiſſet (niſi diuinitùs fuiſſet impeditus) non minùs quàm pater Dauid aut ſequentes Reges, quorum authoritas tanta fuerat, vt in deſignandis regibus ex poſteritate ſua, confirmatione populari minimè opus haberet. Quare & Salomon nunc ſenex animum diſtrahens in diuerſas cogitationes, tantæ felicitatis ſuæ horribilem declinationem immo potiùs miſerrimam quodammodo euerſionem ob oculos poſuit, quocirca et ſe miſerè in ruina regni florentiſsimi excruciauit. Sed ſanè cauſæ tantæ ruinæ non celantur. Nec eſt quòd quiſquam dicat hoc non tantum eſſe commune imperijs, verumetiam rebus omnibus vt quando ad culmen peruenerint ſummum, viciſſim καταστροφὴν habeant. Ac ſunt quippe fateor certa quædam initia, faſtigium & exitus, vt calores ſuum ortum in fine veris habeant, ἀκμὴν autem diebus

canicularibus qui deniq; post autumnum extinguuntur. Sed harum varietatũ extant certæ causæ, quæ in naturalibus disciplinis facilè deprehenduntur. Verùm in regnorum ruina hæc causa momentanea est. Etenim idcirco declinant & deijciuntur regna, quòd homines inconstanter se habeant. Nam eos tandem illius hominis pœnitet quem euexerunt et ab initio vehementer sunt admirati, verùm talium motuum ex diuinis literis altiorem causam didicimus. Ibi autem traditur, imperia & regna Dei prouidentiâ gubernari, atq; summa ratione transferri de gente in gentem, nimirum ob peccata cùm eorum qui regnis præsunt: tum etiam populorum qui subyciuntur. Quare & talium rerum consideratio, causa proculdubio fuit tantarum in Salomone acerbitatum, ac imprimis quòd fidei ac pactis cum DEO initis non steterit.

Memi-

Meminerimus itaq; externa bona non esse affectu tanto expetenda & prosequenda, quanto ab imperitis hominibus expetuntur & desiderantur. Ea enim est humana infirmitas & ingenij mortalium imbecillitas, vt illis modum non facilè imponat. Cuius quidem rei & sacræ & profanæ literæ multa suppeditant exempla, ac imprimis scimus quo furore Alexander Macedo percitus, qui per vniuersum orbem ferè auctus absq; modo tamen & ratione gloriam & diuitias quæsiuit, qui etiam eò est adductus, vt alios mundos præter hunc expugnandos existimaret. Vnus pellio iuueni non sufficit orbis. Quo morbo etiam Iulius Cæsar laborans, manus iniecit patriæ ac eius iura & libertatem temere violauit. Sit igitur moderatum desiderium piorum hominum, & certis iustisq; terminis finiatur. Et tam in honoribus quàm alijs

rebus percipiendis, Augustini sequantur consilium. Neq; totum accipias (inquit) quod offertur nec totum respuas. Nam qui reijcit quicquid honoris deferatur pro rebus à se rectè & præclarè gestis, dona DEI videtur quasi deprimere ac nolle agnosci, quod sanè à vera pietate alienum est.

VERS. XXI.

Siquidem est homo cuius labor sit confectus cum sapientia, scientia & æquitate, homini autem qui non laborauerit in illo, tradit illum in partem ipsius, hoc quoq; vanitas est & magnum malum.

VERS. XXII.

Nam quid superest illi homini ex omni labore suo & ex afflictione animi sui quâ ille laborauit sub sole.

Αὐξησις

Aύξησις indignationis odij à comparatione plebei hominis, nimirum minori ad maius. Si tenuißimi homines acerbè ferunt, alienos & exteros hæreditatem suæ gloriæ cernere. Non mirum est inquit, si propter eandem rem, hanc vitam acerbam puto. Sed verum est antecedens, ergo & consequens. Antecedens patet ex communi experientia & inductione in singulis humani generis statibus. Naturâ enim ita comparatum est, vt omnes sibi ac suis rectiùs fieri velint quàm alienis. Quam amoris prosecutionẽ primus naturæ gradus excipit. Nam vt meritò primum amoris vinculum ducitur plurima & maxima beneficia dedisse, dum lucem quasi suis impertit vitalem: Ita proximum iudicare debet eandem præsidijs necessarijs quàm maximè fouere & exornare. Hinc crebra exaudiuntur & sterilium & parentum qui liberos

amisêre suspiria. O vtinam mihi aliquis superstes esset, qui me tantum facie referret, cui laborum quos maximè duros exantlaui fructum legarem, non me omnino desertum, aut aliâs cassum vitæ humanæ vsura, mortuum, sed in eo reuiuiscere iudicarem. Quid dicimus? Filius sapiens cor est patris, lætitia patris, anima patris, filius fortis, baculus est paternæ senectutis. Ac ægrotus pater siue auus & prope vitæ finem constitutus, filios & nepotes suos circumstantes & consolantes se cernens, sibi mori non videtur. Videt enim quodammodo per prolem suam se immortalem. Et si moritur (vt naturæ necessitas fert) animo æquo moritur, quòd sciat quibus sua bona obueniunt, & eò moderatiùs impetum sustinet mortis. Ac sanè longè impossibile est describere paternum amorem erga liberos. Etenim si quand, vsu venit vt filius

filius ante patrem moriatur, conſiderate
& animaduertite quibus ſuſpirijs, qui-
bus moleſtijs, & deniq; quibus lachrymis
eum proſequatur pius pater. Dauid rex
filium fratricidam & rebellem, mortuum
accipiens, non potuit ſibi temperare quin
alta voce clamaret, fili mi Abſalon, Ab-
ſalon fili mi, quis mihi tribuat vt ego
moriar pro te? Abſalon fili mi. Hector
Priami filius, filium habuit nomine Sca-
mandrum quem Troiani ob ſingularem
in Hectorem beneuolentiam Aſtyanacta
vocabant: quaſi regem vrbis: Hunc in
excidio Troiæ mater Andromache cela-
uerat: Vt poſſet diſcedentibus græcis
ſupereſſe: Sed minis Vlyßis coacta
fuit filij latebras reuelare, & euocans
filium hortatur illum vt ſupplicet Vlyſ-
ſi, nec recordetur ſe iam eſſe filium
Hectoris aut nepotem Priami, quo-
niam ita fortuna impotens ferebat.

Eam ergo ſic loquentem inducit Seneca:

Huc è latebris procede tuis,
Flebile matris furtum miſeræ.
Hic puer, hic eſt, terror Vlyſſe
Mille carinis: ſubmitte manus,
Dominiq́ pedes ſupplice dextra
Stratus adora: nec turpe puta,
Quicquid miſeros fortuna iubet:
Pone ex animo reges atauos,
Magniq́ ſenis iura per omnes
Inclyta terras: excidat Hector.
Gere captiuum: poſitoq́ genu,
Si tua nondum vulnera ſentis,
Matris fletus imitare tuæ.

Hic ſanè maternus dolor incredibilem quendam erga filium amorem declarat. Sed omittamus plura lugubria cùm nemo ſit qui non agnoſcat ſapientiſsimè locutum Salomonem.

VERS. XXIII.

Omnes enim dies eius ſunt dolores, & ſolicitudo eius eſt anxietas animi, & ne noctu quidem quieſcit cor eius. Hoc eſt vanitas.

DEſcriptio vitæ humanæ ab eius adiunctis, curis ſcilicet & occupationibus, quæ peculiare quoddam vanitatis humanæ exiſtunt argumentum. Homo enim cæteris alioquin animantibus à labore ſuo quieſcentibus, ita negocijs gerendis diſtrictus eſt, vt noctes quidem inquietus traducat. Ergo cùm omnis labor in quo occupatur vel bonus ſit vel malus, & ab electione conſilij adueniat, ſi bonus ſit, id eſt, ſi operam virtutibus impendat laudandus, quòd à Deo præcipiatur: Sin verò circa vitium occupetur, omnes illius dies tranſeunt in plenitudine dolorum, iracundiæ,

occupa-

occupationis ſolicitæ ac vigiliarum. Hæc enim omnia conſequuntur eos, qui circa inane ſtudium vitæ huius verſantur, rectè ergo & hoc vanitas.

VERS. XXIIII. & XXV.

Non igitur bonum in homine (niſi) quòd comedat & bibat, & oſtendat animæ ſuæ bonum in labore ſuo, etiam hoc vidi ego, quód de manu DEI illud (eſt) &c.

Πρόληψις *quâ repetit* ὑποφορὰν *aduerſariorum. Quæ media (inquiunt) ſunt et indifferentia nec mala per ſe nec bona, ab ipſo vero Deo hominibus obueniunt, qualia ſunt diuitiæ, bona valetudo, authoritas et potentia eis frui optimum eſt. Si ergo hæc dantur ab ipſo Deo hominibus, & reliqua in mundo tam inſolenter*

ter & ἀπροσδοκήτως accidunt, neq; in ijs quæ humanâ sapientiâ peruestigari siue prudentiâ geri possunt, inuenire potest homo, cuius adeptione meritò beatus appelletur. Sequitur nihil meliùs esse homini quàm edere, bibere, seq; totum voluptatibus ac delitijs mancipare, inq; his beatam venari vitam. Hunc paralogismum primùm reijcit, quod ex deceptione falsæ causæ sit compositus, deinde & occurrit κατὰ ἀντεναγωγὴν. *Reiectio autem talis est quòd omittantur quæ præcipua sunt, videlicet impoßibile esse posse edere, bibere & voluptatibus se immergere sine commoda valetudine. Iam autem quum valetudo & sanitas sit singulare Dei donum, additur hoc superpondium.* Etiam vidi quòd in manu DEI est, *id est, non est volentis neq; currentis sed miserentis Dei. Roman. 9: Non poteris tuis studijs & conatibus peruenire ad*

quietam

quietam & veram vitam nisi Deus de-
derit. Cui Deus cibum benedixerit, is
veram in cibo sentiet dulcedinem. Sic fi-
lij Israël inuenerunt in Manna omnem
suauitatem. Sic Helias in subcinericio
pane & potu aquæ tantam inuenit for-
titudinem, vt quadraginta diebus non
indigeret alio cibo. Sic Daniel & socij
eius ex leguminibus fortiores facti sunt,
quàm alij ex cibis regijs. Deus enim be-
nedicebat. Vbi enim Deus non benedi-
xerit cibos, ibi nunquam inuenies veram
dulcedinem etiamsi delicatißimè sint pa-
rati. Nullo igitur modo poterit reperiri
in his beata vita nisi Deo dante. Qui igi-
tur se effundunt in voluptatum prata vt
beata fruantur vita, tantum abest vt
voti fiant compotes, vt etiam iacturam
faciant valetudinis OPT: MAX:
DEI singularis doni. Quoniam vt à
Physicis traditur nec ignoratis, corpus
nostrum

nostrum consistit humido, sicco, frigido, calido. Quoties igitur ex istis vnum plùs æquo dominatur, corpus flaccessit & in ægritudinem labitur, quod sanè nulla alia re quàm intemperie accidit. Quare & bene Aristoteles Philosophus, I. problemate quæsiuit, διὰ τι ἁι μεγάλαι ὑπερβολαὶ νοσώδεις, *id est, quare magnæ exuperantiæ pestilentes sunt? Qui respondens subijcit: Quia aut excessum aut defectum faciunt, huiusmodi autem est infirmitas. Videmus enim eum qui supra modum edat aut bibat, breuì, crapulâ & edacitate perire: Contrà qui nihil aut nimium edat aut bibat, marcescere & in phtisin, id est tabem incidere. Eodem modo qui nihil dormiat aut qui nimium, necesse est eum quoq; morbo perire. Quæ etiam annotauit Hypocrates princeps medicorum. Somnus & vigiliæ*

vtraq;

vtraq́; supra modum facta ingens malum. Et idem οὐ πλησμονὴ ἢ οὔλημος, οὐκ ἄλλο οὐδὲν ἀγαθὸν, neq́; repletio, neq́; fames aliquo modo bonum. Ac quod de vita humana dicitur, idem in brutis, idem in plantis & seminibus videre licet, vbi à nimio humore seu frigore necantur sata, à nimio verò siccitate seu feruore & exciccantur & comburuntur. Quare cùm tanta incommoda proueniant ex nimia repletione & comessatione, optima & quietißima vita videtur moderatè & cum gratiarum actione vti Dei donis, contentum esse præsentibus ac in Deum reÿcere curam futurorum, omnia accipere vt Deus dederit, in præsentibus non eleuari, in aduersis sperare meliora. Deniq́; in omnibus cordis quietem habere. Qui talis est, feliciùs & iucundiùs viuit, quàm qui omnium rerum copiam habent, maioremq́; voluptatem ex pauculis

illis quæ habet refert, quàm alij ex immensis diuitijs. Hinc Apollo Aglaum quendam rusticum pauperrimum, qui terminos agelli sui nunquam excesserat, feliciorem pronunciauit Gyge Lydorum rege opulentissimo. Hinc Diogenes dolium suum omnibus Alexandri bonis præferebat, nec tantam securitatem & quietem Alexander in toto regno habere poterat, quantam iste in sua paupertate. Rectè ergo Tobias dicit: Pauperem quidem vitam ducimus, sed multa bona habebimus si timuerimus Deum. Sic & ipse Salomon prouerb. 30: Diuitias & paupertatem ne dederis mihi, sed tantùm victui meo necessaria. Quare & Christus vt ostendat quæ sit vita quieta, ad auium exempla Matth. 6: nos remittit, quæ sumunt quid occurrerit sine cura meliorum, interim semper lætè cantillant. Sed sequitur.

VERS. XXVI.

Quis ita vorauerit aut delitijs difflu-
xerit vt ego?

Ανταγώνισμα à propria experientia. Experto credendum est. At ego super omnes expertus sum delitiarum vsum, ergo mihi credendum est. Hinc connectit, si ex ipsis comessationibus & non ex manu Dei dulcedo esset, ego verè felicissimus fuissem cùm omnia abundantissimè haberem. Atqui ego contrarium expertus sum, certum igitur est è manu domini verum gaudium esse, assumptio γραφικὴ est 3 Melachim 4: Hæc autem ibidem ideo referuntur, vt ex ijs opes & gloria Salomonis intelligantur. Vnoquoq; enim die multum similæ, plurimum farinæ, permultos boues pascuales & saginatos, oues item permultas ab-

sumebat

ſumebat ipſius aula. Ac præter ceruos, capreas, aues altiles & peregrinas, Ioſephus piſces & alia adiecit, quanquam in ſacra hiſtoria minimè recenſeantur. Quæ omnia ad rerum affluentiam inanem plenamq́ iactantiam nec non prodigalitatem vitioſam, quàm frugalitatem moderatam referri poſſunt.

VERS. XXVII.

Homini enim qui bonus videtur in conſpectu ipſius, Deus dat ſapientiam & ſcientiam cum lætitia: Peccatori autem dat occupationem ad congregandum & congerendum vt tradat ei qui bonus videbitur in conſpectu eius, etiam & hoc vanitas.

COnclusio huius capitis à contrarijs & eorum effectis: Quorum illi conſequi dona DEI poſſunt & ijſdem

rectè vti, hi verò minimè. Prior itaq; propositio & eius effectum sic describitur: Homini enim qui bonus videtur Deus dat sapientiam. *Hæc propositio cùm non nisi ex descriptione hominis boni intelligatur, sciendum quòd is in conspectu Dei bonus dicitur: Qui per fidem in Iesum Christum iustificatus, à peccato absolutus, & in gratiam Dei receptus est. Vis igitur bonus esse ac Deo placere, primò omnium cura vt iusticiam & gratiam immo ipsum Deum in corde habeas, quod saltem per Christum consequi potes. Hoc si feceris, quocunq; te verteris inuenies gaudium etiam in aduersis, sin minùs nec Paradisus ipse te oblectare, aut vllæ diuitiæ exaturare possunt. Ac sanè quicunq; pius fuerit, en qualia quantaq; bona ipsi Deus dederit: nimirum sapientiam, vt dirigatur rectè in diuinis, scientiam vt feliciter procedat in huma-*

humanis, ac deniq; lætitiam cordis & corporis. Qua ratione homo pius in hoc mundo meliùs habet quàm impius. Etenim beatitudo eius hîc incipit & in perpetuum permanet stabilis. Sed cùm contrariorum eadem sit disciplina ac iuxta Iureconsultum ferro viam apperit qui per contraria transit, explicato contrario affirmato, facilè intelligitis contrarium negatum, de quo sic ait: Peccatori autem dat Deus afflictionem & curam superfluam, vt addat & congreget ei qui bonus videbitur. *Ex superiore descriptione iam non difficulter intelligimus impium nimirum ipsum, qui habeat* ἕξιν *peccandi, tum eius adiuncta, quare & effecta quoq; non erunt obscura. Etenim impij quærunt iucundam vitam & nunquam inueniunt. Nam impijs dat Deus res ipsas, scilicet diuitias &c. Sed pijs dat earum fructum, videlicet satietatem &*

 volup-

voluptatem. Impij congregant sed demum quæ congregauerunt contingunt his qui Deo placent. Ac demum quæ impij laborant & ædificant ijs nemo rectè vtitur, nisi soli pij. Summa, cui dominus non fauet nec lætitiam, nec sapientiam concessit, is dies noctesq́ ad lætitiam comparandam nititur: sed nusquam illam inueniet. Nam si Deo & germano pietatis succo destitutus fuerit, nullus ei satis Paradisus iucundus erit, nullæ diuitiæ saturare poterunt, ac nulla deniq́ potentia ei sufficiet. Hoc sanè ex historia Alexandri Magni quam proximè docendo attigi percommodè intelligitur. Is enim Monarcha totius mundi, cùm ex Democriti doctrina: innumerabiles esse mundos cognouisset, illachrymasse fertur ac dixisse: ô me miserum cuius nondum vnius mundi domino esse licuit. Iam si Alexander decem mundos in sua
potesta-

potestate habuisset: tamen ei satis non fuisset: Vacuum igitur & inanem adferebat animum iam ante à Deo non saturatum, vnde etiam accidebat vt quicquid erat, ei adimeretur, nec vllum fructum inde percipiebat, neq; in eo acquiesceret etiamsi mundus duplo maior fuisset. Sed ita Alexandro ceßit sua immensa potentia, quemadmodum illi cui nullus cibus sapit, nisi ipse saporem & condimentum secum afferat. Quemadmodum de Dionysio tyranno scriptum legimus, cui de cibo insipidiore conquerenti, respondit coquus. Non esse cur id mirum videatur quòd comedens, ipse saporem & condimentum secum non attulerit, intelligens laborem, sudorem, famem, sitim, quæ imprimis sapidum cibum efficiunt. Idem & nos dicere possumus de omnibus DEI donis quæ non sunt voluntatis aut προαιρέσεως alicuius

hominis, ſed dominus ea ſibi ſoli reſeruat, quòd velit ea ex ſola ſua manu peti, nec vel guttam eorum penes noſtros conatus aut voluntatem reſidere. Memorabile igitur eſt vltimum huius capitis, nimirum Deum OPT: MAX: permittere, eos quos improbat, multum laborare & magna moliri, donec ingentes vel etiam mediocres diuitias accumulauerint, quas tandem alijs poßidendas tradunt, qui acquirendis eis nihil laboris poſuerunt, neq; earum acquiſitores quibus gratias agant dignos iudicant. Quod ſanè & Salomon in ſuo regno expertus eſt. Quem Deus multos & magnos labores aggredi voluit, quoad multorum regnorum dominus fieret, quæ moriens homini ſibi inimico ac infeſto reliquit. Quæ profectò ſors ac conditio Saülis fuit. Is enim multas & magnas contentiones vt regnum Iſraëliticum obtineret, ſuisq; filijs hære-

hære-



hæreditarium faceret, suscepit. Verùm Deus illud suo tradidit Dauidi. Sic Iulius Cæsar, imprimis summa & corporis & animi contentione in id incumbebat, vt potentia et opibus præ cæteris ciuibus Romanis conspicuus esset, quæ tamen omnia ys reliquit à quibus erat crudelissimè interfectus. Quod sanè (si vlla res) mera existimandum est vanitas.

CAPVT TERTIVM.

IN fine secundi capitis hanc esse optimam vitam dixerat, dum homo in suis laboribus animæ suæ bona ostendit, id est, eam quiescere sinit à curis & solicitudinibus: Ita nunc pergit in hoc capite confirmare, quàm vana sit omnis cura et solicitudo nostra, cuius rei argumenta sumit à contrarietate siue repugnantia re-

rum omnium quæ sub sole sunt, quarum instabilitas & variatio proficiscitur ex sapientissima Dei administratione homines occupantis, & ad reuerentiam sui reuocantis. Sit autem ex quæstione syllogismus connexus καταφατικός.

Si implexa causarum series omniaq́; quæ in ea comprehenduntur, tempori obnoxia sunt & sibi sunt contraria, sequitur tam tempora quàm omnia quæ in tempore geruntur, ab alia causa principe optima ac perfectissima propendere, Deo videlicet omnium conditore.

Sed verum est prius, ergo & posterius, & per consequens vana ac inutilis est omnis solicitudo nostra, nisi à DEO omnipotente vera rerum omnium causa dirigatur, qui quatenus in generationem rerum & euentuum progrediens, occultam latentium rationum potentiam firmissimè in lucem producit.

Assump-

Assumptum confirmat ἐπαγωγικῶς versibus 8. proponendo primùm, & soluendo vsq; ad finem capitis. Cæterùm vt ἐπαγωγὴ rectiùs intelligatur, talis instituitur ἐναντίωσις & rerum humanarum alternatio. In tempore omnia maximè sibi contraria contingunt. Nata sunt aliqua, deinde emoriuntur. Plantata sunt deinde subuertuntur, quæ nunc curabilia deinde letalia, extruuntur ædes paulò post solo æquantur, lacrymatur quis paulò post ridet, nunc luctus deinde tripudium, nunc terrena quis congregat deinde abijcit, & nunc insano amore in mulierem exardescit eandem deinde aliquando capitali odio insectatur, nunc quis dedita opera quærit aliquid qualecunq; id sit, deinde illud ipsum rursum disperdit, & nunc anxia seruat custodia quod deinde fastidiens spontè profert, nunc qui occidit

deinde

deinde occiditur, locutus est quis idem postea obticuit. Dilexit, non multò post odio habuit. Humanæ res, bellorum motibus nunc turbantur, nunc vacant, & si quando bonæ felicesq; videntur, subitò in aduersas & ex confesso malas euergunt. Atq; hæc de inductione de qua sic inquit.

VERS. I.

Omni rei est tempus constitutum & tempestiuitas est omni desiderio.

Προκατασκευὴ *quâ & præcedentem doctrinam confirmat, tum sequentium fundamenta iacit. Ostendit enim non esse mirum, quòd & omnem scientiam humanam & vsum deliciarum ac opum in vanitate posuerit, quia vt fluunt, semper voluuntur & reuoluuntur perpetua conuersione tempora: Ita etiam res omnes quæ sunt in tempore, instabilitati*

temporis ſubiecta ſunt. Quocirca & hæc perpetua rerum alternatio efficit, vt vnum pereat, alterum ſuccedat pereunti, & omnia ſuis vicibus eueniant, ac proinde omnia intus & foris corpore & animo inſtabilitati temporum ſubiecta ſint. Sed ex verſu vel potiùs ex poſitione non ſequitur. Si omnia tempus habent, ergo æternæ diuinitatis ſubſtantia tempus habet. Reſpond. Rerum aliæ temporariæ, aliæ verò æternæ ſunt: Ac æternæ quidem inuiſibiles ſunt, & ſupra ſolem conſtitutæ. Hîc autem loquitur de ijs quæ ſub ſole ſunt quæ tempori ſubijciuntur: Sed ineffabilis ac æternæ diuinæ maieſtatis eſſentia, quæ omnia creauit ex nihilo non loco clauditur, nec vllo tempore vel ſpacio terminatur. Quare & Salomon vt oſtendat de quibus loquatur, iam deſcendit in ἐπαγωγὴν alternantium & ſibi repugnantium in tempore, quarum

alias

alias DEVS naturæ legibus constrinxit, aliæ ab hominibus vltrò suscipiuntur artificio & industriâ perficiendæ, alias huius vitæ necessitas accersit, de quibus sic inquit.

VERS. II.

Tempestiuitas nascendi & tempestiuitas moriendi, tempestiuitas plantandi & tempestiuitas euellendi quod plantatum est.

Confirmatio προκατασκευῆς *per* ἐπαγωγὴν *exemplorum quæ sumuntur ab effectis in adiuncto tempore, quæq; in tempore & originem & euenta sortiuntur pariter. Inesse enim ipsis temporibus multa ac magna, vel ad res plæclarè gerendas adminicula, vel quæ nobis magnum quiddam molientibus, moram aliquam inserant ac impedimenta, itemq; rerum vel fugiendarum vel expetendarum occasiones, exploratè cognitum habetur:*

tur:

tur : vnde & tempora alia alijs duriora, & multæ eorum qui in difficilia tempora inciderunt querimoniæ existunt. Quare & veteres καιρὸν *quem nos occasionem siue tempestiuitatem dicimus (teste Callistrato) pulchrum puerum ac Deum rotulæ fingebant summis digitis insistentem, alatis talaribus, nouaculam in dextra, crinibus tantùm anterioribꝰ, occipitio caluo, vt planè significarent à breuitate commoditateq́ temporis nos deseri nunq̃ redituros. Quapropter omnibus bonis curæ erit, ne frustra labatur. Ac Lacedæmonijs tanta fuit huius rei obseruatio, vt nemini permitterent extra virtutem sibi vacare. Ac argumento id præter alia fuit, quòd Ephori quondam animaduertentes quosdam iuuenes ambulatione vespertina vti, præceperunt eis vt abstinerent, veluti se non exercentes, sed in delicijs vtilem diei partẽ consumentes, tempore abuterentur,*

optare

optare enim Lacedæmonios non per ambulationes, sed per gymnasia & virtutem bonam corporis habitudinem ac vires quærerent. Sic & Salomon vt ostendat quicquid deliberationis, studij & laboris in rebus humanis sine Dei nutu & voluntate suscipitur, inanem esse curam ac solicitudinem, de ijs quæ in tempore geruntur diligentißimè differit, ac initium facit ἐπαγωγῆς, *à termino vitæ humanæ, cuius ortus & occasus Soli Deo notus est. Quoniam ipse instituit & tempus in quo vnusquisq; & nasci & rursus vitæ lucem ponere debeat. Nemo igitur, etiamsi curis & cogitationibus ad mortem vsq; se conficiat, partum ante suam horam producere poterit, in sola enim Dei manu hoc situm est, quando ac quales nascamur. Ac sicut nasci suum tempus habet definitum sic & mori, ipso Iobo teste: Breues inquit, capit. 14: dies* *homi-*

hominis ſunt, numerus menſium eius apud te eſt, conſtituiſti terminos qui præteriri non poterunt. Hunc terminum nemo ſua cura vitare poteſt, id quod plura exempla probant, etiam hominum gentilium. Qui ideo tantâ diligentiâ conſcripſerunt annos climactericos ſiue ſcanſiles, quòd in fine cuiuſq; periculum vitæ humanæ poſuerunt, præſertim 49. vbi numerus ſeptenarius quadratus venit, quiq; idcirco vocantur climacterici, quòd ad eos quaſi gradatim veniamus. Ac Plato climactericos ex nouenario conſtare voluit, quapropter ſexageſimi tertij magnam eſſe vim dixit, quòd ex vtroq; multiplicato conſiſtat. In quo anno periêre Ariſtoteles & Cicero, ac noſtra ætate Lutherus & Philippus. Maximè autem ſenes plærunq; 81. non præteriêre, in quo deceſſerunt Plato, Dionyſius Heracleotes, Diogenes Cynicus, Eratoſthenes

geographus & Xenocrates Platonis cus. His verò qui hunc terminum prœterierunt labor & dolor. Certum igitur est neminem vitæ suæ terminum posse præuenire. Nam etsi in summo periculo constitutus quis sit, & extrema desperatione: tamen non moritur nisi sua hora. Sed videntur quidem aliqui præuenire tempus mortis, vt qui seipsos præcipitant, suspendunt, vel malis factis agunt, vt violenta morte hinc tollantur, sed verè non præueniunt. DEVS enim permittit vt hanc habeant horam, & ea media ac illud deniq; genus mortis, verùm iusto & occulto iudicio. Sic quidam accipiunt letalia vulnera & tamen facilè sanantur, cùm alij vix leuiter læsi moriuntur, hoc autem fit quia MORI tempus definitum habet. Etsi autem alij huiusmodi astris, alij fortunæ im-
putent,

putent: ſciendum tamen eſt quòd ſcripſura ea DEO attribuat, apud quem ſunt vitæ & mortis noſtræ momenta poſita, & apud quem non refert magno an paruo vulnere pereas, vt confundantur omnia conſilia humana. Summa, nulli non certa vitæ meta poſita eſt apud DEVM, adeo, vt nedum anni ſed & menſes, dies, horæ deniq; & horarum momenta, perinde atq; capilli capitis noſtri apud illum numerati ſint. Hoc & Homerus aliquo modo intellexit, qui horas, cœli foribus aßiſtere dixit. Veruntamen etſi occulto vt dixi iudicio, varijs vtitur inſtrumentis ac medijs DEVS ad hoc, vt vnumquemq; termino ſibi præfinito è terris ſubducat: Alium enim ſubitanea morte, alium ferro, alium igne, alium aqua, alijſq; alijs modis, alium longa ægritudine,

alium grandæuum è terris subducit: Certum tamen est, quòd cuiq; suus terminus est præfixus. Meminerimus itaq; vanam esse omnem curam pro mortis termino. Verùm curandum hoc potiùs, vt sic viuendi rationem instituas, vt quocunq; tempore dominus venerit, paratum te inueniat. Nec tamen ob hoc aliquis temerè se periculis ingerat. Hoc enim esset Deum tentare, nisi periculum euitare nequeat citra peccatum, in hoc enim casu opus est tranquilla conscientia ac fide in verbum DEI (quod nobis sua causâ periclitantibus auxilium pollicetur) vt quæuis discrimina nihil cunctatè obire poterimus: Sed de his commodiùs aliäs.

Sit autem huius lectionis coronis, historia ex vitis patrum de sene quodam, qui cùm esset vicinus morti, & fratres eius ac collegæ lectulum circum-

dantes

dantes, & mortuum vestientes ac incipientes flere. Quo facto ille aperuit oculos suos & risit, & adiecit iterum ridere, hoc autem factum est tertiò. Quod cùm viderunt fratres, interrogauerunt eum dicentes: Dic nobis pater cur nobis flentibus tu rides? Qui respondit, primò risi, quia vos timetis mortem. Secundò risi, quia non estis parati, ac tertiò quia ex labore ad requiem transeo & vos ploratis. Hoc autem cùm dixisset statim vt mortuus reclusit oculos senex. Ac nota sunt extrema Antonij verba, qui Diuo Hieronymo referente moriturus ait: Conditio naturæ cogit vt iam resoluar. Ego secundum eloquia scripturarum gradior viam patrum. Iam Dominus me inuitat ac iam cupio videre cœlestia. Vos autem fidem seruate Christo, ac cogitate vos quoq; morituros. In hoc soliciti estote vt Dei præcepta seruetis, vt post mortem

vestram, sancti quiq; quasi amicos & notos in æterna vos tabernacula recipiant. Hæc cogitate, hæc sapite, hæc tenete, si qua mei vobis cura, aut si qua patris memoria.

Tempestiuitas plantandi, & tempestiuitas euellendi. *Secunda species ἐπαγωγῆς, quâ docet omnem laborem & solicitudinem inanem esse in plantando & seminando, nisi fiat tempestiuè. Sed nec curam nostram quicquam conferre posse ad hoc, vt crescant quæ seminauimus. Quare & legitimum tempus messis & euulsionis expectandum est, alioquin si ante tempus euellas aut metas, nihil fructus referes. Hæc & periti rerum nouere, qui affirmant increscentis Lunæ spacia esse plantationibus velut decretoria, quoniam humoris exuberantiâ semen madescens celeriùs vendicet incrementa, quiq; & tempus subuectendarum*

darum in aream frugum annotârunt, cùm à circumacto lunari orbe pertolluntur ventorum afflatus, euentilandis frugibus percommodi. Laborem igitur plantandi & euellendi nobis sumamus tempestiuum, curam autem relinquentes Deo. Nam nihil efficiemus nostrâ curâ, vt terræ nascentia crescant. Nobis enim ociosis & dormientibus germinant sata & segetes proferunt. Verùm & ad illud idem adhibere oportet obseruationem mandatorum Dei: Deut. enim 28: inquit: Si audieris vocem Domini, aperiet Dominus cœlum & dabit pluuiam; Econtra autem si non audieris, erit terra ænea, & cœlum ferreum.

Ex quo colligere debemus consolationum materiam, quòd per Dei singularem prouidentiam, suppeditentur nobis quæcunq; bona ad vitam necessaria. Si enim omnia fiunt in tempore, id est,

si omnia moderatur Deus, & nos nostrasq; res singulari studio fouet, promouet, tuetur, sanè ab illo etiam bona omnia nobis expectanda sunt. Neq; cogitare licet nobis aliquid defuturum, quamdiu illum nostri curam gerentem habemus propitium, multò minùs nos posse aliquid nobis comparare nostris consilys, industria, arte, viribus, nisi ille per suam misericordiam largiatur. Ille enim solus omnipotens est, præterea insigni φιλανθρωπίᾳ præditus: Quamobrem haud dubiè & potest & vult conferre quicquid decet, nostraq; poscit necessitas. Nos autem si quid videamur nostro marte, aut etiam alienâ ope, siue hominum inquam, siue vllius creaturæ adiuti efficere: tamen fateri cogimur longè minùs esse quod præstamus, quàm ad optatum finem perduci vel leuissimum negotium perfici possit. Apparet quidem aliquid à no-

à nobis fieri, quando noſtris manibus terram aratro proſcindimus, ſemina ſulcis mandamus, fruges maturas demetimus, molæ eaſdem committimus, panem in furno pinſimus, quando inſidias tendimus piſcibus, armenta et greges procuramus: Quando ad res difficiliores peragendas aliorum potentiorum aduocamus auxilia, quando amicos conciliamus, &c. Sed hæc omnia ſi æqua lance perpendimus, nihil aliud quàm inſtrumenta quædam ſunt ac media, à Deo ipſo inſtituta atq; conceſſa, per quæ ipſi viſum eſt in nobis operari & res noſtras promouere, adeo vt ſi quid ſemel ritè abſoluatur, quantumuis nos ſudauerimus, neceſſe ſit ad ipſum ſolum ceu principalem authorem, laudem vniuerſam rei bene geſtæ redire. Nam neq; ſemen eſt per ſe ferax, neq; piſces ſpontè & ſcientes veniunt in caſſes noſtros, neq; pecori prodeſt mini-

ſtratum pabulum, neq; ſufficiunt illorum vires, quorum patrocinium imploramus. Breuiter omnia ſunt caſſa, niſi Dominus clàm in eis ſua inſcrutabili virtute pariter agere incipiat, & perſequatur quod nobis vtile, ſalutare, nec non ad gloriam ſuam illuſtrandam aptum præuidet futurum. Vani ſunt omnes conatus, quibus ille manum adiutricem non admouerit. Veriſsimum eſſe oportet illud Prophetæ, Pſal. 127. Si Dominus non ædificet domum, fruſtra laborant qui ædificant eam: & ſi Dominus non cuſtodiat ciuitatem, fruſtra vigilat cuſtos. Vanum eſt vobis vt maturetis manè ſurgendo & moram faciatis, ſedendo comedentes panem dolorum: ſic dabit dilecto ſuo ſomnum, &c.

VERS. III.

Tempeſtiuitas occidendi & tempeſtiuitas ſanandi, tempeſtiuitas deſtruendi & tempeſtiuitas ædificandi.

Quar-

QVartum & quintum Inductionis membrum. Sunt Philosophi qui argumentationibus multis & testimonio Aristotelis, Galeni, Hali, probant naturalem vitæ finem non esse ab initio ad vnguem determinatum, sed vltrà citraq; moueri posse, idq; asserunt cùm ex astris, tum etiam ex materia, de qua re Marsilius Ficinus lib. 21: capit. 3: Sed hoc versu perspicuè docet Ecclesiastes, neq; naturali duntaxat vitæ vel morti sua constituta esse spatia: Sed esse definitum quoq; tempus quo non absq; multiplici & inexplicabili DEI consilio, vel casu superuenientibus mille malis letalibus, vel extrinsecus illata vi, hæc vita terminatur. Hæc autem summa consolatio est, mortem nostram in manu solius Dei esse. Noli igitur timere aduersarium hominem sed Deum, ipsiq; te commenda, nihil curans de hostium insi-

insidijs, etenim non præualebunt. Conabatur certè Pharão occidere Mosen, Saul Dauidem, Iudæi Paulum, Pharisæi Christum, sed frustra quia occidere habet tempus suum, & mors nostra non est in potestate aduersariorum nostrorum sed Dei. Interim si quid aduersi nobis contigerit, non imputemus hominum malitiæ, sed Dei permissioni & voluntati, sine qua ne pilum quidem capitis auellere potuerint. Meminerimus tamen non temere ceruices nostras hostium insidijs esse præbendas; hoc enim esset tentare Deum, sed sit in conspectu nostro consilium Lacedæmonij istius Chilonis, qui sic mortem esse contemnendam ait, vt nihilò seciùs curam habeas incolumitatis. Non enim est fortitudinis sed amentiæ, semet temere in vitæ discrimen conijcere, sed quoties aut ineuitabilis necessitas vrget, aut grauis honestaq́ causa suadet,

suadet, mortem contemnere fortis animi est. In morbo non est metuenda mors, sed interim adhibenda curatio mediocris. In bello sumendus est animus ad mortem, sed interim fortiter pugnandum est pro victoria.

Sed quod iam diximus, in valetudine quoq; recuperanda intelligendum est: Tempestiuitas & sanandi est: *Nam si morbos ad iram cœlestis numinis referimus, à quo & opem poscere solemus, sanitatis eum authorem fatemur, DEI verò instrumentum esse naturam, sed vtriusq; ministrum dici medicum. Quocirca & antiqui sua pharmaca Deorum nuncupabant manus. Ac imprimis Philon, medicus (vt videtur nobilis) cùm medicamenta quædam ad medendi vsum exquisitißima concinnaret, & Regias quasdam (vt Plutarchus inquit) alexipharmacas potestates conficeret, eas,*

quòd

quòd ſalutares & diuinas quodammodo ſciret, θεῶν χεῖρας, veluti adagio quodam appellare conſueuerat, id eſt, Deorũ manus. In Auicennæ quoq; monumentis, medicaminis genus donum Dei dicitur. Et apud Galenum eſt Troſchius Iupiter. Cæterùm & ipſam medendi facultatem eſſe diuini muneris, profundior ſcripturarum continet doctrina, quando ita præcipitur: Medicum eſſe honorandum, quòd propter neceſſitatem illum creauit altiſſimus. Quod ipſum agnoſcit in epiſtola ad Abderitas Hippocrates: Medicam facultatem Deorum ſtatuens munus atq; liberam, nec ſe inde vnquam mercedem corrogaſſe vllam. Cùm igitur ſanitas proficiſcatur munere Dei Opt. Max, nihil agunt & medicus & medicina ſine Deo, ac morbis ac infirmitudinibus examinatus, etiamſi omnia tentes, vt valetudinem recuperes,

frustra

frustra tamen laboras, nisi adsit tempus. Sic Iob quatumuis conquereretur, tamen nihil proficiebat, sed oportebat expectare tempus. Idem contigit Tobiæ & infirmo illi Euangelico, qui quanquam multum insumsit in medicinam 38. annis, tamen non poterat sanari, quia nondum erat tempus sanandi. Hæc doctrina de tempestiuitate occidendi & sanandi, est etiam illustre testimonium prouidentiæ diuinæ, ex cuius cognitione hanc etiam consolationem habeamus, quòd nihil fortuitò nobis accidit, sed quòd DEVS nostri nostrarumq; rerum curam gerit, & assiduè ex infinitis periculis eruit, cui enim respirare liceret propter mille insidias Satanæ? nisi tempestiuitas sit occidendi, cùm enim adeo nihil extet vspiam, in quo non sint parata præsentissima damna, ac tota nostra vita ex tenui filo, immo ex

pilo

pilo pendeat, vt quotidie mille, non dicam morbi, ſed mortes nobis immineant verſenturq́ ob oculos: Certè non eſt quòd arbitremur nos vel ad momentum poſſe incolumes ſubſiſtere, niſi Dominus ſua ſapienti ordinatione ac bona voluntate nos à rebus noxijs eripiat. Quòd naſcens non fueris inter obſtetricantium manus ſuffocatus: quòd infantiæ tempore, igne aut aqua, aut alia ratione per negligentiam parentum non perieris: quòd in pueritia & adoleſcentia, tua ipſius ſtultitia & temeritas cæcitatem aut membrorum mutilationem non attulerit: quòd poſtea grandior factus ab obuio & ſalutante, tecum amicitiam ſimulante, tecum conuiuante, vel etiam ab eo qui apertè ſe hoſtem ſit profeſſus non fueris læſus: quòd te propinqui moleſtiâ, alieni iniuriâ non afficiunt, quòd à coniugalibus incommodis, quæ partim ab vxore, partim à liberis,

beriſ, partim à curis rei domeſticæ oboriri ſolent, non perturbaris: quòd facultatibus non exueris: quòd potentiores in te non ſæuiunt ac dignitate deijciunt: quòd domus ruinâ non extingueris: quòd cibus ac potus non noceat, quòd ferro quod contrectas non vulneraris: quòd nullum animal tibi vim infert: quòd aquis non ſubmergeris, quòd terra dehiſcens te non deuorat. Deniq; quòd ab innumerabilibus malis quæ tam ab hominibus, quàm à Diabolo, ac à cæteris creaturis, quas & Diabolus conatur ſubinde in noſtram perniciem conuertere, ac omni tempore impendent, mirabiliter liberaris: In his omnibus inquam, quæ ſcimus crebrò euenire ſolita, ac proinde iudicare oportet in nobis quoq; poſſe perfici, ſolam prouidentiam Dei debes ſuſpicere & prædicare, huic ſoli ſalutem tuam acceptam feres, & quòd tibi horum nihil euenerit, me-

mineris non fuisse tempestiuitatem occidendi.

Ac hoc est quod docent omnes Psalmi, omnes sanctorum patrum sententiæ in sacris literis paßim occurrentes, quib⁹ celebratur Deus afflictorum adiutor, ex periculis quibuscunq; suos eruens: Præterea quibus, qui ita liberati sunt, Deo agunt pro beneficijs acceptis gratias, vt Psalm. 17 canit, quomodo in medijs tempestatibus alijsq; periculis, Dominus pios seruat: *Apparuerunt* inquit inundationes aquarum, & discooperta sunt fundamenta orbis ab increpatione tua Domine. *Huc* pertinent Psal. 31: In manu tua sunt tempora mea, libera me de manu inimicorum. Psal. 33: Manet Angelus Domini per circuitum illorum qui timent illum & eruit eos. Psal: 37: Nouit Dominus dies integrorum hominum, & hæreditas eorum in æternum erit. Non confunden-

fundentur in tempore quo malum incide-rit. Huc etiam refer Psal. 91: qui totus in hoc consumitur, quòd docet clarissimè Dominum curam nostri gerere, et cauere ne malis quæ vndiq; ingruunt succumba-mus. Ipse liberabit te, inquit, de laqueo venatoris & à peste noxia, sub ala sua proteget te, atq; sub pennis eius fiduciam habebis & similia de tempestiuitate sa-nationis afferri possunt, sed pergam.

Tempus destruendi. Firmissimum regnorum præsidium est nomen Domini. Huius enim imperio omnia obediunt ele-menta, & omnia efficiunt ad imperium & iussum Domini exercituum. Hoc benedicente & aperiente manum, om-nia implentur bonitate, conseruantur & fouentur: Maledicente autem ipso & claudente manum, sterilis redditur terra & omnia pereunt, vt Psal. 103. Dante te illis colligent, aperiente te ma-

num tuam omnia implebuntur bonitate: Auertente autem te faciem turbabuntur, auferes ſpiritum eorum & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur. Emitte ſpiritum tuum & creabuntur & renouabis faciem terræ. Et Pſal. 32: Miſericordia domini plena eſt terra. Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Hoc genus ſententijs tota plena eſt ſcriptura, quæ oſtendunt Domino pro imperijs & regnis conſeruandis excubante, nihil triſte eſſe pertimeſcendum, quo ſe auertente ſolet eſſe viciſſitudo in omnibus DEI donis. Ac quia ſubinde mutantur artes, animi, ingenia, &c. Ac fieri ſolent homines poſt varia dona & victorias ſucceſſusq́, arrogantes & molles, ac multis vicijs contaminati, poſt longam patientiam non perpetuò ferens Deus hominum ingratitudinem, ſolet punire ingratos, commu-
tando

tando felicia & res secundas in infesta ac aduersas. Sic est mutata fertilitas propter populi peccata, terræ promissionis, quæ priùs fluebat melle, vino & lacte, quæ iam vix spinis & tribulis ferendis est habilis. Ac notum est quales fructus in testimonium & signum Israëli, Iosue & Caleb ex illa attulerunt terra, quæ iam est desolata, deserta & colono vix respondens. Sic & Sodoma & Gomorrha ante maledictionem omnibus rebus abundauerunt, vt iure habitæ sint Paradisus & pinguedinis domus. Ac propterea Ezechiel capit. 16: perditionis illorum nullam aliam reddit causam, quàm omnium rerum affluentiam sine magnis exercitijs, ac luxum qui solet comitari ocium, & fructuum deniq; absq; labore copiam. Hæc sanè effecta execranda in populo Iudaico, quæ potiùs debebant contraria esse, ex illa multiplici

donorum Dei vbertate prouocabat iram Dei, ac huiusmodi rerum omnium mutationem merebatur. Etenim quamdiu à lege Dei non defecerunt, quamuis magnus hostium terror sæpenumero eis obstrepebat, nihilominus frustra cesserunt omnes conatus, quòd nondum tempus destructionis Iudaicæ immineret. Sic conabantur quidem pleræq; gentes Israëlitas destruere, vt ne nomen eorum superesset, sed incassum, quia nondum erat tempus. Ac idem Nebuchadnesar postea conabatur, & certè profecit. Nam tempus aderat, quod DEVS per vates suos diuinos antè prædixerat. Sic & olim conabantur plures gentes impedire ac destruere Regnum Romanorum, sed frustra, quia nondum erat tempus destruendi. Præuiderat enim sibi DEVS imperium Romanorum, Daniel. 7: quod post natum CHristum

facilè

*facilè eſt deſtructum, quia tempus erat
deſtruendi. Cæterùm dum talium re-
rum cogitationes in medium affero, eti-
am mentem meam ſubit recordatio hu-
ius noſtræ communis patriæ, quæ vt
olim fuit horrida, inculta & barbara,
ac eo nomine quaſi ab alijs contempta,
ita Dominus quoq́; iam tandem hanc
terrarum orbis partem clementer re-
ſpexit, vt ex verbo & gratia DEI,
vix multis nationibus cedat, vel rerum
omnium feracitate, vel ingeniorum ani-
morumq́; bonitate, magnitudine & præ-
ſtantia. Sed huiuſmodi DEI bene-
dictio, inualeſcentibus & impunè in ſin-
gulis ſtatibus graſſantibus delictis no-
ſtris, ſuum habebit deſtructionis tem-
pus, periodum & certam ἀκμὴν, non
ſecus ac olim Regnum Aſſyriorum,
Medorum, Perſarum, terræ CHanaan,
Græciæ, ac magnæ partis Europæ,*

nisi maturè omnes resipiscamus. Cùm nihil in hoc mundo vanitati obnoxio, sit solidum, immutabile & incorruptibile.

Tempus ædificandi. *Habet & ædificandi studium suum tempus, quo non præsente frustra operæ insistis. Etenim cogitandum est, non parua opus esse industria, vt nobilis materies recta ratione cædatur. Ac Vitruuius lib. 2. capit. 9: permulta tradidit de hac re dicens: Primùm opus esse, vt idoneum tempus obseruetur: nimirum à fine autumni ad initium veris. Etenim vere germinare incipiunt ligna et humoribus complentur, vt si tunc cædantur inutilia euadant. Affert simile ductum à prægnantibus, illæ enim primùm vbi conceperunt, humores earum intus conduntur & ipsæ debilitantur. Deinde ait oportere aggredi opus lunâ deficiente, non autem crescente, cùm id luminare præsit humoribus, ligna verò ædifi-*

ædificijs idonea, non opus eſt vt redundent humore, quoniam facilè putreſcerent. Præcipit adhæc, id eſſe vtile, vt arbores deijciendæ antea incidantur propemodum vſq; ad medullam, & ſic aliquando ſtantes linquantur quò reddantur aridiores, & quòd eſt in eis humidi, facilè deſtillet. Alia quoq; permulta de lignorum cæſura tradit, quæ prætermitto. Et hæc ideo annotaui, vt intelligatur in cædenda materie, non vulgarem induſtriam præter temporis accuratam rationem exigi. Licet igitur cùm viſum fuerit ædificare, at idipſum propter tuam diligentiam & curam vt ſuccedat, ne quidem per ſomnium tibi in mentem venire fas ſit, quin potiùs Domini manum vt reſpicias neceſſe eſt. Sic abſq; hac manu non poterant Babylonij perficere turrim, cuius fundamenta iecerunt, nec Iudæi ſuſcitare templum ſuum, etiamſi à

Iuliano haberent potestatem. Huc refer hemistichium 5. Vers. Tempus spargendi lapides & tempus colligendi, quod nihil aliud est, quàm destruere & ædificare.

Hæc etiam tempestiuitas ædificandi & destruendi sit in conspectu nostro, vt penitiùs admirari ipsius prouidentiam discamus, sine qua quicquid ædificas concidet, ac etiamsi tu nunquam ædificaueris, immo nec domum nec tectum habes, nihilominus ille, qui testudinibus suas parat cochleas: qui hirundines docuit suos ex terra faberrimè extruere nidos: qui vulpibus multisq; animantibus ingenium dedit, antra & foueas sibi parandi: qui Israëlitas in tot annorum peregrinatione ab omni æstus & frigoris iniuria conseruauit: qui Abrahæ atq; aliorum sanctorum patrum animos, ad hospitalitatem exercendam incitauit, is

quò

quò te ad tutò quiescendum conferas proculdubio prouidebit. Hinc vos studiosi, qui penuriâ laboratis, qui neq; ædificia neq; parentes aut amicos habetis, etiam consolationes petere debetis, quòd tempestiuitas sit ædificandi, hoc est quòd DEVS suo tempore vobis ædificia, ab alijs, multis laboribus extructa prospiciet. Est fortè inter vos, qui miratur cur sibi DEVS non dederit amplas facultates, sed mi frater, quàm sapienter DEI prouidentia tecum agat considera. Tua paupertas te in humili & frugali vita continet, atq; ita ad aliarum quoq; virtutum, quæ ex his oriuntur cultum inducit: vbi aliâs si tibi opes pro voto affluerent, luxu immodico dissolutus, ad omne vitiorum genus animum converteres, quodq; his grauius est, alios insuper tecum in fœdam ruinam pertraheres. Tua paupertas in causa

est,

eſt, cur bonis literis, cur ſupramundanæ philoſophiæ nauas operam, quam aliâs nunquam eras (credo) vel ſupremis labris deguſtaturus. Tua paupertas facit, vt quàm modeſtiſsimè te apud omnes geras, amicitiam & pacem diligenter colas: qui ſi vel titulum diuitis potuiſſes tibi vendicare, futurus eras omnibus grauis atq; intolerabilis. Præterea autem qui te voluit eſſe pauperem, idem interim cauet ne quid victui neceſſario & vitæ ſuſtentationi deſit. Mouet alios vt propter virtutes quas in te conſpicantur, tibi faueant, bene de te mereri conentur. Ac etiam ſi expendas ſpiritualia bona, quæ ex paupertate tua ad te redeunt: præbet tibi occaſionem aſsiduè inuocandi dominum, dum ab hoc poſtulas quæ ſentis tibi neceſſaria, & ſcis ab illo ſolo expectanda. Facit vt aſſuefacias, te tuaq; omnia illi ſoli commendare lubenterq; ex illo ſolo pende-

pendeas. Securum te reddit quò minus perſpicias diuitiarum abuſum, & ſtultarum curarum intentione ſuffocetur in agro cordis tui auditum Dei verbum. Tollitur & fomentum eiuſmodi tentationum, quales ſolet Diabolus diuitibus huius ſeculi excitare. Subminiſtrat inopia exercitium multiplex ſapientiæ: auget ac roborat fidem, prouocat ad faſtus, ambitionis, atq; omnium adeo rerum terrenarum contemptum, iubetq; meditari & aſpirare ad ſola cœleſtia: Deniq; multis nominibus rectius tecum agitur quando hoc modo pauper es, quàm ſi rerum omnium copia ſuppeteret. Hæc cogitate ô iuuenes pauperes, vrgete ſtudia, Deum inuocate, certè vos non eſt derelicturus. Non enim vos ad ſuam gloriam contendentes deſeret, qui Abrahæ & Iacob tempore famis proſpexit in Ægypto: qui Iſraëlitis in deſerto pluit Manna &

delica-

delicatas carnes : qui conciliauit Ruth animum Booz, vt permitteret ſpicas relictas colligere : qui emiſit Ziba puerum Mephiboſeth, cum aſinis onuſtis pane, vuis, ficubus ad Dauid fatigatum cum ſuis in deſerto, quando fugiebat Abſolonem: qui excitauit cor Abdiæ, vt centum Prophetas propter tyrannidem Bel latentes, aquâ & pane paſceret: Qui per coruos voluit Heliæ panem & carnem veſperi ac manè miniſtrari : qui vt eundem Eliam poſtea iterum aleret, viduæ Sareptanæ farinam atq; oleum mirabiliter auxit : ac tertiò eidem Heliæ profugo panem ſubcinericium & poculum aquæ ſuppeditauit per angelum: qui Ieremiam ſuſtentauit in lacu : qui aliàs quinq; aliàs ſeptem panibus refecit aliquot hominum millia, curando præterea vt & reliquiæ ſupereſſent, quas ſportæ plures vix recipiebant: is quidni

ex

ex tot modis aliquo etiam tibi succurrat?
Ac deniq́, si siti laboras, cur non te po-
tabit qui Agar commonstrauit in solitu-
dine puteum aquæ; cuius bonitate aquæ
amaræ, factæ sunt in gratiam Israëlita-
rum potabiles: qui ex durissimo lapide
eduxit molles & suaues fonticulos: qui
Samsoni fesso superando hostes, scatu-
riginem aperuit ex mandibula asini:
qui totam quotidie irrigat siticulosam
terram, is nullo modo patietur te siti ene-
cari. Huiusmodi sapere, huiusmodi co-
gitare debetis, & ita cum fiducia labora-
re, non hæsitantes de Dei prouidentia &
cura erga vos omnes.

VERS. IIII.

Tempestiuitas flendi & tempestiui-
tas ridendi, tempestiuitas plangendi &
tempestiuitas saltandi.

Secun-

SEcunda pars disputationis de tempore, in qua ponitur eorum alternatio siue repugnantia, quæ nimirum τὸ πρέπον *decorum in hominis statu & vita concernunt. Quatuor hîc nominantur, fletus, risus, luctus, tripudium, quorum vnumquodq; nisi tempestiuè fiat, non nisi summam parit nauseam, ac extremam arguit leuitatem. Cæterùm quod hominum alij sint hilares, alij tristes, causa vt inquit Hippocrates, in temperamentis est: Nam qui (inquit) defecatissimi sunt sanguinis, visu corporeq; floridi, & quandoq; coloris elegantiâ venusti, libenter rident. Homerus quoq; de caloris copia, risum profluere inibi videtur indicare, vbi* γέλωτα ἄσβεστον, *inextinguibilem dicit risum. Qualis fertur fuisse in Democrito, qui perpetuo risu pulmonem agitare solebat, quem Abderitæ vt Melancholicum curaturi, Hippocratem accersio*

cersio

cersiuêre. Qui veniens, non inquit Democritus delirat, sed præter alios longè sapit, ridet enim secum hominum ineptias. Sed Salomon de huiusmodi animi & corporis affectionibus, multò secus iudicat: qui omnes & singulas rebus obiectis adscribit, quæ non nisi DEI prouidentiâ occurrunt. Contingit enim nonnunquam, vt quis non poßit resolui in lacrymas etiamsi id maximè conetur: alio autem tempore aliter affectus id facit. Simile est de luctu & tripudio. Maximè autem præsens vita tempus est flendi & lugendi, sicut futura & æterna vita ridendi & tripudiandi. Qui ergo crebris gemitibus ac suspiriis offensam DEI exorat, is in futura vita gaudebit. Et sicut in motu saltationis, homo suæ mentis gaudium & animi demonstrat affectum: ita qui in hac vita pœnitentiæ studet,

temperantiâ ac prudentiâ excultus, ac Christi iusticia præcinctus, saltabit, id est, lætabitur et exultabit in gloria æternæ felicitatis.

VERS. V.

Tempestiuitas dispergendi lapides, & tempestiuitas colligendi lapides. (*Hoc ad versum 3. refertur, cuius sententiam suprà exposui.*) Tempestiuitas amplectendi & tempestiuitas sese summouendi ab amplectendo.

TErtia alternatio ac repugnantia, quæ circa vsum vitæ humanæ & primùm quidem statum coniugii versatur, in quo omnes quidem summam adhibent curam, vt contingat illa tori socia quæ placeat, cùm tamen plærumq; contrarium eueniat, quia hoc non efficit cura nostra, sed DEI gratia. Quod

quidem

quidem idem Salomon prouerb. 19: perspicuè docet: Diuitiæ & domus dantur à parentibus, vxor autem à DEO. Non immeritò ergo Augustinus, Psal. 38. de rerum omnium vanitate, certitudineq; mortis differens, inquit: in hac terra nihil tam certum quàm mors. Considerate omnia omnino vel bona vel mala vitæ huius, vel in ipsa bonitate vel in ipsa iniquitate. Quid hîc certum est nisi mors? profecisti quis sis hodie scis, quid futurus crastino nescis. Speras pecuniam, incertum est an perueniat, speras vxorem, incertum est an accipias, vel qualem accipias, speras filios, incertum est an nascantur. Nati sunt, incertum est an viuant, viuunt, incertum est an proficiant & an deficiant &c. Hic Augustini dialogismus maximè Ecclesiastæ καιρὸν confirmat. Etenim quanquam interdum contingat, vt magna

cura quæratur coniunx, tamen quia παρὰ καιρὸν tristissima est eius cohabitatio & pessimus euentus. Et quia coniugij tempestiuitas non accessit; quantæ per Deum immortalem in coniugio exaudiuntur lites, discordiæ, repudia & diuortia. Et quanquam Lucretiæ quædam inueniantur, Portiæ, Hypsicrateæ quæ sexum hunc cohonestârunt, vt prætercam pudicarum mulierum dicta, facta ac elogia, quæ fortiter pro patria, libertate ac pace gesta, in historijs leguntur ac reperiuntur: tamen plures Medeas, Clytemnestras & Messallinas inuenies, quam Saras & Vestales, quæ nihil aliud quàm fastum, venerem & res noxias meditantur. Ac profectò nulla Charybdis tam vorax, nullumq; barathrum tam præceps, quod cum feminarum improbitate comparari poteirt. Hîc omitto grauissimos & inutiles

sumptus,

sumptus, qui à matronis aliquantò dotatioribus fiunt, quæ in emendis zonis, semizonis, catellis, dextrocheriis, vestibus innumeris, lapillis, annulis, vasis, vnguentis, odoribus & aliis infinitis penè instrumentis ac rebus, quæ dici aut excogitari possunt. Quæ nisi emantur, ô quot indignationes, ac quantæ iræ? Illa pauper & mendica vicina, vestibus sericeis & bombycinis vtitur, ego diues non? Illa nigra & plebeia diuitem habet, ego formosa inerti ac pauperi nupsi, pereant qui sic me maritauerunt, qui me sic enecuerunt. Hæc & alia his similia, quæ hominem Salomone sapientiorem, vel ipso Melitide stultiorem efficiant, de coniugiis intempestiuis dicuntur, vt mittam fugas, veneficia, homicidia, & domorum, familiarum ac regnorum ruinas ac euersiones hinc exortas. Taceo quòd si intempestiuitas coniugē maturet,

illam talem fore quæ nihil aliud quàm perpetuò excruciabit, afflicto addet afflictionem: quemadmodum vxorem Iob fecisse legimus, & plærasq; alias scimus, maritis suis viris honestißimis exitium ineuitabile attulisse. Si non succedat ex coniugio proles, nemo sermone assequitur quanta malorum Ilias hanc sterilitatem consequatur: nam odium implacabile ac dißidium domesticum, tum mœror propter facultates, alienis & ingratis relinquendas, hominem planè ante tempus enecant. Sin succedat proles, certè insignes Patriarchæ Noah & Iacob, summus sacerdos Heli, illustris Rex & Propheta Dauid, creberrimè propter liberorum flagitia mœrore confecti, te tuæq; sortis admonent, ne repetam alia quæ suprà commemoraui amplißima.

VERS.

VERS. VI.

Tempeſtiuitas quærendi, & tempeſtiuitas perdendi, tempeſtiuitas cuſtodiendi, & tempeſtiuitas adiiciendi.

VERS. VII.

Tempeſtiuitas diſcindendi, & tempeſtiuitas conſuendi, tempeſtiuitas tacendi, & tempeſtiuitas loquendi.

ALia repugnantium ζυζυγία ſumpta ex mercatura & opificiis vitæ humanæ, cuius profeſſores hîc emunt vt alibi carius & ſupra ſortem vendant, atq; ille melior qui lucratur magis, quibus paßim peculiare eſt mentiri, peierare, fraudare & imponere, nec vlla illis lucrandi ratio turpis: quin & legibus ſibi licere dicunt decipere ſecum contrahentes, ad dimidium iuſti precij. Nec dubium eſſe poteſt, cùm omnis eorum

vita ad quæstum ac diuitias adornata sit, illos earundem occasione turpia plurima & dignas supplicio fraudes committere. Nulli enim sine fraude ditescunt: & vt Augustinus ait: lucrum habere non poterit qui fraudem non commiserit. Et plenius æquo.

Laudat venales quas vult extrudere
merces.

Et alius Poëta canit.

Periurata suo postponit numina lucro
Mercator, stygiis non nisi dignus
aquis.

Hic emit, ille vendit, hic portat, ille asportat, hic creditor, ille debitor, hic soluit, ille recipit, alter rationes scribit, omnes autem peierant, fraudant, fallunt, nec animæ, nec corporis, nec fortunæ vllum periculum excludunt, modò lucrum sperent, nec cognationes, nec affinitates, nec amicitias vlla fide nisi

sola vtilitate colunt, sicq; omnes per omnem ætatem, post lucrum, post diuitias accurrunt, ac si alibi laborum requies vitæq; solatium nequeat inueniri. Sed interim horum multi experiuntur, quòd quantò magis laborent & soliciti sint, tantò magis facultatum faciant iacturam, ac interdum naufragijs, interdum flammæ voragine, interdum alijs suboriuntibus infortunijs, in momento temporis amittunt, quod tanta solertia ac diligentia conquisierunt, quod tempestiuitas quærendi & perdendi, tempestiuitas custodiendi & abijciendi. *Hæc igitur tempestiuitas nobis in mentem venire debet, vbi videmus aliquibus quasi citra omnem laborem affluere bona, econtrà autem, alijs etiam omnia conantibus, bona decrescere, ac statuamus hoc ideo permittere DEVM, vt discamus omnia è manu ipsius petere.*

Tempeſtiuitas ſcindendi & conſuendi. *Cùm opifices DEO curæ ſint, is enim gratiam illis confert, vt artes manuarias diſcere poſſint, exercere atq; ex illis ſe alere. Docet & illos fruſtra laborare, qui tempeſtiuitatem non ſpectant. Quare & opifices & artificia exercentes, fruſtra ſe macerant vt rem familiarem augeant, ſine DEI auxilio. Qui enim operas ſuas aggreditur ab inuocatione & ſpe adminiculantis DEI, ille accommodatiſsimam nactus eſt tempeſtiuitatem, & in opificio ſuo proficiet.*

Similiter & tempeſtiuitas tacendi & loquendi, *id eſt, ſermo ipſe cuius tam eſt neceſſarius & tam latè patet vſus, non eſt quouis tempore vel habendus vel retinendus: quod qui diligentiſsimè non obſeruat, vt infinitis commodis ſeipſum priuat: ſic plurimis ſeſe calamitatibus expo-*

exponit. De hoc paradoxo valde multa scripserunt philosophi, qui ante omnia commendant silentium, cuius laus ex Zenonis dicto cumprimis præclara est. Regios enim legatos Athenis conuiuio exceperat quidam, adhibitis etiamnum philosophorum plærisq;. Cùm autem (vt assolet) multa hinc inde dicerentur, Zeno interim tacitus singula obseruabat: tum legati festiuiter subblandientes atq; propinantes etiamnum: de te verò inquiunt, Regi quid renunciari iubes? At is, senem à vobis Athenis perspectum, qui inter pocula seruare silentium poßit &c. Non malè ille. Qui enim custodit os suum custodit animam suam: qui verò inconsideratè loquitur sentiet mala. Nec minus profectò oratorium est tacere quàm dicere. Loquendi temeritatem non cordis modò peruigili cura, sed & dentium excubijs in ore

collo-

collocatis, circumscripsit natura obsepsitq́ʒ. Ac laudi est facundia, sed inanis verborum sonitus, nulla subiecta sententiâ nec scientiâ, vicio non caret vel maximo. Nam ἀχαλίνου στόματος, *id est, oris effreni tandem infelicitas occupat. Adde quòd quibus multa effutire moris est, aut falsa loquuntur aut superflua, vel (quod verius) vtrąq́ʒ, quæ sanè ab hominis dignitate aliena. Proinde Simonidis sententiæ firmiter inhærendum, quem dicere solitum accepimus,* ὅτι λαλήσας μὲν πολλάκις μετενόησε, σιωπήσας δὲ οὐδέποτε, *id est, locutum esse pœnituit sæpe, tacuisse nunquam. Ac idem ferè & Metellus senex, instante siquidem quopiam & quid eiusmodi efflagitante: Si inquit tunicam huius consciam arbitrarer, euestigiò exutam concremarem. Equidem sicuti Monas, id est vnitas, suos minimè limites egreditur,*

tur, ſed omnino vnum perſeuerat maneté, vnde & Monadi nomen inditum. Dyas verò, id eſt, dualitas principium eſt differentiæ indefinitum: ſtatim enim à ſe deficit, duplicatione in multitudinem abiens: Conſimili ratione ſermo, ab vno primoq́ recedens, verè arcanus eſt ac dicitur. At ſi alteri communicetur, iam famæ ordinem ſubit. Nam Poëta nobilis ἔπεα πτερόεντα, *id eſt, verba dixit eſſe alata volatiliaq́. Et nauem quidem ventis abreptam anchoris infrenamus ad rapiditatis hebetandam vim, ſermo ex ore velut porta excurrens, ſtationem nanciſcitur nullam: Neq́ (vt Græci dicunt)* ἀγκυροβόλειον, *id eſt, anchoræ tactum habet.*

VERS. VIII.

Tempeſtiuitas amandi, & tempeſtiuitas odio habendi, tempeſtiuitas belli, & tempeſtiuitas pacis.

Vltima

VLtima combinatio repugnantiæ, ab amicitia & odio, bello & pace desumpta. De priore inquit, tempestiuitas amandi scilicet parentes, vxores, filios, propinquos, magistratum & superiores, quando cursum rectæ viæ non impediunt. Et tempus odij, id est, ad modum odientis se habere quando flagitant contra DEVM, vel à vitæ recto cursu impediunt. Sic Chrysanthus denegauit obedientiam patri volenti, vt Christianam fidem abnegaret, ac ideo splendidum conuiuium apparanti, adhibitis quinq; formosissimis puellis, vt his illecebris facilius filio defectionem persuaderet. Quæ cùm accubuissent, Chrysanthus ardenti pectore DEum inuocare cœpit, ne blandis istis illecebris inescatus, caperetur, fidemq; amitteret. Quare & illico puellæ somno oppressæ, nec cibum nec potum capere poterant. Huc illud: opor-

oportet DEO magis obedire quàm hominibus. Et *memorabile est responsum Socratis quod extat in Platone:* ἐγὼ ὑμᾶς ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι ἀσπάζομαι μὲν καὶ φιλῶ, πείσομαι δὲ θεῷ μᾶλλον ἢ ὑμῖν, *id est, Ego quidem vos veneror & amore complector viri Athenienses: sed DEVM tamen magis quàm vos reuereor & colo. Sic & Antigona apud Sophoclem ait: magis obtemperandum est Dijs, apud quos diutiùs manendum erit quàm hominibus, cum quibus admodum breui tempore viuemus.*

Tempestiuitas belli & tempestiuitas pacis. *Cùm sanè longè præstet legibus frænare libidinem, religionem rectam retinere, iure & verbis potius quàm armis decernere, vltima hæc additur tempestiuitas, vt cogitemus quæ quantæq; calamitates vel ambitiosè, vel temerè,*

vel

vel auarè atq; iniquè motis bellis non necessarijs afferantur, eaq; de causa quoquo modo possunt homines bello pacem anteponant. Etsi autem Salustius & alij, in bellis fortunam dominari dixerunt, quæ genti vel imperatori alicui nunc propitia nunc infesta sit: tamen nos CHristiani scimus hæc à DEO pendere, citra cuius prouidentiam ne passeres quidem pereunt. Qui igitur intempestiuè moliuntur bella, tantum abest vt victores euadant, vt etiam se conjciant in ingentia mala. Cyrus quòd eâ solum de causâ Massagetis bellum intulit, vt à Schyticis incursionibus Asiam tutam efficeret, dum periculum à prouincia vult auertere modo iniusto & παρὰ καιρὸν, ipse iudicio DEI iusto in periculum suæ ipsius vitæ incurrit. Et Valerianus Imperator qui propter iusticiam & fortitudinem, cùm senatui

tum exercitibus charus Imperator creatus est: postea verò à Mago Ægyptio incitatus & persuasus, cùm victimas humanas mactauit tum Ecclesiam persecutus est, ideoq; iusto DEI iudicio factum est, vt bello superatus, ac eo Sapores Persiæ Rex diu quoties equum ascenderet, scabelli vice vteretur, qui ei tandem in vltima senecta cutem à ceruice ad pedes detraheret. Ac non dissimile exemplum extat de superbia Caroli Ducis Burgundiæ, qui ab Imperatore postulans sibi dari titulos regnorum Siciliæ & Hierosolymitani, vicariumq; generalem imperii se institui petens, quibus ab Imperatore denegatis, multa mouet non necessaria bella, ac tandem anno 1476. cæco non solùm affectuum impetu & mente fatorum ignara: Sed etiam stulto rationis DEVM non timentis iudicio, cùm putaret se sequi maximè

ſalutaria, & laudum ſuarum commodas occaſiones promouere, in perditionem ac ruinam ſe præcipitauit. Hæc exempla ſunt propterea conſideranda, vt non ſolùm fortunæ volubilitatem atq; inconſtantiam, verumetiam iudicia DEI obſeruemus. Quare qui verè ſapiens, ſuſpecta habeat omnia opera ſua, ac tempeſtiuitatem rerum gerendarum menti ſuæ inſculpat, & timeat Dominum in omnibus viis ſuis.

VERS. IX.

Quid igitur ſuperſtes & permanens obuenit operanti ex eo, in quo ipſe laboret?

DEſcriptis contrarietatibus ac repugnantiis, in quibus diſputauit de diuerſitate temporum & varietate mutabilium rerum, ſequitur συμπέρασμα. παρεκβάσεως *in quo docet laborantem circa res*

ca res humanas, nihil plus cæteris habiturum, quandoquidem & aduerſa & proſpera omnibus ferme communia ſint, præcipuè verò mortalis huius & caducæ vitæ interitus. Hæc autem omnia hactenus dicta, non ſic accipienda ſunt, quaſi Salomon velit omnia à neceßitate abſoluta euenire, ſed potius vt hæ minutæ actiones documento ſint, nihil quicquam in noſtra poteſtate eßе: Sed omnia præpotenti manu DEI dirigi, ideoq́; ἐυκαιρίαν in omnibus vitæ humanæ negociis, ab ipſo ſolo expetendam eßе. Nec hæc tam diffuſè à ſpiritu S. recitantur, vt prorſus ocio torpeſcamus & aßam columbam, quaſi bianti ore aduolantem expectemus: Sed vt in omnibus actionib: quas ſuſcipimus, ab omni ſuperflua cura & intempeſtiua ſolicitudine abſtineamus, & ſoli Domino incrementum ac opportunitatem committamus, cumq́; ipſo omnia incipiamus

VERS. X.

Vidi anxiam ſolicitudinem, quam DEVS indidit hominibus, vt in ea affligantur.

Ἐπάνοδος ad deſcribendam hominis vanitatem, quâ fit, vt etiamſi ſciat & videat omnia in manu DEI eſſe, non tamen ceſſat ſibiipſi afflictionem comparare. Etenim DEO ſic hominis improbitatem, vlciſcente, omnia in quibus mortales ſupra modum ſeſe excrucient, ad exagitandos eos aculeis venenatis armata ſunt. Et malignus Dæmon, qui ab initio mundi, vſq; ad finem nocendi ſemper eſt auidus, ringenti ore ſeculum hoc circuit & immodicè contendit, ſi qua occaſione natâ, creaturam DEI perdere poſſit, quare & varias cogitationes, deſideria, curas ac ſolicitudines, quibus diſtrahuntur ac diuiduntur hominum

*num mentes ſuggerit, vt rerum fluxa-
rum deſiderio occupatæ,* εὐσεβεῖν καὶ ἐλα-
τρεύειν τῇ κτήσει παρὰ τὸν κτήσαντα
*Rom. 1. malint, cùm potius omnes vniri
ac colligi in dilectionem DEI, ac ex-
creaturis ſolùm mirari ſapientiam &
bonitatem DEI deberent.* Vt affligan-
tur in ea, *id eſt, iuſto ſuo iudicio eis di-
ſtenſiones ſiue afflictiones immittit.
Quia enim populus iſte contempſit aquas
Siloë, quæ cum ſilentio fluunt, adducet
ſuper eos Dominus aquas fluminis fortes
& multas: id eſt, quia dedignantur eſſe
contenti ea conſolatione, quam Dominus
dat, ſed ſuis ſtudiis alta quærunt, iuſtè
permittit DEus vt vbiq; inueniant af-
flictionem, & ab ærumnis huius vitæ
tranſeant ad æternas miſerias. Sic quia
Sarraceni olim nolebant amplecti pro-
miſsiones de CHriſto, & firmiter ſta-
tuere non alium expectandum. Ecce*

Mahometi impostori anno 630. se in Arabia prophetam iactanti, creditum est incredibiliter. Et quanquam in multis superstitionum generibus euidens sit humanæ mentis cæcitas, tamen in Saracenis vel euidentissima hominum cæcitas apparet, qui etiamnum hodie hominem animalem & impurum ita colunt, venerantur & adorant, vt nulla religio iam latiùs pateat & plura hominum corda occupet. Sic enim illudit Satan in cordibus eorum qui pereunt, ac tanta est errorum efficatia.

VERS. XI.

Cuncta fecit Deus bona in tempore suo, etiam ipsum mundum tradidit cordi (disputationi) eorum, nemo inuenit opus quod fecit Deus à principio ad finem.

Πρόληψις Cuncta fecit Deus bona in tempore suo. *At superius dixit omnia*

nia vanitatem esse. Hinc inferri potest: Si omnia vana, sequitur quòd nullo modo bona esse possunt. Respond. Distinguit Salomon ac ostendit omnem vanitatem ex vitio hominum esse, non autem ex vitio rerum. Omnia igitur quæ mala videntur bona fecit Deus, & vel ad gloriam ac vtilitatem bonorum, vel ad vindictam malorum. Sic Ecclesiast: 29. Aqua, ignis, ferrum, omnia hæc sanctis sunt bona: Econtrà ignis, grando, fames & mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt. Quòd itaq; miseriis & calamitatibus vbiq; implicemur, non Deus in culpa est, ipse enim paratus esset semper benefacere iuxta illud: Non est voluntatis meæ mors impij, Ezech. 18. Sed nec ipsæ res in culpa sunt. Videt enim Deus cuncta quæ fecit, & erant valde bona. Præterea cunctis etiam rebus atq; negociis vniuersis, idoneum suum tempus atq;

opportunitas ſcitè deſtinata eſt. Nos igitur ipſi in culpa ſumus, primò quòd horam & tempus non expectamus à Deo, ſed noſtra curâ præuenire volumus. Sic riſus bonus eſt, ſed ſuo tempore id eſt, cùm eum Deus offert. Matrimonium quoq; bonum eſt, ſed etiam ſuo tempore, id eſt, cùm Deus copulat. Nos autem tempus hoc non expectamus, ſed noſtra curâ præuenire volumus idq; inconſulto Deo, ideo in omnibus rebus inueniemus afflictionem. Secundò ideo etiam afflictionem inuenimus, quia eam in corde nobiſcum circumferimus. Vbi enim peccatum eſt ibi maledictio, infernus & omne malum. Qui igitur maledictionem ſecum portat, quid mirum quòd vbiq; afflictionem inueniat? ſed de ea addit: Etiam ipſum mundũ tradidit cordi eorũ. *Altera pars diſtinctionis: Res quidem cunctæ adeo bonæ ſunt, vt nihil amplius poſſit*

poßit in ipsis desiderari sed hominum ambitiosißimæ curiositati & impatientiæ infensus Deus, eorum mentes hoc delirio mulctauit, vt se quæstionum & disputationum labyrinthis affligant, atq; ex libro naturæ materiam contradictionis de creaturis & creatore, infinitis modis arripiant. Quare & sapientes mūdi, literis & syllabis huius libri adhærentes, id est, in creaturarum contemplatione tantùm vacantes, longißimè à vero huius libri fine recedunt. Interim autem ex hoc & similibus locis, quod à philosophis de mundi æternitate pari stultitia & impietate traditum & creditum fuit, facilè reuincitur. Nam si vanitati & interituj res istas visibiles obnoxias eße, ex earum inconstantia & singulorum interitu atq; occasu animaduertißent veteres philosophi, aut si rerum cunctarum authorem & moderatorem de his loquentem

tem docentemq́ perituras eſſe admitte-
rent, minùs repugnantibus ſed facilioři-
bus quàm hactenus ſe pæſtiterint, ijs
vteremur. Hominibus autem Dei igna-
ris, quia magis arrident humanæ ratio-
nes & ex vita quotidiana ſumptæ, faci-
lè Deo non ducente errorum chaos pari-
unt. Quamobrem quum ſacrarum litera-
rum dogmata multa tribuunt epitheta
tempori, quod ad ſuam tendit cataſtro-
phen, ſicut nos diuina monent oracula,
longa ſeries annorum tantummodo eſt in-
telligenda, non autem quæ fine caret æ-
ternitas, quæ nulla in tempore eſſe poteſt.
Præclarè ac perſpicuè hic noſter Eccle-
ſiaſtes conuincit philoſophantium deliria:
vanitatem rerum iſtarum omnium aſpec-
tabilium arguens, ex ipſarum inſtabili-
tate & inconſtantia. Nihil enim fluxi
& caduci habet æternitas, quare cùm ea
quæ ſunt inſtabilia nequaunt eſſe æterna,
quia

quia firmitatis nihil habeant, quis tempus aut cœlum iure dixerit eſſe perpetuum aut æternū? Perpetui quidem voce vtimur in motu cœli explicando, & perpetuo motu cœlum ferri ac voluj dicimus: Sed non eò fit, vt cœlum aut eius motum perpetuum, id eſt, æternum dicamus aut affirmemus. Ita enim in hac dicendi ratione, perpetuum cœli motum dicimus, quomodo perpetuam orationem hoc eſt, non interruptam Sic ergo intelligimus cœli motum perpetuum, hoc eſt, irrequietum nec interruptum, quodq́ non ante moueri deſinet, nec ſuam intermittet conuerſionem, quam contigerit reuelatio filiorum Dej, quemadmodum hoc idem monſtrat Apoſtolus Rom. 8. inquiens: Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum DEI expectat, vanitati enim creatura ſubiecta eſt non volens, ſed propter eum qui ſubiecit eam in ſpe &c:

Hæc

Hæc quidem ſunt quæ diuinitus exponuntur ab Apoſtolo, certißima omnino & his conſentientia quæ ponuntur ab Eccleſiaſte, quibus nos reuocat ab iſtarum rerum fluxarum, quibus nimium ſumus affixi ſtudio, ad Dej ſerium timorem. Nemo inuenit opus quod fecit Deus à principio ad finem. ἐκ τοῦ ἀδυνάτου τὸ ἄχρηστον *colligit. Nemo aßecutus eſt quod fecit Deus à principio ad finem, Ergo rerum abditarum inueſtigatio impoßibilis eſt, ac per conſequens inutilis. Antecedens patet. Nam à conſilio diuino tantùm abſunt homines, vt ne quidem vnicum diuinæ prouidentiæ opus prout illud & inchoatur & perficitur, miſeri mortales vlla ſagacitate comprehendere & aßequi poßint, multò minùs intelligant rationem operis ſiue cauſam, quare ſcilicet hoc fecit Deus, illud non, vel quare hoc ita, illud verò aliter. His aſ-*

ſcribe

ſcribe ipſas opinionum incertitudines & velitationes infinitas, quas vt maximè certas illi contendebant, vt de principijs, de natura mundi, quem alij generatum eſſe & corruptibilem, vt Anaxagoras ac alij finxerunt, alij generatum quidem, ſed æternũ fore vt plato, alij nec ortũ nec interiturũ, vt Ariſtoteles. Quid? quòd alij dicunt mundum eſſe Deum, alij animal. Alij eſſe plures & infinitos mundos ex atomis infinitis ac concurſione fortuita factos. Item de centro mundi multæ ſunt digladiationes, quòd alij dixerunt eſſe terram, alij non terram ſed ignem vt Pythagorici, propter ignis nobilitatẽ & rerum conſeruationem. Alij dixerunt terram quidem eſſe in medio, ſed moueri circa medium ſuum, id eſt centrum &c: De Dijs quoq; & natura Deorum magna diſſenſio eſt. Alij enim negauerunt eſſe Deos vt Diagoras, qui

ob hoc dictus est ἄθεος. Alij dubitauerunt vt Prothagoras, alij dixerunt esse quidem, sed non curare mortalia vt Epicurus. Alij & esse & curare vt Stoici. De anima digladiantes & dissentientes philosophorum sententias recitare, fortè magis tædiosum quàm inutile foret. Sed ex his paucis liquidò constat nihil certi, nihilq; veri, in tot opinionum barathro definitum esse, sed potiùs cùm vnum esse solum Deū, omnipotentē & æternū omnium rerum creatorem, ac earundem dispensatorē credendū sit, recisis & repudiatis istis falsis de talibus rebus per profanorū authorum libros sparsis opinionibus, agnoscamus nos homines esse & tenebras atq; impotentiam humanam, tum & ingeniorum nostrorum tarditatem: ac simul ignorantiæ & viciositatis remedia discamus è verbo Dej petere. Ita fiet vt verè sapiamus & in donorum

Dej contemplatione sine peccato verse- mur.

VERS. XII.

Itaq; cognoui nihil obuenire melius hominibus, quàm vt lætentur & bonis suis fruantur in vita sua.

COnsectarium est superiorum: Si studium curiosorum & creaturis adeo seruientium ac sese macerantium, disputando & inquirendo, quibus causis hæc & illa contingant, inutile ac impossibile fuerit. Sequitur optimum esse vt homo colonus ac hospes huius mundi à Deo constitutus, spe perpetuæ in his terrarum spacijs felicitatis ac beatitudinis abscißa, quantum potest bene faciat in vita sua, nec frustra congregando magnas opes, aut rerũ impoßibilium imperuestigatione torqueatur, sed contentus sit victu & vestitu, fruatur præsentibus, ac læto iu-

cundoq;

cūdoq́ animo ſine ſolicitudine & cura futurorum viuat. Exiſtimans ſe nihil amplius de labore ſuo lucrari poſſe, quàm cibum & potum, & ſi quid de opibus ſuis in bonis operibus ſuis expenderit, hoc ſolum Dej donum eſſe. Sed verum eſt prius, ergo & poſterius. Antecedens ſuperiùs patet, ſed conſequens in hoc verſu eſt, quod tamen cum hac limitatione intelligendum: Non hic diſputari de inſano mundi gaudio de quo Eſai: 22. Manducemus & bibamus, cras autem moriemur. Illud enim non tam indecorum quàm indignum hominis natura eſt, & maximè in verbo Dej damnatur. Iuxta ἀναγωγὴν autem verus cibus, quo oblectari debeat homo eſt caro Chriſti, & verus potus ſanguis eius, ſicut ipſe dominus ait: qui manducat carnem meam & bibit ſanguinem meum in me manet & ego in illo. In hac ergo

ergo cibi & potus ſpirituali recreatione maximè lætari debemus, & nec ſolùm in myſterio: ſed etiam in lectione ſanctarum ſcripturarum, vbi paſcamur & potemur de ligno vitæ quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.

VERS. XIII.

Sed etiam quod quiſpiam comedat & bibat & bonum videat, donum DEI eſt.

ALia prolepſis de vſu donorum DEI & bono quod ſequitur ex labore, quod nemo ſibi arrogare debet, cùm vt res ipſæ, ſic iſtud ſingulari DEI beneficio donatur. Quod igitur lucis huius vſura, & rebus ad alendum iſtud corpus comparatis, quiſpiam ſuo munere defunctus potiri ac frui poteſt, DEI muneris eſt, ac proinde tam iſta

ſunt ab vno illo expetenda & expectanda, quàm vbi hæc obtinueris, gratiæ ſunt illi habendæ & ex voluntatis illius præſcripto, illis vtendum. Hunc verſum confirmat primò quotidiana noſtra precatio, in qua quotidie orando dicimus, panem noſtrum quotidianum da nobis hodie: & teſtimonia ſcripturæ, Iohan. 15. Sine me nihil poteſtis facere. Eſai. 26. omnia opera noſtra operatus es in nobis domine. Hoc qui ignorant, non tam nullum laborum percipiunt fructum, quàm pœnas & animi acerbitates referunt incredibiles. Huius verſus vt ſuperioris vberiorem explicationem pete ex 24. verſ: cap. 2: Interim ſemper ſit in conſpectu dictum Iob: Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum. Si potens, ſi diues, ſi animo præſtans, ſi doctus es, ſi ſanus es & robuſtus, cogi-
tes

tes hæc dona DEI esse, DEO gratias age, nec intumescas, quia qui dedit citius momento auferre potest.

VERS. XIIII.

Noui quicquid facit DEVS semper fore, nec posse ad illud addi nec detrahi, DEVS autem sic agit vt homines ab eius conspectu timeant.

QVia multum interest tenere, quanta sit differentia inter DEI & nostra opera. Transitio est à vanitate humanorum operum, ad considerationem operum DEI, in qua de eorum conditionibus & causis disserit. Nam cùm anteà dictum sit alias res ab hominibus vltrò suscipi, artificio & industriâ perficiendas, alias, DEVM naturæ legibus constrinxisse, disputatis prioribus aggreditur alteram distinctionis

partem. Ac cùm earum rerum aliæ in conspectum humanum non cadant, aliæ quidem visui obnoxiæ sint. De visibilibus deinceps aget. Et cùm harum quidem aliæ semper eodem modo perdurent, vt Terra, Cœlum, Sol, Luna, aliæ verò per successionem seruentur in specie, vt homines, plantæ & similia, ideo inquit: Noui quicquid facit DEVS *Scilicet, creando, disponendo, propagando, recreando, gubernando & conseruando:* Semper fore *scilicet, in generibus singulorum, non in singulis generum. Nam singularia corruptioni subiacent & generationi:* γένη δὲ καὶ ἔιδη ἀγέννητα καὶ ἀφθαρτά ἐστι *id est, genera & species ingenerabilia & incorruptibilia sunt. Quare & tenendum, quòd quædam creaturæ perseuerent eadem numero, vt corpora cœlestia elementaq́, quæ semper perseuerabunt, quantum ad essentiam,*

licet

licet renouationem expectent quò ad formam id est, decorem exteriorem in aduentu iudicis. Secundò aliqua, eadem, specie, vt homines, animalia, plantæ. Ac postremò non tam ipsæ res permanent, quàm ipsa DEI ordinatio in rebus. Permanent quoq; ita temporum successiones ac operationes creaturarum, vt neq; apponere ad ea, quæ in mundi conditione DEVS creauit, cùm eiusmodi compositio perfecta sit & indeficiens, sed neq; ab ea quicquam vt superuacaneum detrahere quis poßit, multò minus consilium DEI impedire, contra quod omnis nostra ratio ac fortitudo straminea existit.

Sed de fine rerum conditarum, additur elegans sententia & aureis literis scribenda, nimirum DEVM cuncta certa ratione moderari, eademq; iubere humanis vsibus seruire, vt homines hæc

videntes, intelligant eſſe prouidentiam DEI & timeant à facie Iehouæ, dum ex rerum æqualitate, curſu, ordine atq; conſtantiâ, agnoſcunt creatorem Deum omnipotentem. Sic Lucianus Antiochenus presbyter, ad præſidem Antiochenum dixit: Interrogatus enim cur ipſe laudem & admirationem ſapientiæ obtinens, faceret ſe participem iſtius ſectæ, quæ omnium rationi refragaretur, hoc eſt, chriſtianæ. Reſpondit ſe primùm ex omnium rerum ordine atq; pulchritudine vniuerſi, in huius ſectæ κοινωνιάν *incidiſſe, ac deinde ex huius doctrina de DEO, ipſum Deum authorem omnium eſſe, ſe deprehendiſſe, cui reniti nequaquam fas eſſet. Ac I las chabea illa ad filium: reſpice cœlum & terram, & fiet vt non timeas carnificem hunc ſed Deum. Non igitur ordinem ſuum ab vllo impediri permittit,*

vt

vt totus mundus agnoſcat illum ſolum eſſe Deum, cui ſit imperium in cœlo & in terra, ipſi ergo gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

VERS. XV.

Id quod fuit iam eſt, & quod futurum eſt iam fuit, & quod propulſum eſt, DEVS requiret.

AMplificatio ſuperioris per ſimilitudinem ſumptam à ſphera cœleſti quæ moderatur tempora: ſicut tempus ipſum reuoluitur, quod omnia continet, ita & ea reuoluuntur quæ ſunt in tempore. Hinc fit, primùm, vt DEI prouidentiam ex ipſo vno, quòd temporum viciſsitudines quantumuis inſtabiles nobis videantur: tamen DEI manu iſtam rotationem regente & conſtanter omnia moderante, efficienteq́ vt quod, illa recurrente rota propulſatum fuerat, in

orbem suo tempore recurrat, discamus & agnoscamus, ac deinde sciamus vniuersa quæ cernimus, vel fuisse, vel esse, vel futura. Sic sol qui nunc oritur fuit antequam nos essemus in mundo, & oriturus est postquam mortui fuerimus. Sic terra singulis annis arescit iterumq; virescit in germine suo. Mare fluit & recidit vt refluat, animalia moriuntur & renascuntur iterum eiusdem generis. Homines morte finiuntur & alij pro eis oriuntur. Quare & hac lege creaturarum nihil nouum inueniri poterit, cùm Deus per succedentia tempora omnia restauret quæ fuerunt. Hæc sanè illustria testimonia sunt de Dej prouidentia, ex qua quicquid existit, oritur & perficitur etiam omnibus hominibus reluctantibus. Etsi autem sunt authores physici qui opinentur ex reuolutione cœlestium virtutum temperieq;,

regionum fœcunditatem mutari in sterilitatem, & sterilitatem rursum in fœcunditatem, idq; adeo, vt vbi nunc est mare, aliquando terra, & vbi terra, illic maria fuisse coniectent. In quod argumentum ex fide dignis historicis, licet pauca adijcere. Aristoteles narrat, Troianorum temporibus Helladen Argiuorum, stagnantem fuisse eoq; sterilem, Myceneam autem mirè commodam & feracem: posteà verò vice versa hanc stagnantem effectam, illam siccatam & cultam. Et aliquando emersisse terras, easdemq; coli cœptas, vbi anteà fuerant aquæ: rursus aquas profluxisse & omnia occupasse, vbi anteà habitabiles fuerunt regiones, non est difficile ex philosophis, historicis, poëtis comprobare. Noster Tertullianus in Apologetico & libro de pallio, multa habet præsenti loco accommoda. Rhodos ac Delos insulæ

in mari ſubitò emerſerunt. Cycladibus aliæ atq; aliæ paulatim inſulæ adiunctæ ſunt. Homerus Odyſſ: lib: 4. aſſeruit, à Pharo inſula in Ægiptum noctis & diei curſum fuiſſe, quod vniuerſum ſpatium continenti nunc eſt agglutinatum. Qua de re etiam Pomponius Mela lib.2. & Lucanus lib. 10. Herodoto ſi credimus mare quoddam ſupra Memphim, vsq; ad Æthiopum montes omnia occupabat. Idem teſtatur, id alluiſſe templum Dianæ Epheſinæ. Contrà quicquid inter oppidum Rhegium & Ciliciam eſt, id olim vaſta erat terra, nunc amplum fretum eſt, multis authoribus id teſtantibus: nempe Tertulliano in Apologetico, Solino, Iuſtino lib. 4. Virgilio Æneidos lib 3. Silio Italico lib 14. Philo in lib. de mundo, tres vrbes, Ægyram, Buram, Helicen, vehementi maris impetu abſumptas teſtatur. Quin & Atlan-

tis

tis insula (quemadmodum in Timæo suo meminit plato) cùm aliquota Asiæ atq; Aphricæ portione, diem vnum noctemq; factis terræ motibus & portentosis diluuijs sidens, repentè à mari est condita: quod mare eo casu voraginosum & nequaquam deinceps nauigabile factum est. Ex quibus facilè est intelligere, eiusmodi insignes & memorabiles terrarum ac feracitatum mutationes non rarò fieri. Quæ enim mutatio facta sit in Chanaan & multis alijs locis dictum est. Ad hoc autem sciemus naturam rerum infirmis elementis subiectarum, fragilem esse & corruptionibus ac mutationibus expositam. Nec quicquam tam splendidũ & magnificũ, quod non redigatur ad nihilum & in contemptum veniat, omnia veterascunt vt vestimentum, Dominus solus manet immu-

immutabilis & qui in eo sunt, vnum cum illo facti. In Asia, Aphrica, alijsq; memorabilibus locis iam multa iacent neglecta, infrugifera & deserta, quæ vix serpentibus in alimentum sufficiunt, vbi tamen olim fuerunt ingentes ciuitates & populosissimæ, vbi igitur iam est Babylonia? vbi Niniue? vbi Thebæ? vbi reliquæ de quibus tam magnificè loquuntur historiæ? Ecce rerum humanarum miseram conditionem. Quid miseri extollimur? Quid cæci inflamur in tam caducis rebus? Babyloniæ vrbis altitudo & amplitudo nota est, sed vbi fuerit ignoratur locus, est iam habitatio Syrenum, draconum, crocodilorum & venenatarum aliarum ferarum. Dic mihi campum vbi Troia fuit, & eris mihi magnus Apollo? Ægyptus quæ Nili exundatione paradisus erat, iam laudes suas non tuetur, nec respon-

respondet colonis suis. Quem in modum, omnia sphærica reuolutione mutari hoc in versu tum alijs pluribus, & superiùs etiam Ecclesiastes noster tradidit. Sed tales rerum humanarum circulos introducit & instaurat Deus, tantùm vt suam sapientiam & potentiam conspicuam faciat, ac proinde ab omnibus timeatur.

VERS. XVI.

Vidi præterea sub sole locum iudicii, ibi Scelus, & locum iusticiæ, ibi scelus.

ALia ἀπόδειξις vanitatis & instabilitatis vniuersi, ab obseruatione exemplorum, quæ in huius vitæ curriculo, quàm plurima ab ipso animaduersa sunt, ex quibus, omnes magis ac magis intelligunt quantoperè hallucinetur, qui in vlla re mundana quærit in quo conquis

quiescat. Vidi præterea (*inquit*) sub cœlo locum iudicij, ibi scelus. *Argumentum est à contradicentibus finibus.*

Si propter quod Deus nihil non agit in effectum non producitur, summa impietas & summum scelus est, quod huiusmodi Dej actionem impedit.

Sed Deus nihil non agit vt timeatur, quanquam tamen minimè timetur.

Ergo summum est hominum scelus & summa vanitas. *Consequentia manifesta est ex contextu integri versus. Deus potentiam & sapientiam in omnibus operibus suis conspicuam fecit vt timeatur, & eò quidem in illustribus personis, quas excellentiore sapientia ornauit. Sed hîc Salomon disputans de vniuersi vanitate, conqueritur se inuenisse impietatem & iniusticiam nedum in profanis negocijs, sed etiam in* loco iudicii, *vbi maximè timor Dej vigere debuit.*

buit. Ac locus iudicii & iusticiæ, *sunt & debent esse curiæ principum, prætoria, cancellariæ, consistoria & alia disceptandi causas loca. Huiusmodi Deus mandat in suo verbo: Audite principes, nonne vestrum est scire iudicium? item diligite iustitiam qui iudicatis terram &c. Ne igitur perfunctoriè hanc lectionem percurramus, breuiter nata occasione ex hoc loco, pauca notabo de officio magistratus: ac deinde quæ præcipuæ virtutes in principe persona elucere debeant. Primùm itaq; ac potissimum officium magistratus requirit, vt sit custos vtriusq; tabulæ decalogi, hoc est, vt veræ religionis & doctrinæ curâ afficiatur, vt curet populum rectè doceri ac erudiri in verbo DEI, atq; in hoc, omni studio incumbat, vt sana verbi doctrina propagetur, gloria Dei illustretur & regnum Dei amplificetur,*

At

At den reene Lærdom om JEsu Christo hans villie oc velgierninger maa flittig hoss alle bliffue dreffuen vforfalskedt. *Hoc autem fieri non potest, nisi & docentibus & discentibus stipendia decernat, Ecclesias & Scholas præclarè constituat &c. Hoc est summum officium gubernatoris, quod si omiserit nullum vnquam in vocatione sua successum habebit, ac tam prætoria quam cancellariæ pessum ibûnt. Quod autem hoc sit præcipuum officium Regum & principum & omnium qui sedent ad gubernacula Reipub: testatur sacra scriptura. Sic enim scriptum est Esaiæ 40: Et erunt Reges nutritores tui & Reginæ nutrices. Vocat Reges & principes nutritores Ecclesiæ, eò quod præbent illi hospitia, hoc est, amant, curant, alunt & fouent pios doctores & illorum discipulos. Psal. 24: Aperite portas*

portas principes vestras, & leuamini portæ æternales vt introeat Rex gloriæ. Hortatur gubernatores politicos, vt summâ reuerentiâ & studio præcones Euangelij, Christi ministros recipiant, ament, & omni genere officij prosequantur. Alterum officium politici gubernatoris est, vt suos subditos amet, curet, defendat, vt paternum affectum erga illos induat. **Hand skal vere lige som en Fader.** Quem titulum libenter audiuit Augustus &c: Oppreßos debet vindicare, maleficos verò punire. In puniendo verò seruare illam mediocritatem quæ est inter nimium & parum, hoc est, debet curare ne aut in crudelitatis, aut nimiæ lenitatis reprehensionem incurrat. Cæterùm hæc duo officia Rex aut princeps non potest tueri, nisi in eo hæ virtutes luceant. I. Amor pietatis, qui est regula omnium aliarum actionum & initium

ſapientiæ. II. ἐυεργεσία erga ſubditos, non ſæuitiam iniuſtam exerceat, non premat & perſequatur pios Doctores qui acriùs taxant gubernatorum & aulicorum vitia, non crebris exactionibus ſubditos expilet, nec res non neceſſarias moueat. III. Amor iuſticiæ. IV. Prudentia. V. Contatio. VI. Clementia πραότης, ſeu ἐυσπλαγμοσύνη. VII. Odium κολάκων ſeu amor veritatis. VIII. Sobrietas. IX. Caſtitas. De quibus deinceps &c. Harum omnium virtutum mater eſt ἐυσέβεια pietas. Nam & ſi multos Ethnicos gubernatores his virtutibus præditos eſſe legimus: Tamen in pijs gubernatoribus ſunt puriores & expreſſiores. Meminerint ergo concionatores aulici, vt reges & principes ſuos ad harum virtutum ſtudium hortentur ſedulò. Imprimis ad amorem pietatis, clementiæ & ſobrietatis. Commemorent exem-

pla

pla illorum gubernatorũ, qui in horribi-
les calamitates inciderunt propter impie-
tatem, ſæuitiam, tyrannidem ac temulen-
tiam, vt Achab regis Iſräel, Cambyſis,
Alexandri Magni & ſimilium. Econtrà
oſtendant quàm ampla præmia pietatis,
multi pij reges ac principes à Deo tule-
runt vt Dauid, Salomon, Ezechias, Ioſi-
as, Ioſaphat, & ſimiles. Agapetus egregi-
um libellum ſcripſit de officio principis,
eumq́; dedicauit Imperatori Iuſtiniano,
in quo multa præclara & vtilia præcep-
ta principibus tradit, & docet quibus
virtutibus illos oporteat eſſe præditos,
cum quibus ſocietatem ſui nominis &
officij Deus communicauit. Libet igi-
tur vnum & alterum illius dictum hîc
aſpergere. τῇ μὲν οὐσίᾳ τοῦ σώματος *&c.*
Id eſt, quod ad corpus attinet nullum in-
ter regem & exteros homines eſt diſcri-
men, ſed quod ad dignitatem pertinet,

similis est Deo. Oportet igitur eum non ira/ci vt Deum, nec efferri vt mortalem. Non prohibetur ira quam officij ratio à gubernatore flagitat, sed ira priua-ta, seu illa animi acerbitas, quâ gubernator subditos premere studet, accensus vel à diabolo qui vehementiùs oppugnat ac tentat sūmos gubernatores quàm priuatos homines. Alterum verò Agapeti dictum σεαυτῷ τὴν τοῦ φυλάττειν τοὺς νόμους ἐπίθες ἀνάγκην: Tibi ipsi necessitatem custodiendi seu seruandi leges imponas. Debet enim gubernator seu princeps ἔξαρχος esse in seruandis legibus quas condidit, & suo exemplo subditos ad earum obseruationem inuitare. Verùm de officio & virtutibus principum multa eruditorum luculenta scripta extant, illuc remitto lectorem. Interim hæ & aliæ virtutes vigere debent in magistratu, qui vices numinis cœlestis in terris sustinet.

sustinet. Sed annon miserum hoc & deplorandum est? Nusquam in mundo esse plus iniuriarum, & pro timore Dej plus regnare impietatis, quàm in ipsis curijs & cancellarijs, quas non nisi optimorum hominum atq; ipsius iusticiæ & veritatis sedem esse conueniebat? Vbi obsecro plures expilandi & miseram plebē opprimendi, ac miserabiliter conculcandi rationes excogitantur? quàm in his ipsis locis, quæ miserorum & oppressorum, perfugium esse debebant, aut deniq; vbi maior leuitas aut vanitas quàm in his locis & principū aulis? In quibus alij suadent pacem, alij bellum, alij res subditorū augendas & ornandas (quod rarum est) alij expilandas. Quid de ipsis magistratibus, qui nunc sapiunt, nunc delirant?

Quicquid delirant reges, miseri plectuntur Achiuj.

Hinc iræ, hinc discordiæ, hinc bella,

amicus amicum regis coram rege accusat, calumniatur, vituperat. Rex quid credat incertus est. Perseus frater Demetrium fratrem coram patre rege insimulauit, sedit miserrimus pater iudex inter duos filios &c: Verùm non est quòd hîc quispiam miretur, Diabolus est princeps huius mundi & Deus huius seculi. Ideo cùm simile simili gaudeat, coniungit se cum principibus Dijs & Dynastis huius mundi. Nam vt cum pauperibus oppreßis ac despectis se coniungat nulla ratio, quòd eorum societas ad negocia sua promouenda parum momenti adferat. Vt igitur principatum suum in mundo retineat, & omnis generis mala introducat, sui similibus, vti impijs principibus & regibus se coniungit, donec per eos suam voluntatem exequatur, & in locum legitimi iudicij vel patrocinij suum virus, vtpote scelera

&

& fraudes substituat. Ac exempla perfidiæ, mendaciorum & omnium scelerum in Dynastis, pontificibus Romanis, ac regibus semper deprehensa fuerunt. Item in turcicis Imperatoribus crudeliter interficientibus captiuos & alios. Et sanè historia de Iohanne Hußio ac collega Hieronymo Pragensi, qui saluo conductu dato, ad concilium constantiense, anno Christi 1414. citati, non longè post condemnati & igne cremati sunt, ex actis concilij, & ex paralipomenis Abbatis Vrspergensis chronico additis, nota est. Et etiam experientia hodie nimis multa exempla suppeditat, sed fiet tandem quod Seneca dixit:

Vbi non pudor,
Nec cura iuris,
Sanctitas, pietas, fides,
Instabile regnum est.

Anno Christi 1056. Guntherus Cancella-

cellarius Henrici IIII. Imperatoris, visionem vidit hanc, Dominum in solio maiestatis suæ residere, et eleuatum in altum brachium, destrictum gladium, magno nisu vibrare et circumstantibus dicere: reddam vltionem hostibus meis, & his qui oderunt me retribuam. Vbi paulò post, multi principes mortui sunt. Ita etiam & his postremis mundi temporibus, in quibus multa contra iustitiæ ordinem fiunt, dum principes & reges, iniquorũ scribarum, Secretariorum, morosorum et inflatorum consiliariorum, & aßentatorum turgida superbia circumuenti, libros diuinæ legis abyciunt, nec iudicy, nec iusticiæ sartum tectum conseruant, sed omnia pro libidine administrãt, insontes damnantes & reos absoluentes: videmus multa et admirabilia Dei iudicia, ne quis existimet nullum Deum eße, aut eum non affici curâ rerum humanarum, vel gemitu

tu afflictorum & miserorum hominum permoueri. Quare vt pacare hominũ animos poßit, ac ostendere rerum omnium vanitatem, æternamq́; restare vitam, in quâ singula ad amußim examinari debeant, ideo & ipsos principes mortales esse ac vanitati subiectos, nec ipsius imperium eos defugere poße, quantumuis in miseros homines subinde sæuiant, docet, dum ad suum tribunal eos citat, ab hacq́; mundi pompa ac fastu euocat. Huiusmodi Dei iudicium multæ historiæ declarant, quæ ostendunt spacio vnius aut paucorum annorũ interuallo, multos principes viros euocatos eße. Ac quemadmodum ãno millesimo, quingentesimo vndesexagesimo, eiusdemq́; temporis spacio, obiêrunt Carolus V. Imperator, nostri CRISTIANI. IIII. auus pientißimus. Christiernus II. Captiuus. Gustauus Suecus, duo reges Galliæ, tres

reginæ, *Angliæ*, *Vngariæ* & *Poloniæ*, tres electores, *Treuirensis*, *Coloniensis* & *Palatinus*, atq; multi alij. Sic & vix elapso biennio, *Stephanus Poloniæ Rex*, *Augustus Saxoniæ elector*, Illustrißima principissa *Anna Augusti* coniunx, princeps *Anhaldinus* & *Adolphus Nordalbingensium* & *Slesuigæ dux*. *Elizabetha Obotritorum principissa*, ac nunc postremò, optimus, clementißimus, prudentißimus, pietatis ac humanitatis amantißimus Rex, FRIDERICVS. II. multiq; alij extincti sunt. Qui omnes ac singuli, etsi vitæ integritate imprimis celebres fuerint: tamen cùm ἀναμάρτητοι eße non potuerint, & facilè etiam ac sæpenumero impietatem & iniusticiam loco Iudicii & iusticiæ admittere quiuerint, exercuit iudicium suum Deus, ac ostendit illud eße verum. Effundam contemptum su-
per

per principes. Item Psal. 82. non patiuntur se moueri, ideo omnia fundamenta terræ corruent. Hæc pij principes considerare debent, vt eò magis ad iusticiam aliasq; virtutes se flecti patiantur, quò se communi hominum conditioni obstrictos esse videant.

VERS. XVII.

Dixi apud me iustum & sceleratum Deus iudicabit, quia tempestiuitas est cuilibet desiderio & omni operi constituta illis.

EX diuina iusticia concludit aliam esse vitam expectandam, in qua iniusti hîc florentes puniantur, iusti verò sua consequentur præmia. Nam ratio humana plurimùm offenditur ex eo quòd Deus tot mala dißimulat. Putat enim aut non esse Deum, aut eum non curare mortalia, fides autem in verbum Dei directa,

*directa, vidit iudicium futurum quantumcunq; Deus nunc dißimulet. Ne igitur aliquem offendat malorum peruersitas & iniusticia, congruè addit in*stum & impium iudicaturum DEVM, *vt declaret iudicium illud non futurum esse* κατὰ προσωποληψίαν, *id est secundum acceptionem personarum, tum vt* ἐπίπληξιν *siue horrorem incutiat maiorem. Nam si iustus vix saluabitur, impius vbi manebit? si in viridi ligno hæc futura sunt, quid fiet in arido? Hoc Dei iudicium semper sit in conspectu nostro, quod scimus præ foribus esse, cùm omnia signa euenerint quæ filius DEI prædixit, præcessura ante nouißimum diem siue hoc vltimum iudicium. Reuelatus est enim Antichristus, Epicurismus hominum inualuit vbiq;, extrema securitas accrescit quotidie, fides subinde decrescit, diffidentia augetur erga*

Deum

Deum & homines, hæreses cumulantur, teneræ conscientiæ perturbantur, pij contristantur, candidi decipiuntur, simplices illuduntur, quieti exagitantur, bene ordinata dissipantur, rectè dicta carpuntur, & nihil integrum suo loco positum relinquitur: In mundo amplius οὐδὲν ὑγιές, οὐδὲν εὐσεβὲς οὐδὲν πιστόν. Omnia sunt aut lubrica, aut hypocritica & cerussata, aut planè furiosa & mala, aut incōstantia. Nec desunt etiā pænæ, pestes, bellum, fames & decrementum omnium studiorum, fidei & pietatis, barbaries subinde ingruens, pauperies, ἀποστασία, ἀστοργία, ingratitudo, persecutio, et si quid præterea mali cogitari vel nominari potest. Hæc et alia infinita mala, cùm quotidie cernamus, expetamus hoc Dej iudicium & libenter abeamus ex hoc ergastulo, & vt Monica Augustini mater dixerat: Euolemus, euolemus, ad commercium iudicis

Christi,

Christi, angelorum & beatorum, & petamus à Deo placidã migrationem. Sic ego te precor toto pectore ô fili Dej, Domine noster Iesu Christe, creator, saluator, seruator, da mihi placidã migrationẽ, vt in vera agnitione, confeßione & inuocatione tui, placidè moriar, nec diu torquear, & vt in pace requiescens, fiam tandem socius resurrectionis sanctorum tuorum, & te lætus celebrem & tibi gratias agam cum tota Ecclesia cœlesti, in omnem æternitatem, pro omnibus beneficijs tuis corporalibus & spiritualibus, Amen.

VERS. XVIII.

Et dixi ego in corde meo, super statu hominum, fortè DEVS eos sic condidit, vt probaret eos ac ostenderet quòd ipsi sint bestiæ.

SVprà dixit, omnia consilia humana esse vana, ac deinde subiunxit, quòd illi

illi qui debebant reliquis prælucere, pietate & iusticia, vani quoq; sint. Nunc igitur præteritione vtens à præcedentibus specialibus, ad thesin siue generalia descendit, vt καὶ ἀποσιώπησιν sermonem abrumpat. Quid de singulis dicam cùm omnes simus vt bestiæ? Nihil quicquam ab ijs discrepantes, quæ & ipsæ quoq; nihil meminerunt Dej. Hoc pronunciato reijcit quicquid philosophi, de hominis dignitate & præcellentia, super alias creaturas scripserunt. Ac certè in libris philosophorum supra modum commendatur hominis dignitas. Et inter alios, pythagorici ac platonici, hominem esse putant diuinam quandam mentem, terrenis vinculis alligatam. Nec hoc contentus Plato, hominem vocat miraculum. Pythagoras quoq; hominem esse rerum mensuram dixit. Mercurius etiam vaticinatur hominem esse

secus

ſecundum Deum. Quidam inſuper Sophiſta græcus interrogatus quid eſſet homo? facetè reſpondiſſe fertur: θεὸς θνῆτος, καὶ τὶ ἐστὶ θεός; ἄνθρωπος ἀθάνατος, *id eſt DEVS mortalis? quid DEVS? homo immortalis, quaſi homo à DEO & DEVS ab homine nulla alia re, niſi mortalitate & immortalitate differret. Prætereo alia, nimirum quòd ſolus homo omnium animalium ſcientiæ ſuſceptibilis, & artium plurimarum inuentor ſiue imitator ſit. Immo inquiunt, homo non ſolùm brutorum æmulus eſt, texit enim vt aranea, fingit vt apes, & natat vt piſces, verum etiam DEOS ſtudet imitari. Nam medicatur vt Æſculapius & Apollo. Et non tantum in hac arte Apollinis eſt æmulus: ſed in alijs quoq́; quas ille habet. Nam homo etiam Muſarum inuenta ediſcit Geometriam ſcilicet, Arith-*

Arithmeticam & Astronomiam. Et vt ait Pindarus, quæ infra terram sunt, & supra cœlum intelligere conatur. Hæc hominis sunt elogia magnifica, quæ tamen hoc auctuario deijcit Ecclesiastes, & ostendit quòd ipsi sint bestiæ, *hoc est, prosternit omnem nostram superbiam & confidentiam, quâ supra modum nos præferimus bestijs, cùm tamen ijsdẽ mortalitatis miserijs subditi simus, et nonnunquam durioribus quàm bestiæ. Quantumcunq; igitur aliquis te bestijs præferat: laudibusq; in cœlum vsq; vehat: certè nisi animam quæ prædita est ratione (hâc enim angelis similes sumus, cùm vis ipsa sentiendi nobis cum iumentis brutisq; animalibus sit communis) iusticiâ Christi, pietate & virtutibus excolamus, non alio numero, quàm bestias nos habendos pronunciat, ac his sequentibus rationibus probat.*

VERS. XIX.

Euentus enim hominum, est euentus bestiæ &c.

Prima ratio ab adiunctis communibus eorum, quæ sentiendi vi prædita sunt. Quorum nulla fere est dissimilitudo, quò ad corporis rationem vitamq; illam, quæ tota corpori vacat & indulget. Etenim primò, sicut iumenta indigent cibo, potu, somno, fatigantur, infirmantur, patiuntur æstus & frigora: sic & homo ea omnia ac longè duriora experitur. Nam sicut cæteris animalibus & plantis, varia tegumenta natura tribuit, testas, cortices, coria, spinas, villos, setas, pilos, plumas, pennas, squammas, vellera: sic hominem nudum tantùm, & in nuda humo natali abijcit die, ad vagitus statim ac ploratum, vti grauissimè isti sapientes conqueruntur.

Nec

Nec mox reliquæ, naturæ partes, mitiùs nobiscum agere comperiuntur, nihilq́ citra labores sudoresq́ nostros nobis obuenire. Taceo quorum naufraga corpora, ferarum auiumq́ pastibus iactantur, contonantibus procellis, tanquam rerum natura secum dissidente ac sæpiùs bellicum canente. Iam quæ loca præfœcunda assilientis maris vi adobruta latent, aliaq́ innumera, quæ homines vnà cum bestijs adobruunt, oratione persequi est impossibile. Quæ cùm in sensus nostros incurrant, exiguam eam esse prærogatiuam ostendunt, quâ homo bestijs præstat, quandoquidem omnia quæ sunt & in hominibus & in bestijs, sub eandem ferme rationem cadunt. Sicut est cadauer illud, sic & cadauer istud. *Secunda ratio ab exitu vtriusq́, et alijs accidentibus. Sicut iumenta siue magna siue vilia sint, aduentante termino vitæ extinguuntur, nes-*

ciunt horam mortis, sentiunt dolorem, horrent mortem, incerta quid post mortem consecuturum sit: sic & homo carnalis per omnia similis. Quinimo & vtraq́ aëris pugnam, sæuientisq́ pestilentiæ rabiem sæpenumero respirando attrahunt. Adde quòd omnia ferè animantia, ex professo infesta homini sentiamus? Vbi ergo eximia hominis dignitas? aut vbi fastigium eius ipsam exuperans cœlum? Quid nonne homo ipse, homini lupus est? Inuulgatius illud Phalaridis est, siue is fuit, siue alius qui dixit, tutiùs se inter præsignes immanitate feras victurum quàm inter homines. Sed sequitur: Et præstantia huic homini præ illa bestia non est. Nam omnia sunt vanitas.

Tertia ratio à materia communi, loquitur autem de homine qui Spiritu Dej caret. Videtur quidem homo ἐξοχὴν *singu-*

ſingularem habere præ beſtijs reſpectu formæ, id eſt, animæ rationalis & ſermonis, ſed ea ornamenta nedum vtilitatem, ſed etiam exilium ac intertetrimentum perpetuum, homini afferunt impio. Quid enim profuit Ciceroni eloquentia? Ariſtoteli ſapientia? Alexandro potentia? cùm parum ipſa bruta excelluerint? Ridendus igitur nobis, præſertim Chriſti doctrinâ imbutis, ipſe Alexander? Quem in hiſtorijs Iohannes Monachus cognomine zonaras ſcribit, quum iaceret conclamatus planè, voluiſſe clam in Euphraten ſe demergere, vtì opinionem poſt ſe relinqueret, ceu morbo non fuiſſet abſumptus, ſed integer ad Deos abijſſet. Ac Græcorum commentarijs proditum eſt de Pſaphone, qui nimio plus, naturæ bonis inſtructus, quàm intra cæterorum pelliculam ſe poſſet comprimere, inſita animi inſolentiâ latiùs

ſeſe expandente, conſilio admodum ingenioſo & vafro, diuinitatis opinionem adſciſcere ſibi adortus eſt, captiſq́; auiculis quæ ad humanum ſermonem pernoſcuntur dociles, ſubinde illas artifici conſilio inſtruere cœpit, vt articulatè prorſum enunciarent, μέγας θεὸς ψάφων, magnus eſt Deus Pſaphon. Quæ vbi dictatam fabulam expeditè perdidiciſſe ſunt viſæ, emiſit eas Pſaphon. Illæ verò paſſim vt aſſolet, cantillantes, eadem repetebant. Quod audientes incolæ putanteſq́; fieri diuinitùs, vt qui commenti forent neſcij, Pſaphonem vt Deũ ſunt venerati. Tales diuinos honores & numinis cœleſtis appellationẽ Antiochus, Caius, Diocletiànus ambitioſè affectârunt, quorũ poſtremus, cùm gẽmas veſtibus & calciamentis inſeruiſſet, vt Deũ ſe adorari iuſſit. De Herode notiſſimum eſt. Sed hi quid habent præ beſtijs, aut ani-

animam acturi, quantum distabant à bestijs? sed vt demus ea parte præstitisse bestijs, nempe quòd animam immortalem habuerint: sic & miserabiliores ipsis bestijs pronunciamus, quòd sicut spiritus iumentorum id est, pecorum, cunctorumq́ brutorum animalium, simul cum corpore dissoluatur: ita eorum spiritus non simul cum corpore dissoluitur, sed mox vt egreditur de corpore, deducitur ac demergitur in supplicia ac tormenta æterna. Restat igitur vt hac ratione omnia sint vanitas, nec minus homo carnalis & non regenitus, quàm bestiæ.

VERS. XX.

Omne hoc pergit ad locum vnum: omne hoc ortum est ex puluere & in puluerem redit.

VTilis commonefactio contra Manichæos, Democritum, Epicurum,

Pythagoram & Platonem, homines sapientiæ nomine toti mundo admirabiles, qui docuerunt animas huc & illuc transferri, immortales illas quidem asserentes, sed tamen ex alio corpore in aliud transmigrare, omniaq; subire corpora, tam hominum quàm brutorum, reptilium quoq; ac plantarum. Huiusmodi μετεμψύχωσιν falsissimam esse ex eo liquet, quòd eam transmutationem, quam Pythagoras Samius, à quo philosophia Italica sumpsit originem, post mortem esse somniauit, in viuentibus fieri videãus, quòd haud difficulter demonstrandum censeo. Etenim alienarum opum violentus ereptor, lupum se facit. Qui insidiator est & fraudulentus, astutam vapido gestat sub pectore vulpem. Qui libidinosus est & spurcis voluptatibus immersus, in hircum se vel suem transmutat. Qui linguam hunc & illum mordendo exercet canis est:

nis est:

nis est : ita & in alias belùas hominem mutari dicimus, cùm deserta ratione irrationalem sumit appetitum. Quod si ita est, quot lupos rapaces? quot vulpes veteres? quot rabidos canes? quot inertes asinos? quot porcos? quot vaccas, quot viperas per totum orbem dispersas, bonis & veris hominibus nocere credendum est? Nos igitur Christiani, quos diuinæ scripturæ rectiùs erudiunt, μετεμψύχωσιν accipimus in ijs qui non vtuntur rationis munere, quæq; in scripturis comparantur iumentis. De his loquitur præsens comparatio, videlicet eodem & hos & bestias tendere, ad puluerem scilicet, ex quo fuerant etiam vtraq; desumpta. Quod intelligendum est de corporibus vt dixi, non autem de anima. Hac enim ratione vt ostendat hominem secundum animæ immortalitatem plurimum distare à iu-

mento & pecore, idcirco disiunxit dicens:

VERS. XXI.

Quis nouit an spiritus filiorum Adam, ascendat sursum, & an Spiritus iumentorum descendat deorsum in terram?

Πρόληψις *contra eosdem aßertores* μετεμψυχώσεως, *ab ipsa differentia animæ rationalis & sensitiuæ, quarum illa quidem corpore egrediens, sursum ad illum euolat à quo fuerit tradita: bestiarum autem spiritus vnà cum corpore interiens, deorsum abit & interit. Quod igitur interit, impoßibile est vt pluribus rebus plures nouas induat formas, ac proinde falsißimum est ac vanißimum de* μετεμψυχώσει *dogma Quare de acie mentis humanæ obtusa & obnubila dißerens, eam cæcam pronunciat, cui*

dum

dum quæ sit ratio animæ rej tam minutæ ac vulgaris videre non est datum, ostendit quòd in rebus diuinis, ac ab eius intuitu remotis, prorsus cæcutiat. Quis nouit *(inquit) id est, quis est ille qui veram fidem habet, de hac differentia hominis et iumentorum, scilicet quòd spiritus hominis creatus sit ad hoc, vt in cœlo glorificetur cum angelis semper viuens,* & spiritus iumentorum *cum carne diffluxurus sit? quasi diceret, pauci sunt qui vera fide hæc statuunt. Nam si hoc firmiter crederent, non vsq; adeo afligerentur circa terrena: sed semper gauderent expectantes cœlestia. Vbi igitur Sophistæ qui rationis lucem in tantum extollunt vt etiam semideam ex ea facere sint ausi? Quò ergo diuersi abitis philosophi? redite ad vos: palinodiam recinite? fatemini luctuosa esse hominum primordia, luctuosiores progressus,*

greßus? exitum verò nullis poße lachrymis exæquari: præsertim cùm plerosq́ tenebrarum illa conceptacula, suppliciorum diritas, damnati infandiq́ spiritus excipiant. Nec est quòd quispiam inquiet, diuinum se animal eße. Agnosce, obsecro te, non plenè percipio quid tu diuinum putes? an quod origine tantum, an etiam quòd vitâ? si origine tantum, falleris: brutum es, lupus, Draco &c: Tui te mores exuunt diuinitate. Es ne luxuriæ conciliatus, immo mancipatus auaritiæ, superbiæ & id genus innumeris alijs? Es inquam numisma Dej, an verius Satanæ simulachrum, turbâ scelerum collutilatum adobrutumq́. Quid gestis? Quid gloriaris terra & cinis, corpus quidem surrectum est, cuiusmodi verum addeceat hominem: intus tamen fera est Typhone multiplicior. Ad cælum tua te effigies reuocat: at inquinatißimis

tißimis ipse moribus, ad iumenta te recipis. Deposco inquis mihi vniuersas subijci animantes? Dic quæso quonam istud argumento? aut quo illis excellentior? quo præclarior? rationale quidem es animal: sed vbi sese ostentat rationis lumen? aut quid omnino cum ratione vel cogitas vel facis scortando, expilando, ingerendo in ventrem latrinarum medicatorium, quicquid in vlla nascitur naturæ parte. Hæc ne sunt rationalis naturæ opera? Resipisce miser, resipisce ac exue brutum, teq́ ipsum cognosce. Qui enim seipsum cognoscit, in Deum transit, vt Dej tradit verbum. Lux enim & vita Deus est ex quo creatus est homo. Proinde qui se ex luce ac vita compositum deprehenderit, ad vitam rursus lucemq́ transcendet.

VERS. Vltimus.

Itaq; vidi nihil melius quàm vt lætetur homo operibus suis. Nam hæc eius portio, quis enim te eò adducet vt id videas quod post te futurum est?

DEfinitiua sententia siuè conclusio ex superiore disputatione. Quid optimum sit, nempe vnumquemq; pro suæ sortis conditione, honestum vitæ genus sequi, rebusq; rectè partis fruj, egenis fratribus & sororibus pro modo facultatum subuenire, lætitiamq; veram ac felicitatem apud Deum immortalem expectare solidam. Hæc enim piorum omnium vera est portio, quam nec fures, nec latrones aut tyranni auferre poßunt, quæq; nos tantummodo post mortem sequetur. Vberiorem explicationem vide suprà.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

HActenus in tribus capitibus, multa aduersa quibus humanum genus obnoxium est, recensuit, vt nos ad solum Deum, omnium rerum dispensatorem adduceret, sed illa vix primordia ac elementa ærumnarum ac vanitatum sunt. Quare iam ipsum malorum pelagus ingreditur Salomon, ac propositionem generalem de rerum omnium vanitate confirmat, ab omnis generis iniurijs, ab exemplis pigrorum, auarorum, ac solitariam vitam degentium, regum deniq; ac regnorum omnium instabilitate. Est autem totum caput in genere dissuasorio vt & superiora. Dissuadet enim à mundi nimio amore, argumentis ab eius vanitate adductis, quorum primum est ver. 1.

VERS. I.

Aliò enim quum ipſe me conuer-tiſſem, conſideraui oppreſsiones quæ ſub ſole geruntur, & lachrymas innocenti-um, & neminem conſolatorem, nec poſ-ſe reſiſtere eorum violentiæ, cunctorum auxilio deſtitutos.

PRimum argumentum ἀπροτρεπτικὸν *ab iniurijs & violentijs quæ inno-centibus inferuntur, deſumptum, quæq; à ſuperioribus non corriguntur, aut quia non poſſunt, aut quia nolunt. Sit igitur* ἀνάλυσις:

Talis vitæ ſtatus non eſt perpetuò expetendus, qui iniurijs & violentiæ ex-poſitus, nil niſi mera vanitas exiſtit.

Sed huiuſmodi eſt totius vitæ huma-næ curriculum, in quo omnia plena ſunt lachrymarum, nuſpiam autem apparet, qui oppreſſos liberet.

Ergo pro ea vita alia maximè ex-petenda.

Aſſump-

Aßumptio Salomonis est Vers. I. Alió igitur quum ipse me Conuertissem, considerauì omnes oppresiones. *Transitio ad nouam propositionem, in qua ostendit se animaduertiße fieri non poße, vt homo, perpetuo cursu rerum secundarum in hac vita vtatur. Quocirca hoc egregia hypotyposi exprimit, eáq; quasi omnes homines in rem præsentem vocat, ac maximè in oppreßione innocentum, vanitatem mundi eiusq; contemptum insinuat. Certum enim est principibus viris traditum commißumq; eße gladium, ab imperatorum ac regum omnium imperatore summo, cum honorificentißimo hoc elogio, vt viduas & orbos parentibus, aliosq; tyrannidum vi ac violentiâ oppreßos, aut deniq; quibuscunq; detrimentorum incursibus quaßatos, tuentur, defendant, protegant, modisq; omnibus subleuent. Dulcißima igitur est*

recordatio, seruatam eſſe fidem, factum promiſſum, præſtitum officium, nihil neglectum prætermiſſumuè omnium quæ fieri, rectum iuſtumq; & fas eſſet. Hanc alacritatem faciendi officium, & conſcientiæ puritatem omnibus principibus inſitam maximè decet, quod etiam Ethnici nouerunt, quorum dicta & facta monumentis hiſtoriarum tradita ſunt, & ad poſteritatem diligenter tranſmiſſa. Ac imprimis narrat Philoſtratus Achillem ab Aiace interrogatum fuiſſe. Quas res ſuſcepiſſet geſſiſſetq; pleniſſimas periculorum & maximè difficiles? Et illum reſpondiſſe, eas quibus defenſi conſeruatiq; eſſent ſuj. Ibi Aiax, ſed quænam actiones, quæq; opera fuêre tibi, inquit, iucundiſſima & minimè laborioſa? Eadem inquit Achilles. Quo verò pacto inquit Aiax, eadem facilia & difficilia? Quia enim inquit Achilles: dum maxima pericula

pericula adire meorum causa non dubito neq; recuso, ita liberor molestiâ atq; dolore, quo, propter ipsos macerari me necesse esset. Præclarum & dignum Achille responsum. Nec inferiùs illud eiusdem, qui apud Homerum grauiter de suis laboribus ac ærumnis queritur, cùm inquit: Quemadmodum auis, vt implumibus suis pullis, volareq; nescientibus, alimoniam comparet ipsa euolat: ita se pro aliorum salute, multas sæpè noctes insomnes, multosq; dies cruentos peregisse. Hæc erga subditos et nō modo sanguine, sed alijs etiam charitatis vinculis copulatos, vtpote pauperes & oppressos, amoris affectio, multis modis sese apud Ethnicos proferens eluxit & splendidissimè conspecta est: Verùm adeo apud paucos, vt plurimorum oppressiones, obscurent huiusmodi particularia facta, tristissimumq; esse ostendunt inspicere tot homi-

nes in mundo iniuriã pati, nec cùm opem inclamant exaudiri, neq; etiam posse iniurijs resistere, quòd aduersarijs suis sint inferiores. ô indignum facinus, cui quæso, in tam tristi rerum facie dulce sit viuere? Quam si oculos in historijs defixeris, omni iniuriarum generi expositam videbis. Ac exemplo sunt Abel, Iacob, Ioseph, Israëlitæ in Ægipto, Dauid sub Saule. In historijs profanis & externis, immo in patrijs nostris, exempla omnem exuperant numerum. Quin etiam ipsi prophetæ, tam truculentum rerum statum, cùm intuerentur vix satis mirari potuerunt. Nec mirum quòd malum hoc frequens est in mundo, cùm ipsius mundi princeps Diabolus, ab initio fuerit homicida & mendax. Quid igitur boni sub ipsius regno sperare potes? certè quod sequitur : Et lachrymas innocentum, & neminem consolatorem.

Arma

Arma Ecclesiæ sunt lachrymæ piorum & preces. Quid enim ipsis oppreßis relictum est, nisi lachrymæ, gemitus & suspiria ad Deum? cui soli relictus est pauper & orphanus, Psal. 9. Sic Israëlitæ oppreßi tyrannide Ægiptiorum, clamauerunt ad Deum. Dauid in sua persecutione, Daniel in Babylone, Philo Iudæus & alij. Non enim inueniunt consolatorem, nec possunt resistere eorum violentiæ.

Causa lachrymarum & gemituum à priuantibus additur, nempe res humanas adeo confusaneo ordine geri, quasi Deus nullus eßet, vel non videret & curaret mortalia: ipsos autem qui cœlestis numinis vices in terris gerunt, principes, reges & alios, rerum successu ac potentiâ efferri & efferari, vt communis naturæ miseriam, humilitatem, instabilitatem, mortalitatem & imbecillitatem

tatem non cognoſcant ampliùs, ſed ſe Deos exiſtiment. Hinc fit vt magni domini & qui multis negocijs occupen-tur, pauperum, oppreßorum & afflictorum, per contemptum, ſiue rerum ludicrarum diſtenſionem, alearum, venationum, ſimiliaq́ tyrociniorum exercitia, aut deniq́ luxum ac faſtum aulicum facilè obliuiſcantur, immo ſubinde modis indignis afficiant. Miſeri interim ac oppreßi hoc vnicum habent ſolatium, quod è lachrymis, ſingultibus & gemitibus petunt, ſpem vindictæ apud cœleſte numen reponentes, quod omnibus innocentibus etiam ipſis gentilibus ſolatium fuit. Hinc illud apud Virgilium:

Exoriare aliquis noſtris ex oßibus vltor. Item,

Omnibus vmbra locis adero, dabis improbe pænas.

Eſt itaq́ muneris diuini obliuio non tam

tam ipsis, qui multis miserijs premuntur damnosa, quàm illis ipsis, qui rerum potiuntur in hoc seculo insidiosa. Debent igitur potentiores & magnates huius seculi meminisse, quòd non Dij sint sed homines, quoties propter ignauiam suam, & contemptum pauperum ac oppressorum, potenti Dei manu sternantur, humanisq́ miserijs ita subijciantur, vt conditionis humanæ miseriam in carne & spiritu sentiant. Fabula quædam fertur de quibusdam fatuis, qui cùm vnà in ripa cuiusdam fluuij consedissent, ac pedes quisq́ suos aliorum pedibus coniunctos in fluuium dimisisset, cùm surgendum esset ignorare cœperunt, vtri vtrius pedes essent: donec transeuntis cuiusdam baculo percußi, suos quisq́ pedes, sensu videlicet verberum admonitus, ad se traxisset, Consimili modo iudicij diuini baculo feriendi

riendi sunt stulti illi tyranni, qui se homines esse nesciunt, vt vel plagis admoniti, miseriam humanam in carne sua experiantur & cognoscant. Sic Nebuchadnezar, sic Alexander Magnus, sic Herodes, mortalitatis & humanæ miseriæ conditionem experti, oculos tandem aperuerunt, quibus se homines esse viderunt. Sciant itaq; ac discant principes viri, alijq; quorum defensioni ac fidei, pauperum, viduarum ac subditorum omnium salus commissa est, relictis omnibus parergis, quicquid ocij in tota vita conceditur, id esse ijs rebus impertiendum, quibus gubernationes augeri ornariq; solent. Eæ res præcipuæ duæ sunt, nimirum iuris accurata administratio, & Religionis, cum qua liberalium artium studia cohærent fidelis custodia. De quibus cùm cogito, hoc loco mentionem facere est visum, sere-

nissi-

nißimi ac beatißimi regis nostri FRI-DERICI. II. quem hoc elapso anno 1588. migrantem ex hac vita terrena atq; ærumnosa, non amisimus nos quidem, sed in alteram vitam beatam ac cœlestem præmisimus. Sustinuit enim ille veriùs (quam à poëtis Atlas cœlum perhibetur) & cœlestis doctrinæ & iusticiæ, ac disciplinarum accuratam administrationem. Atq; vt Homerus in Atlanteis columnis innisum cœlum terramq; ita permanere, ne illud in hanc feratur, id enim certè est, αἵ γαῖαν τε καὶ οὐρανὸν ἀμφὶς ἔχουσι: *Sic huius optimi Regis pietate, studio, grauitate, moderatione & omnibus deniq; regijs virtutibus, pauperum, viduarum, orphanorum, omniumq; afflictorum oppreßiones & ruinæ prohibitæ sunt, & impendentia pietatis studiosis & sapientiæ congregationibus, pericula, propulsata. Non vereor*

quam in partem aliquis interpretatur quæ dixi, neq́ in veritate vllius reprehenſionem reformido, ſed hoc potiùs exopto, vt multi ſimiles in toto terrarum orbe vigeant, ſic fiet quidem vt res humanæ, quæ in hoc mundo miſcentur ac voluuntur, haud aliter ac nauis in mari vaſto & ſcopuloſo vehitur iactaturq́, quietis aliquid habeant obtineantq́, ſed quoniam ad huius vitæ ſtabilem felicitatem nihil firmum eſt, ſed potiùs diſiectum atq́ dirutum, ſic pergit :

VERS. II.

Itaq; laudaui magis mortuos quám viuentes.

VERS. III.

Immo vtriſq; feliciorem iudicaui, qui nondum natus eſt, nec vidit malum quod fit ſub ſole.

Aiſuos

Αἰτιολογία propositionis à comparatione miseriarum, quibus in hoc mundo mortales premuntur, quarum respectu mortuos præfert viuentibus, quòd vita defuncti, pericula miseræ huius euaserint vitæ, si in agnitione & inuocatione filij Dej, piè hinc discesserint, inq; cœlestem ac expectatam patriam, & ad conciues Angelos ac beatas animulas placidè migrauerint: interim autem viuentes versantur inter peccatorum, iurgiorum, discordiarum, rixarum, turbarum, horrificas tempestates, miserias ac bella. Nunquam enim βάσκανος δαίμων καὶ ἀλάστωρ cessat nos impetere, & ex peccatis in peccata detrudere, tyrannorum ac insolentium hominum odijs exponere, miserias nostras cumulare, vt taceam hoc totum tempus quo viuimus, tantùm fabulam esse, quod ex illo Horatiano optimè apparet:

Iam te premet nox, fabulæq; manes &c.

Quare facetè lusit ille, nec imperitè qui dixit: viuentes etiamnum fabulam esse. Quæ sententia mirum est, quàm graphicè nostris nos pingat coloribus: quoniam vti fabulæ nec vera insunt, nec verisimilia, compari modo vita nostra, nec veritatis quicquam nec certitudinis habet, nisi illud, quo certiùs nihil, hominem bullam esse. Vnde Euripides: οὐκ ἔστι θνητῶν, ὅστις ἐξεπίσταται, τὴν αὔριον μέλλουσαν εἰ βιώσεται. *Mortalium nemo est, qui crastinum sibi audeat polliceri. Et quod grauiùs aliquanto est:* οὐ βίος ἀληθῶς ὁ βίος, ἀλλὰ ξυμφορά, *id est, vita non verè vita est, sed calamitas. Quare & Palladas scitè*

Δακρυχέων γενόμην, καὶ δακρύσας ἀποθνήσκω &c:

Lachrymans sum natus, sed & lachrymans morior,

In

In lachrymis vniuersam comperi vitam : O genus hominum lachrymosum, debile, miserabile, tractum in terra solutumq́.

Hæc & alia hominum sapientum dicta, quamuis optimè conueniant cum hac Ecclesiastæ sententia : ea tamen est conditio nostra, vt opinionum illecti vanitate, nobisq́ blandiùs ementientes, spes inanes omnino confoueamus, quod ad præsentem attinet vitæ statum, nec philosophum audimus eminentissimum Platonem, subinde insusurrantẽ τὰς ἐλπίδας ἐγρηγορότων ἀνθρώπων ὀνείρους εἶναι *id est, spes esse vigilantium hominum somnia, multò minus de hoc Apostoli Rom. 7. infelix ego, quis me liberabit de corpore mortis huius. Tantum potest desiderium præsentis vitæ, tantumq́ in filijs huius mundi potest ille qui tentat, & obcæcat mentes humanas. Et in hac cæcita-*

citate stultitiaq; detinet plerosq;, donec carne infirmati, oculi illis aperiantur, vt videant vanitatem huius mundi & elementorum corruptionem: Vident autem omnes, cùm resoluitur hoc tabernaculum corporis nostri. Sed sequitur: Immo vtrisq; feliciorem iudicaui qui nondum natus est. *Corollarium* ἐκ τοῦ ἐλάττονος. *Si mortui sunt beatiores viuentibus, ergo felix super vtrosq; qui nondum natus est, neq; nouit hanc laboriosam vitam, quam opus malum nominat &c. Ab his verbis Ecclesiastæ, quidam adducti sunt vt dicerent animam præexistere ante corporis institutionem. Quomodo enim inquiunt, vocari potest beatus ac felix, qui nondum est neq; quicquam scit? Quibus ita respondemus: si quemadmodum vos dicitis, animæ simul creatæ sunt in regione beatorum spirituum, & in hæc corpora*

viui-

viuificanda detruduntur, vt tanquam in carcerem coniectæ corripiantur, & castigentur ob ea delicta, quæ antequam subirent corpora, admiserunt, quomodo tunc felices esse poterant, cùm peccarent & non arguerentur? quem enim diligit dominus arguit, & castigat omnem filium quem suscipit. Si autem à Deo diligi bonum est, si etiam bonum est corrigi, descendet autem anima in corpus vt corripiatur. Ergo bona erit hæc corporea vita, & in corpore hoc felicior erit anima illis, quæ antequam subirent corpus peccabant, neq; dignæ habebantur correptione diuina. Iam igitur facilè erit euertere illatam ab illis rationem. Neq; enim anima corporis constitutione prior existit: & Salomon feliciorem vocat vtrisq; qui nondum natus fuerit, hoc est qui in existentiam nullam venerit, nihilq; fuerit: vt sermo hic cum

Domini verbis, Matth. 26. prorſus conueniat: Bonum illi erat ſi mondum natus fuißet homo ille. Non ergo ſimpliciter loquitur Salomon, ſed comparatiuè & κατά τι. Namquòd nondum natus felicior ſit viuente in peccatis, vel mortuo in peccatis, id verum. Quia meliùs eſt omnino non eſſe, quàm pœnam æternnam ſuſtinere. Quòd igitur nondum natus felicior ſit viuente, concedimus in quantum viuens peccator eſt, non inquantum viuens homo. Loquitur igitur vt diximus συγκριτικῶς κατὰ τὴν ἀφαίρεσιν *non* ἁπλῶς. *Certùm eſt enim quòd malum eſt priuatio bonj. Maius ergo malum eſt quod magis priuat bonum, & maximum quod maximè idem priuat. Sed omnino non eſſe, funditus & penitus tollit omne bonum, peius igitur nihil erit quàm omnino non eſſe. Præterea eſſe in labore & miſerÿs etiam*

aliquid

aliquid habet boni, immo totum bonum habet. Ipsum enim esse bonum est, & labor & miseria quoq; bonum, licet molestum, sicut potio amara, alioquin non esset à Deo labor & miseria. Sed constat quòd à Deo Ecclesiastic. 11. Bona & mala, mors & vita, paupertas & honestas sint. Et Esaiæ 45. Absq; me non est Deus formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum: Ego Dominus &c: Sit autem clausula huius versus & lectionis, diuina oratio Socratis in Apologia sua: Mihi inquit hora discedendi iam morituro, vobis autem victuris, vtri autem nostrum venient in rem meliorem, incertum omnibus præterquam Deo. Non enim viuere sed bene viuere plurimi faciendum: dissoluta iam anima, redit ad locum suum, corpus mutum remanet nec enim iam ampliùs homo. Nos enim ani-

mal immortale sumus, mortali conclusum custodiæ.

VERS. IIII.

Animaduerti quoque in omni labore & omni opere recto, vnicuique inuidiam imminere á socio suo, quod & ipsum est vanitas & animi depastio.

TRadunt fabulæ poëtarum desectis quondam hydræ capitibus, numerosius ijsdem renascentibus, per sua damna eandem creuisse. Itaq; nouo inauditoq; miraculo, multiplicato mortibus suis monstro, lucri genus esset amißio, scilicet, dum quicquid ferrum secantis abscinderet, totum id fœcunditas prodigiosa germinaret, donec laborans atq; æstuans, cœptæ illius desectionis industrius appetitor, cassatis totiens inefficaci opere virtutibus, fortitudinem belli armaret arte consilij, & admotis (vt aiunt)

aiunt) ignibus, multiplicem portentosi corporis prolem feruenti gladio dißecaret, atq; sic ambustis intrinsecus medullis, cùm rebelles venas improbæ fœcunditatis exureret, tandem parturitio monstrosa cessaret. Huius hydræ similitudinem perspicuè in miserijs huius vitæ videmus. Primò enim monstro simile est, quòd homo ad beatitudinem conditus, tantis miserijs sit subiectus. Deinde ipsæ miseriæ, congruè venenato illi serpenti comparantur, quòd ex veneno peccati originem trahant. Ac postremò cùm multi conati sint, omnesq; id conemur, vt mala à nobis propellamus, nihil tamen agimus. Semper enim alia repullulant, & nonnunquam plura pro vno succedunt. Sic igitur Salomon, nunc aliud genus calamitatum, & impedimenti studiorum humanorum ponit, ad demonstrandam instabilitatem huius

vitæ. Est autem ipsius ratio talis, ab inuidia & liuore sumpta:

Ea vita cuius indiuidui comites sunt, rancores, odia & insidiæ, insignem certè vanitatem arguit.

At talis est præsens hæc vita. Non *ergo nisi vana.*

Aßumptionem primùm ipsa experientia confirmat, deinde historiæ. Experientia, quòd quantò plus quispiam integritati studeat, & in quocunq; vitæ genere rectius se gerat, eò minus effugere aliorum, etiam eorum, quos minimè quidem id facere oportuit, inuidiam poßit, quorum hi aduersum nos linguis feralibus sibilant, isti verò virus letale iaciunt: ita vt sexcentis resectis malis renascantur infinita. Ita inuidorum inauspicata infelixq; natura, sicuti Plutarchus sensijt & docuit, optimum quemq; virulentia sua insectatur, sed imprimis

quem summo nisu ad virtutem se proripientem intueatur. Quo nomine Themistoclem ferunt quum etiamnum adolescens foret, nihil splendidum à se fieri inde coniectare solitum, quòd inuidos adhuc nactus non foret. Etenim quemadmodum cantharides, lætioribus frumentis & viridioribus innascuntur rosis, sic & inuidia eos arrodit præcipuè qui boni sunt: quiq; ad gloriam, virtutis graßantur viâ: nec laudes concoquere iam valet, sed velut satietate quadam liuidè auersatur. Coron pro inuidia positum inueniemus in Pindari Nemeis, digna sententia quæ legatur ἐςι δὲ κόρος ἀνθρώπων βαρὺς αἰτιάσαι: *Quibus eße occursu grauem, liuidam hominis mentem significat. Quæ & quandoq; magnos viros inficit. Sed nec miseris inuidet aliquis. Vnde præclarè dictum à Sophista accepimus: inuidos homines libenter commi-*

sereri. Illud autem supra modum deplorandum est, quòd hoc vitium hominis proprium est, & aduersus hominem: neq; enim inter feras inuidia fuerit, vt quibus nullum sit de felicitate alterius iudicium, neq; gloriâ titillentur, aut dedecore moueantur, quibus rebus, incrementa inuidiæ subijci palam est. Quid dicam de ijs, qui oculorum affectioni liuorem persimilem faciant, & rectissimè quidem. Illi quippe lumen clarius ferre nequeunt & ad omnem splendorem caligant quod est inuidiæ proprium. Cuiusmodi autem sint inuidiæ faces, graphicè Ouidius exprimit illis versibus:

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto.
Nusquam recta acies, liuent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno,

Risus abest nisi quem visi fecere dolores.

Videtur sanè magnum quiddam, si quis sua industriâ alios excellat, sibiq́ vel opes vel scientiam sua diligentia paret, verùm magnam miseriam secum trahit ista industria, adeo vt inde natum sit prouerbium: καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει &c: *Inuidet autem figulus figulo, vel egenus egeno, siue faber fabro, dulcisq́ poëta poëtæ. De experientia plurima dici possũt, sed nec historiæ sunt obscuræ, quæ disertè testantur, non solùm eos, qui industrij sunt in rebus externis sequi inuidiam: sed etiam eos qui in pijs operibus præcellunt. De prioribus historiæ sunt perspicuæ. Hâc enim de causâ, vt scribit Æmilianus: Atheniensium proceres qui rerum gestarum gloria florerent, quòd non possent ex æquo cum cæteris viuere, ad declinandam inuidiam atq́ vt*

liberius victitarent, extra patriam sponte àgebant, vt Iphicrates in Thracia, Conon in Cypro, Thimotheus in Lesbo, Cabrias in Ægipto, Chares in Sigæo. Inter Romanos verò Pompeius (teste Plutarcho) post tot triumphos & imperia, libenter domi aut ruri se continebat, raro in publico conspectus. Deinde in pijs notum est. Sic enim Cain inuidit Abelo, Iosepho fratres, Dauidi Saul, ipsi Lotho Sodomitæ, Danieli Satrapæ persarum, Christo Iudæj. Ac vtinam qui theologi esse gestiunt ab hoc vitio sint alieni, quorum multi vt superbia incredibili inflati sunt: ita non sunt contenti sua felicitate, sed omnes occasiones quærunt calumniandi ac sugillandi alios, quos suæ superbiæ promouendæ obstare sentiunt, ne dicam subinde hac de causa eos multa comminisci, sæpeq; anxiè queri, dum alios Dej voluntate &

diuina benedictione, sibi præferri videt. Ita vanissimi hypochritæ suam produnt pietatem, ac quid de Dej prouidentia statuant, à qua vnicè pendere debeant, effutiunt. In quorum animis satyri spectra latitant, & subinde alias atq; alias formas assumunt, cùm potius cordi illis esse deberet, oratio & gloria DEI, quòd fastum huius mundi, ex multis oraculis diuinarum scripturarum, Vanitatem esse intelligant. Sed filia inuidiæ est maledicentia atq; obtrectatio, quæ calumnijs aggreditur atq; allatrat: Sic Vlysses Palamedem, conficta causa insectatur. Et Aristophanes quoq; apud corruptos Dionysijs & ebrietate Atheniensium animos, Nephelas comœdiam contra Socratem & scomma excogitauit, vnde inuenti postea qui ausi sunt eum publicè accusare. Quin & mortuis ac absentibus obtrectat, cum quibus

 ait

ait Plautius laruæ luctantur. Quapropter vrsis eam antiqui adsimulauere cadauera petentibus: Leonibus nequaquam qui resistentes inuadunt, stellioni etiam quem nunc Tarantulam vocant, præterea cancro, insidiosissimo animali, quòd is Herculis vigilantem metuens olim virtutem, dormientem est aggressus. Quid dicam? nonne illa non solùm vanitas sed summa miseria est, quòd Dej dona nedum non commendant nos hominibus, sed insuper inuidiam excitant? Sed interim non ob inuidiam aliorum cessandum est à bono, immo pro viribus laborandum, ac Deo committendus est euentus. Sic Loth, Ioseph, David, Athanasius &c: non ob id à bono cessabant, etiamsi viderent alios ob id sibi offensos. Immo nullum laude dignius vindictæ genus esse potest, quàm hostem beneficijs opprimere. Hinc enim

enim fit, vt eius inuidia in seipsum vertatur.

VERS. V.

Stultus manum ſuam complicat, & carnem ſuam comedit,

ANtypophora, poteſt autem quis ſic inferre. Si nihil aliud ex laboribus conſequi poßum quàm inuidiam & calumnias, ceßandum igitur eſt à laboribus. Hoc anteuertit & reſpondit: Non eſt ſapientis ſed ſtulti, à bono opere ceßare propter æmulos. Etenim vult Deus vt quiſq; laboret, & niſi laboret non manducet, vt ſit contentus ſua ſorte & benedictione DEI, ne cum damno alterius viuendum ſibi ſit, ſicut ocioſi vſurarij, Iudæi & alij Stelliones viuunt. Sic Ioſua etſi vndiq; circumdatus eſt hoſtibus, tamen retinet animi conſtantiam, ſperat bonos exitus, quia ſcit ſe

ſcit ſe vocatum, à Deo iuuari ac defendi. Sic Reges pro ſuis regnis, parentes pro filijs, miniſtri pro auditoribus, præceptores pro ſuis diſcipulis, & ſinguli in ſua vocatione laborare debent. Cæterùm labor & ſolicitudo vocationis noſtræ, diuinitus mandata, duo habet vtrinq; oppoſita vitia, ignauiam & πολυπραγμοσύνην. Sardanapalus amittit regnum per ignauiam. Sic Childericus accuſatus molliciei ac ignauiæ, cuius regnum adminiſtrabatur ex conſilio aliorum principum virorum, amotus à munere regio, reliquum vitæ priuatus in monaſterio tranſegit. Et de ſeruis pigris Cato dixit: plus nocet ſeruus ignauus quàm fur ignauus. Item, homines nihil agendo malè agere diſcunt. Et rectè dicitur ocium, puluinar diaboli. Capitolinus ſcribit Antoniũ Pium Imperatorem, ſubtraxiſſe ſalaria illis quos oci-

osos viderat accipere, dicentem: crudeli-
us nihil eße quàm si Rempubl: arrodant
ij, qui in eam suo labore nihil conferant.
Et de Honorio Imperatore ignauia hæc
fertur, quòd non lectis literis sese sub-
scripserit. Hanc igitur ignauiam So-
ror Placidia cupiens corrigere, literas
componi curat, quibus ipsa seruo vilißi-
mo despondetur, & has manu fratris
subscribi curat. Postea venit ad Impera-
torem fratrem, abijcit se ad pedes eius,
& conqueritur de sua infelicitate, & de
crudelitate fratris erga se. Affirmante
Imperatore falsas eße querelas, protu-
lit ipsa literas manu Imperatoris sub-
scriptas, quibus commonefiebat de sua
negligentia. Exempla alia sunt in vita,
tum ignauiæ, tum πολυπραγμοσύνης. Et
vtrumq́; vitium Deus detestatur, qui
vult nos laborare diligenter, & propria
facere. Et regula teneatur Psal: 36.
Sub-

Subditus esto Deo & ora eum. Christus quoq; de labore concionatur, sufficit diei afflictio sua, id est, labor vocationis propriæ. Quo breui dicto prohibet solicitudinem Ethnicam, ocium & πολυπραγμοσύνην *de quibus aliâs dicetur. Magna pars hominum perit malè agendo, maior nihil agendo, maxima aliena agẽdo. Obseruetur* Comedere carnes suas, *dictum esse hyperbolicè. Nam incredibile est vt homo comedat carnes suas, sed ad exaggerandam pigritiam huius stulti ait:* Comedet carnes suas, *vt ostenderet quòd potius stultus permittit, vt caro eius tabescat inedia, & miseria famis deficiat, quàm manuum suarum laboribus sustentetur.*

VERS. VI.

Melior est pugillus cum requie, quàm plena vtraq; manus cum labore & afflictione animi.

Ἀπόδειξις superioris obiectionis, à communi hominum opinione, etiam Ethnicorum, qui eò vsq; ratiocinando progreßi sunt, vt sint confeßi, satis eße humilem degere vitam ac pauperem in tranquillitate ac pace, quàm cum solicitudine, multa poßidere. Hoc ex historia quæ supra de Gyge Lydorum rege pag: 209. recitata est, fit manifestum. Is enim cùm se propter opes & potentiam insolentiùs iactaret, nec quemquam mortalium se feliciorem iudicaret, Ideoq; ex Apolline sciscitaretur, num præ se quisquam ex hominibus eßet beatus? Responsum audiebat, Aglaum Psophidium ipso eße beatiorem, qui ruri degebat in Arcadia, in maxima egestate, sed qui fines sui agelli vnde qualemcumq; victum habebat, nunquam egreßus fuerat. An non docet hæc responsio, longè melius eße tuguriolum tutum inhabitare, quàm

regiam aulam omnibus miseriis refertam. Iulius cæsar, olim cùm ignobile ac obscurum castellum in montibus pendens præteriret, ac à comitatu suo interrogaretur, an etiam ibi de dominatu contentiones existerent, respondit, se malle ibi esse primum, quàm Romæ secundum. Hoc responsum indicat longè præstare pauperem esse & humilem in quiete quàm diuitem & potentem, ac interim cum omnis generis molestiis conflictari. Hæc cùm sint à gentibus animaduersa, quantò æquius erit christianum esse paruis contentum, qui summum bonum in vno Deo esse, statuit. Etenim sicut diuitiæ & prosperitas impiorum, fastum generant & violentiam: sic mediocritas vel potius huius vitæ tenuitas, calamitates & flagella, Dei disciplinæ, animi humilitatem & modestiam pariunt, libidinemq́ inferendi in-

iniurias adimunt, vt vel ex ipsis vtrinq; fructibus appareat, vtrum meliùs sit & beatiùs, modico esse contentum, an præstet mundi huius opibus diffluere immensis, verùm hac de re, præclara succurrit Manilij commonitio, quam præterijsse in mentione ista, piaculum fuerit penè.

Victuros agimus semper, nec viuimus vnquam:

Pauperiorq; bonis quisq; est, qui plura requirit:

Nec quod habet numerat: tantum quod non habet optat.

Sic Conradus Imperator moribundus, aduertens Eberhardum fratrem, iniquo animo tulisse ac subtristem fuisse, quòd suaderet se mortuo, eligendum ad imperij habenas, Henricum Aucupem, in hanc sententiam fratrem affatur: Quid tu tristior es? num quòd

minus laboris & operis tibi cupio imponere? Beatior eris si nihil supra vires tuas assumpseris. Num tibi exempli satis non sum? Si mihi hæc vita esset iterum viuenda tot annis quot vixi, turbas & illas curarum molestias si possem effugere, magni boni loco ducerem, & latentem vitam in ocio, non ignauiter ocioso, omnibus regnorum potentatibus præferrem.

VERS. VII.

Deinde aliò me vertens, vidi aliam vanitatem sub Sole.

VERS. VIII.

Est quispiam solus, nec secundum habens, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec saturantur oculi eius diuitiis, nec recogitat dicens: Et cui ego laboro? & fraudo animam

meam

meam bonis, in hoc vanitas est & afflictatio mala.

TRansitio εἰς τὴν φιλαργυρίαν τὴν τῆς πάσης κακίας μητρόπολιν, *id est, auaritiam totius viciositatis metropolim. Hæc nemini benefacit, & habet tantum* κτήματα, *sed* χρήματα *nunquam, vel potius nec* κτήματα, *nec* χρήματα *habet, quia poßidetur auarus, non poßidet, nec scit vti facultatibus, non est dominus, sed mancipium & corpus sine pectore, habet pecuniam sine viro, dominam viri, & animam vitæ, qua sublatâ perit & moritur, & tum demum rectè facit, iuxta versiculum:*

> *Auarus nil nisi cùm moritur rectè*
> *facit.*

Depingit autem eleganti prosopopœia Bernhardus pagina 144: sermone 40. super cantica, auaritiam hoc modo. Auaritia rotis & ipsa vehitur

quatuor vitiorum: quæ sunt pusillanimitas, inhumanitas, contemptus Dej, mortis obliuio. Cæterùm iumenta trahentia, tenacitas & rapacitas, & his vnus auriga ambobus præsidet, nempe habendi amor. Sola siquidem auaritia, quoniam conducere plurib: non patitur, vno contenta est seruitore. Ipse verò iniuncti operis, promptus admodúm atq́; infatigabilis executor, regendis sanè iumentis trahentibus, flagris vtitur acerrimis, libidine acquirendi & metu habendi. Hæc sanè elegans est pictura auaritiæ, quæ teste Apostolo 1. Thim: 6: omnium malorum radix est: Nihil intulimus in hunc mundum, nec inde aliquid auferemus, habentes autem alimentum & amictum, his contenti simus. Qui enim volunt ditescere incidunt in tentationem & laqueum Diaboli. Sed homines μεγαλόπτωχοι *id est magnifici pau*-

pauperes, nec religione, nec picturis mouentur. Ac nota sunt exempla auaritiæ, cuius maximè notatur, Simonides poëta, vt author est Ælianus de varia historia. Is enim rogatus à quodam, vt Encomion ei scriberet, gratiamq́ se loco muneris habiturum: Respondit se habere duas arcas, vnam gratiarum, alteram argenti. Hanc quum aperiret, communem plenamq́: illam verò vacuam solamq́ reperire. Idem in vltima senectute, cur auarus esset interrogatus: Quoniam inquit, inimicis malo diuitias relinquere moriens, quàm amicos viuens frustra rogare, detestans plurimorum quum necessitas requireret infidas amicitias &c. Dum Brennus dux Gallorum Senonum, obsideret Ephesum, virgo quædam Demonica nomine, solicitata specie barbari, cum eo pepigit, se Ephesum prodituram mercede monilium

ornamentorumq́; quæ Galli ferebant: Quo facto Brennus vt promißa præstaret, simulq́; & eius vlcisceretur auaritiam, iußit aurum omne in eam congeri, vsq́; adeo vt viua supprimeretur. Semiramis, vt idem scribit Ælianus, in suo sepulchro inscripserat, si quis rex pecunia indiget, monumentum diruat. Darius igitur quum id demoliretur, nihil pecuniarum inuenit, sed tantùm hoc scriptum. Nisi eßes insatiabilis, nunquam sepulchrum mortuorum attigißes.

Notat Lambertus Schafnaburgensis, anno 1066. præpositum Goslariensem, suscepto Episcopatu Misnensi hoc modo obijsse: Cùm venißet Goslariam, post refectionem in cubiculum, vbi thesauros nullo conscio infoderat, quasi paululum requiescere volens, sese recipit. Cùm verò die vergente in vesperam præter modum & consuetudinem, somno indul-

indulgere videretur, rem insolitam cubicularij mirantes, pulsare ostium cœperunt. Sed nec pulsantibus nec vociferantibus responsum datum fuit. Effractis igitur foribus inuenerunt Episcopum exanimem, ipsis thesauris suis incubantem, colore tetro & fractis ceruicibus. Ac quendam tradit Chrysippus sub mortis tempus, aureos deglutisse non paucos, atq; ita perfunctum fato. Alium verò tunicæ plurimos insuisse, atq; ea indutum, citra honorem alium, contumulari se mandasse. Sed huiusmodi habendi desideria castigant Erinnyæ. Nec ignotæ sunt pœnæ Tantali, Midæ, Iudæ, Ananiæ & aliorum, vt omittam dilapidationes bonorum iniuste partorum, quæ rarò ad secundum gradum perueniunt, sed euanescunt & dißipantur mirabiliter, sicut noster testatur Ecclesiastes, qui graphicè suis coloribus efferatam hanc habendi

cupiditatem depingit ac simul ostendit eius mala. Sed quomodo igitur eam describit? primùm ĩqt, vnus est siue solus, nec secundũ habens, *id est, auaro nulla est cum quoquam communitas. Reuera igitur* vnus & solus est, *sibiipsi autem tantum quærit, pro se curat, ad se trahit, nihil curans de alijs, nec fratrem nec amicum, hoc est, quantumcunq; constet, quòd omnes fratres simus, ac licet Deus præcipiat vt fratrum curâ afficiamur, tamen ipse nullius necessitate mouetur, nec aliquem agnoscit fratrem. Nullo igitur modo conatur fratres sibi deuincire de mammona iniquitatis, ob deprauatos insatiabilis animi mores: Ideo & verè solus est & manebit in iudicio, nullo sanctorum eum pro fratre agnoscente, sed ab omnibus derelinquetur, sicut ipse nunc omnes derelinquit. Ita verum est illud Salustij: auaritia fidem & probitatem,*

tatem,

tatem, cæteraſq; bonas virtutes euertit: deinde addit: Et tamen laborare non ceſsat. *Alterum deſtinatum auari. Nam cùm nihil meliùs ſit quiete & ſecuritate, hanc etiam aufert tyrannus ille, auaritia ſcilicet. Quæ dum vetita ſcrutatur.*

Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa per ignes, ac dum ipſe ſibi videtur inops, recondere geſtit, quò non perfruatur, ſed cuſtodiat: Sæpè interim conatu excidens ridiculam ſe præbet, non ſolùm rediens inanis, renudata modò auiditate, in immenſum vela pandente: ſed etiam omnem vitæ quietem adimit. Nam auaritia implet quidem crumenam, ſed cor vacuum relinquit, quodq; nullo modo ſatiari poßit. Hinc cuiuis liquet quàm plurimorum vitiorum fomes, ac quàm proteruus tyrannus ſit amor habendi, & maximè quòd nec Oculi eius ſatiantur diuitijs. *Venter poteſt citò ſatiari ſed*

non oculi. Auari etenim animus nunquam non expetit, quicquid eſt in quod aciem defigit, & quantò magis diuitiarum cumulo increſcit auarus, tantò magis in opum diſiderium inardeſcit animus. Nam ſicuti prudentiſsimè Seneca ſcribit, congerantur in te, quicquid multi locupletes poſsiderunt. Vltra priuatum pecuniæ modum fortuna prouehat, auro tegat, purpura veſtiat, & eò delitiarum opumq́; perducat, vt terram marmoribus abſcondas, & non tantum tibi habere liceat, ſed calcare diuitias. Accedant ſtatuæ ac picturæ, & quicquid ars vlla luxuriæ elaborauit, maiora cupere ab his diſces. Naturalia deſideria finita ſunt, ex falſa opinione naſcentia vbi deſinant non habent, nullus enim terminus falſo eſt. Plato autem de legibus quinto, diuites valde ſimulq́; probos eſſe poſſe arbitratur impoſsibile:

prop-

proptereáq; nec felices. Nec recogitat dicens, & cui ego laboro & fraudo animam meam? *Cùm satis contemplatus sit in ideam auari, nunc introducit inexplicabilem huius hominis personam ex auaritiæ pœnitentia, ita loqui:* Et cui laboro? *Elegans hypotyposis ac* ἀγανάκτησις μισανθρώπου, *qui tandem laborum molestiarumq́; satur, cùm anxijs sordibus magnas opes corripuerit, finemq́; vitæ iam adesse sentierit, auri scelesta fames ipsa præcordia possidens, animum in varias cogitationes distrahit, perpetuoq́; torquet, vt maximè pœniteat & solicitudinis & laborum, ac imprimis quòd ipse ad frugalitatem honestam, non vsus sit suo labore, sed alijs iam relinquat quos non nouit, vel quibus non vult, vel qui ingrati futuri sunt, vel deniq́; qui ingentium diuitiarum hæredes facti, consumunt, dilapidant, deuorant pecunias, agros,*

gros, villas, prædia, vestes, gemmas, nihil relinquentes, quo memoria acquirentium conseruari poßit. Hanc vitæ nostræ vanitatem & inanem occupationem, ideo inpensiùs considerare debemus, ne fraudemus animas nostras, *id est, vel propter diuitias, pluribus eas peccatis oneremus. Difficile enim est diuitiarum contubernio non corrumpi, & affluentibus hinc inde diuitijs, vitiorum fomitibus, animum seruare inconcußum. Ac certè sicut Philostratus inquit, diuitiæ non sunt tractabiles, quæ debent inter ardua & difficillima quæque connumerari. Qui igitur diuitijs (vt sic dicam) inebriantur, ac pauló ante exsucci, mox vel ricinis distentiores euadunt, nec desinunt subinde iniurios se præbere, & in magna amplaque fortunæ laxitate cæcutiunt.*

VER

VERS. IX.

Præstant duo vni, quia merces est eis melior ex labore suo,

EXpolitio superioris versus de vanitate auaritiæ istius μισανθρώπου, *ab opposito per* ἀντίθεσιν *fructuum, qui ex vita sociali percipiuntur & damnorum ex solitaria:*

Si auarus ille soli sibi viuens, putat se securum, quòd diuitias possideat, sequitur quòd longè magis securus sit, qui alijs res possessas communicet. Communio enim rerum valet ad res seruandas atq́ augendas.

Sed hic putat se securum. Ergo & ille magis securus, qui socium aliquem laborum suorum nactus fuerit, & plura ac maiora præstare possunt duo, quàm vnicus quispiam. Vis consequentiæ sita est in societate humana, cum qua maximè

mè pugnat auarus, qui damnat communionem rerum, nec patitur socium, quod DEI *prouidentiam vtriq; non satis eſſe iudicet. Pugnat ergo auarus cum ipſa natura, immo Deo ſapientiſsimo, qui conciliat animos humanos inter ſe & efficit, vt amicitia, ſummis adiumentis ad vitam rectè degendam, homines communiat. Amici igitur illi ſoli cenſentur, qui ſtudio compari ad virtutem contendant, ſtudioq; mutuo ad procinctum feſtinent, ac animi cultum: Hic autem virtute conſtat ſola. Virtus verò, non aliud quàm ſapientia eſt. Sapientia verò diuinorum cognitio creditur, quam ſanè, lux nobis diuina exuberans latiùs infundit. Proinde ſic colligimus, cultum animi,* DEI *ipſius eſſe cultum: amicitiam verò, quum duorum conſenſu ad capeſſendum animi cultum connitatur, nihil eſſe aliud omnino, quàm duorum*

rum animorum ſummam euigilatamq́; in DEO colendo concordiam. Vnde trium cooritur beneuolentia, quando hominibus ita affectis, tertius accedit amator Deus, qui amicitiæ indiſſolubilis eſt nodus, cuſtoſq́; perpetuus. Quæ ſanè ratio Æſculapium Mercurio, Orpheo Muſæum, Pythagoræ Aglaophemum, ac Platoni Dionem priùs, mox & Xenocratem conciliauit, qui omnes opere vno, ad metam vnam tanquam eodem calle, eundemq́; itineris feſtinârunt terminum.

VERS. X.

Certè ſi vnus ceciderit, ab altero fulcietur, væ autem illi vni, quia ſi ceciderit, non aderit alius qui eum ſurrigit.

Αἰτιολογία ἀντιθέσεως ἐκ τῆς ἀριθμήσεως τῶν αἰτιατῶν τῆς κοινωνίας, *id est, ex enumeratione vtilitatum ac effectorum communionis, quorum primum sumptum est ab infortunijs & casibus, quibus vita hæc humana exposita est. Etenim sæpè accidit, vt duo simul iter faciant, & lapsanti vni alter non deerit socius qui succurrat, compatiatur, adiuuet. Huc pertinet Mori* γνωμολογία *de fido amico: vtiliùs nihil esse potest quàm fidus amicus, qui tua damna suo leniat officio. Item & eiusdem versus de cæco & claudo:*

Fœdera contraxêre simul, mendicus vterq;,
Cum claudo solidæ cæcus amicitiæ,
Claudo cæcus ait, collo gestabere nostro,
Rettulit hîc oculis, cæce regêre meis.
Alta superborum fugitat penetralia regum

Inq;

Inq; casa concors paupere, regnat amor.

Huiusmodi bona cùm communio pariat, efficiatq; vt qui vtilis sit alijs, ab alijs vtilitatem capiat, certè si spectes res quascunq; animatas siue inanimes, siue quaslibet alias creaturas, contrarium accidit solitario, qui inueniet vbiq; à quo damni occasio eueniet, nisi DEI prouidentia pro ipso excubet. Nam si in domum aut casam se abdit, vnus clauus incuruatus vel fractus, totius ædificij afferre potest ruinam, quæ eam opprimet. Araneolus è tela sua in dormientem insiliens, gignit alicubi molestum vlcus. Felis, domesticum & cicur alioqui animal, ad coërcendos mures ali solitum, noctu inuolat in faciem, eamq; dilacerat. Canis, solitarij, rabidus factus, non ipsi magis parcit quàm ignoto. Si quid solitarius sibi coquere voluerit escu-

lenti, ſicut certè non poterit vitam ſine huiuſmodi actionibus tranſigere, modicus ignis totam conſumet domum: Vili oluſculo, herbæ cuiuſpiam portio aliquota de improuiſo admixta, aut morbum, aut mortem ipſi pariet. Si quid biberit etiamſi aquam limpidiſsimam: fieri tamen poteſt, vt puteum vnde hauſerit, animalculum aliquod veneno ſuo infecerit. Quod ſi placet domum egredi, decidens vna tegula, caput & cerebrum comminuet. Lapillus quoq; in via facit, vt titubans labatur, atq; ſe grauiter lædat. Aues quoq; quæ per aëra circumuolant, quaſi inſidiatores ſunt, roſtrum atq; vngues acuentes, quò caput tuum lædant. Certè veſpa, crabro, apis, immo formica, aut ſi quod hac, minutius dari poteſt animalculum, faceſſet aliquando ſolitario negocium. Hæc igitur diſpiciat auarus ſolitarius, & ab omni hominum commercio procul

procul ſemotus, immo conſideret quòd multos habeat, qui mala ei imprecentur, quiq́; vindictam contra eum expetant, nullum autem qui pro ipſo oret. Pertinet igitur amicitia ad iuſticiam, vt reddere beneficium pro beneficio, quod patet ex definitione eius, cuius extrema ſunt μισανθρωπία *& ſimulatio. Ac extat prouerbium de huiuſmodi communione,* πάντα τὰ τῶν φίλων κοινά. *Quod prouerbium cùm ſemper fuiſſet cuidam candido in ore: ita illi ſcribit Martial. lib. 2.*

Candide κοινὰ φίλων, *ſunt hæc tua*
candide verba,

Et tandem concludit:

Das nihil & dicis, candide κοινὰ
φίλων.

Sed amicitia ſic olim pingebatur, vt eſſet adoleſcens apertum oſtendens cor, alterum latus ſplendidè ornatum gerens, cui inſcripta erat æſtas, alterum

verò lacerum & afflictum, cui inscripta erat hyems, vt significaretur candor & constantia in amicitia. Sed iam verum est illud: cum fortuna mutantur amici, & plures sunt lingua quàm corde amici, qui non secus atq; serpentes omnibus pijs sunt fugiendi. Sed de prioribus eleganter Ouidius de tristib:

Dum iuuat & vultu ridet fortuna sereno,
Inde libatas cuncta sequuntur opes,
At simul intonuit, fugiunt nec noscitur vlli,
Agminibus comitum, qui modo cinctus erat.

Exempla sunt Tobias & Iob. Non igitur malè dixit Isocrates: Proba amicos ex vitæ diuersitate & periculorum societate. Aurum enim in igne exploramus, amicos autem inter aduersa cognoscimus.

VERS. II.

Quin etiam si duo cubent, calor erit illis. Vnus verò quinam calescet?

SEcundum emolumentum communionis siue amicitiæ. Sicut enim superiùs dixit, cùm duo viri in idem negocium incumbant, acciderítq; aliquid aduersi vni, is non longè requiret auxilium, habet enim ad manum qui iuuet: Contrà homini infeliciter agenti & refocillationis indigo, calamitas summa est solitudo. Similiter nunc addit. Et contuberniones qui in eodem cœnaculo victitant, si qua oriatur tempestas, statim eam sedant, mutuis consolationibus, gemina nimirum felicitate. Nam & per diem dicendi libertate festiui, & per noctem honesta hilaritate sunt securi. Solitariam autem vitam trahens, horrendus sibijpsi viuit, neq; fidem habet si quis persuadere

ipsi vtilia conetur. Quare & solitarius ille auarus, nec à quoquam consolationem petere audet, neq; quenquam consolantem inuenit. Ideoq; plerumq; ad laqueum festinat. Sic ille auarus fecit, qui ruri suas pecunias sub arbore in terram foderat, admoto lapide tanquam indice loci. Cùm autem alius quispiam ad extremam redactus pauperiem, ad illam arborem sumpto secum laqueo se contulisset, vt victus desperatione se suspenderet, deprehendit fortè, lapide propiùs ad ramum arboris, cui laqueum inijceret, aduoluto, cauitatem quandam, quam dum explorat ac thesaurum inuenit, præ gaudio laqueum in locum pecuniæ conijcit, & lapide reuoluto inde abit. Breuî post auarus iste Euclio, cùm ad reuisendum thesaurum accessisset, & eum sublatum vidisset, laqueo, quem inuenit, præ animi consternatione gulam fregit. Hoc optimè cessit

auaro Euclioni, qui cùm facilè comparare sibi potuiſſet amicos ex Mammona iniquitatis, maluit potiùs rubigini & tineis huiuſmodi exponere, quàm ad conſilia & ſolatia amicorũ confugere. Obſerua igitur, quantum bonum ſit amicitia vera & honeſta, de qua dulciſsima extat Platonis ſententia ad Dionyſium: οὐ χρυσὸς ἀγλαὸς οὐδὲ ἀδάμας οὕτως ἀστράπτει πρὸς ὄψεις, ὡς ἀγαθῶν ἀνδρῶν ὁμοφράδμων νόησις. *Id eſt: Non ſic ſplendidum aurum, neq; adamas ſic reſplendet ad viſum, atq; bonorum virorum conſentiens & concors voluntas. Primò igitur iucunda eſt amicitia, deinde vtilis, ac deniq; nihil fortiús quàm conſenſus amicorum de quo ait.*

VERS. XII.

Quòd ſi vim inferat ei, duo ſtabunt aduerſus illum: Deniq; filum triplicatum, non celeriter rumpitur.

SEquitur tertium emolumentum quòd quantò plures & boni ſint amicitiâ coniuncti, & quò plures inter ſe opera conſociauerint, tantò valentiores erunt. Sed de amicitia colenda memineris ænigma: Quid vni arctum nimis? duobus conueniens? tribus verò nimis amplum? Reſpond. Conſilium & amicitia. Quo monemur, amicos non παρέργως comparandos, nec citò, nec temerè, nec multos, ſed conſtantia, prudentia & beneuolentia, paucos deuinciendos eſſe. Sed hîc locum habet illud Poëtæ:

Extra fortunam eſt, quicquid donatur amicis,
Quas dederis ſolas, ſemper habebis opes.

Alexander Magnus interrogatus, vbi ſuos repoſuiſſet theſauros? Oſtendens amicos dixit, ἐν τούτοις in his, & cùm omnem pecuniam omneſq́ue res ſplen-

didas

didas ac preciosas donaret, amici rogabant, & quid nos habebimus? Alexander, meipsum inquit habebitis. Sed hoc longè præclarior munificentia Caroli Magni, qui cogitans de Christi præcepto: date & dabitur vobis, vt plures haberet amicos, de sincera rerum ac donorum DEI dispensatione, quæ in ipsum opulenter collata erant, testificantes coram tribunali DEI, religiosissimè ordinauit ac liquidò constituit, quid pauperibus elargiendum esset, quid seruis in aula, quid viduis, quid pupillis, quid nubilibus virginibus pauperibus, ac deniq; quid egenis omnibus & singulis, stipem in nomine Christi expetentibus. Ac admonitus aliquando hic optimus Imperator à quopiam familiari, ne quibusuis petentibus etiam indignis daret? Respondisse fertur: Et qua charitate nos tulit hactenus pater cœlestis, ad cuius legem

nos collati, sumus ipsa impuritas & iniusticia, latrones & fures. O dictum christianissimo principe dignum. In quo nulla virtus præstantior fuit, quàm in iuuandis pauperibus promptitudo. Nec contentus fuit pauperibus suorum regnorum iuuandis, sed etiam misit eleemosynas trans mare, in Syriam, Ægyptum, Africam, Hierosolimam, Alexandriam, breuiter in omnia loca, vbi cognouit pauperes christianos degere. Regibus etiam transmarinis pauperes sæpe commendauit, quòd, quò diligentiùs eos reciperent, iuuarent & promouerent, eò vehementiùs se amicum fore, ac opem in necessitatibus laturum pollicebatur. Hæc vera vnio & amicitia fuit Caroli, quam non virtus stabiliuit, sed fides in Christum, quæ vnica & vera virtus est, ex qua solida & firma amicitia constat. Etenim amicitia sine mutua caritate & com-

compaſsione exiſtere non poteſt. Quare & feliciſsimus ille, qui multos ſibi amicos facit ex Mammona iniquitatis. Multa autem incitamenta ad hoc habemus, ſiquidem eandem habemus fidem, eandem ſpem, eundem Dominum &c. quæ nos arctiùs colligare debent.

VERS. XIII.

Præſtat puer pauper & ſapiens Regi ſeni ſtulto, qui neſcit amplius admoneri.

Aliud exemplum quod ſimiliter exornatur per comparationem contrarij. Obfirmato enim & peruicaci in ſtoliditate ſua Regi, opponitur ſapiens, cuius proprium eſt in ſapientiæ monitis proficere. Pertinet autem hæc admonitio de vanitate, primùm ad ſuperbiam vitæ, quam reprimit etiam in Regibus, præferens puerum pauperem ſapientem, Regi ſeni ſtulto, qui neſcit perpendere euentus rerum.

Deinde

Deinde cùm homines ſæpe ſuſpiciant Reges & principes, in faſtigijs imperiorum collocatos, tanquam ſemideos & ſapientiſsimos. Huiuſmodi vulgi opiniones, tanquam vaniſsimas oſtendit, ratione ſumta ab ipſa experientia, quâ ſæpè compertum eſt, Regem ætate prouectum, omni ſapientia deſtitutum, quòd delicatè nutritus fuerit & in delicijs vixerit, quæ impediunt acquiſitionem ſapientiæ. Vanum igitur talem iudicat ac ei præferendum iuuenem pauperem, qui eſt ad acquirendam ſapientiam diſpoſitus. Etenim cùm addeceat imperantem eſſe veluti regulam aut canonem, qui ad rectitudinem compoſitus & nullo flexu vitiatus, cætera appoſitus coaptatusq; dirigit, ac ſimilia reddit ſibi. Conſimili item ratione, præſidem oportet ſeipſum prius componentem ac imperium intus ordinantem, & ſic concinnatis moribus

ciues ſibi reddere perſimiles. Neq; enim ſuccidentis eſt lapſitantiſq; alios dirigere, aut inſcientis edocere, aut inculti ornare, vel exordinati ordinare vel imperare qui obedire neſciat. Huc pertinent auguſti tituli Regum & Principum. Nam Vlyſſem Homerus mitiſſimum ſcribit fuiſſe patrem. Et Plato item, Homerico more Regem paſtorem vocat. Quin ciuilem potiùs virum idem alibi nuncupat, quòd Regem innuens, nimirum adeo humanum ac mitem, ſi fieri poßet, eſſe debere, vt inter ciues videatur eſſe conciuis, ac vt ita dicam, prudentiâ, iuſticiâ, curâ potius quàm alio quouis exceſſu ſuperior. Ac hæc ſanè cauſa videtur eſſe, cur antiqui patres non Reges hominum, ſed pecorum fuiſſe paſtores memorantur. Quòd homines quidem æquales produxit natura, ſed pro meritorum ratione, alios alijs iuſta vtiq;

DEI

DEI dispensatio sed occulta præponit, vt humana formidine, peccare metuant, qui minùs iudicio exterrentur diuino. Verùm timoris huius nomine inflari, haudquaquam addecet. In quo non propria est affectanda gloria, sed subditorum quærenda iusticia. Et certè maiorum hæc consuetudo fuit, vt Rex sacerdos esset & pontifex. Nam Regibus expiandæ cædis munus incubuisse, ex historia scimus. Nec minùs superioribus graue est illud Senicæ, qui, Cæsari (inquit) cui omnia licent, propter hoc ipsum multa non licent. Omnium domos illius vigilia defendit, omnium ocium illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio &c. Ac deniq; cùm iusticia legis finis sit, lex verò Principis opus, Princeps autem imago DEI, vniuersa dispensantis gubernantisq;, non Phidiæ industriam requi-

requiret, non Polycleti, non Myronis: sed semetipsum pius princeps in DEI similitudinem effingit, ac virtutis simulachrum expingit, conformatq́ omnium planè decentißimum, & aspectu iucundissimum ac Deo maximè conueniens. Sed ab hoc quantum abit diuersus, stultus atq; fatuus Rex, effecta gubernationis liquidum, in Regibus multis faciunt. Ac imprimis in Vuenceslão Caroli IV filio, qui citra omne virtutis pensum voluptatibus, palato ac turpi ocio indulgens, propter dissolutiorem vitam & negligentiam, cùm eius præcipuum officium debuisset esse, hostes Ecclesiæ & imperij propulsare, anno 1400, diademate imperiali exutus est, principe prudenti ac industrio in locum eius suffecto. Sic etiam Childericus Rex Galliæ, mulierosus, mollis & ventri deditus, nullius frugi homo, omnia administrans regni negocia

per consiliarios, omnesq; res ex consiliorum principum virorum agens, anno 725, imperio abdicatur ac in monasterium detruditur. Huius rei non desunt alla exempla, quæ ostendunt extrema sæpe perpessos esse alios, propter imperitiam rerum humanarum, alios propter tyrannicas grassationes, alios propter fastum & insolentiam, quorum multi vocis horrore, aspectus truculentiâ, morum difficultate ac solitudine, principatus tumorem austeritatemq; exprimunt, nec sanè quidquam à Colossis distare animaduertuntur, qui extrinsecus heroicam aliquam aut diuinam præferentes speciem, intus terram habent, aut saxa, aut plumbum quoq;, nisi quod hoc genus statuæ, ponderibus libratæ, rectitudinem seruant immobilem, nec quoquam proclinantur, adnuuntue: Cùm Princeps imperitus fluctuat semper quatiturq; ac circum-

circumagitur. Sed interim regium nomen, tanquam venerationis ac maiestatis plenum admiratur mundus, ac ibi iudicat esse sapientiam, vbi senium & potentia. Econtrà contemnit iuuentutem & paupertatem, quasi huiusmodi doni minus capacem, sed fallitur sæpè. Inueniuntur enim & Reges & senes fatui: Econtrà inueniuntur iuuenes sapientiâ præditi & pauperes. Paupertas est sapientiæ reparatrix. Ac Daniel tametsi puer, prudenter deprehendit Susannam falsò accusatam, quod tamen nemo alius ex populo deprehendere potuit. Ioseph adolescens sapientior fuit omnibus philosophis, magis, ac consiliarijs regni Ægyptij. Sic Amos & Dauid, tametsi pastores, tamen diuina sapientiâ fuerunt illustrati. Ac huiusmodi donorum DEI dispensatio, quotidie ob oculos cernitur, quæ ostendit Deum non ita constrictum

esse, vt cogatur sapientiam dare certis personis & statibus, vtpote senibus & potestate præditis, sed liberè, hoc donum distribuere pro sua voluntate. Hinc Salomon tametsi Rex iam erat, nondum tamen habebat sapientiam, sed eam primùm à Deo petit. 3. Regum 3. Dauid autem tametsi iam senex erat, & multa expertus esset, de se tamen diffisus, petit à Deo vt in senecta eum quoq; dirigat. Præcipuè autem hic locus eiusq; σύγκρισις, de fatuo Rege ac sapiente puero, abundè condocefacit doctrinas & scientias, Regibus admodum congruere: quod illis manifestè aduersatur, qui Reges iactant oportere non esse doctos. Ac præcipuè sapientiã ex cognitione verbi Dei, in eis requirit Ecclesiastes. Cuius contemptores, cùm multi hodie inueniantur, non tam inter ipsos principes, quàm nobiles & alios, grauißimè punientur. Videmus enim &

audimus multos esse, qui plus satis quotidie se produnt, nec in tanta luce sacræ doctrinæ, quæ hodie bonitate DEI affulsit, vllo modo mouentur. Nam sæpè cunctantur & detrectant vel è lecto surgere, vt sacras audiant conciones, tantùm abest vt patriam vel domum sustineant deserere. Sacros libros præ suis delicijs aspernantur, doctores item & concionatores peius angue oderunt, linguas et bona studia vehementer detestātur, & si quos viderint principes, literis ac pietate deditos, eos irrident. Hi sanè omnino sunt fatui, demersi in ignorantiæ ac impietatis cœnum. Cæterùm nunc sequitur causa, cur Regi fatuo melior sit prudens puer. Quòd nescit admoneri. Causa ignorantiæ & stultitiæ est animus obstinatus, & persuasio falsæ sapientiæ, tum etiam improborum hominum adulatio perniciosa. Tyranni enim & impij nec à consiliarijs

fidelibus, nec à pijs verbi diuini ministris, nec ab alijs commonefieri volunt, sed sæuiunt in iudices, consiliarios ac fideles doctores, non seruientes eorum cupiditatibus, manent igitur fatui, ac subinde præmia suæ pertinaciæ reportant iusta. Darius Rex Persarum, bellum cum Græcis instituit, quod perficere non potuit, post eius obitum filius eius Xerxes, idem redintegrauit, armans septingenta de regno suo, & trecenta millia de auxilijs, vt non immeritò proditum sit, flumina ab exercitu eius siccata, Græciamq; omnem vix capere eius exercitum potuisse, naues quoq; decies centum millia habuisse dicitur, ita vt ipse Xerxes videns exercitum cœperit flere dicens: post annos centum non victurum ex illis, vel vnum saltem. Cùm autem diu deliberaret Xerxes cum consiliarijs suis, quid faciendum, suaserunt omnes

pergendum esse, & Regem nimia æstimatione sui furentem concitârunt magis, præter vnum Demaratum Lacedæmoniorũ, qui dissuasit bellum, & dixit illam quâ sibi placeret, multitudinem indigestam & grauem metuendam esse, & victoriam sitam non in multitudine &c: Sed Demarati consilium, nullius fuit momenti apud Regem, quem adulatores instigabant magis magisq́. Cùm igitur Rex bellum adornaret & iam in itinere esset, Leonidas Spartanus, dux præstans, hostis Xerxis, adiunxit sibi trecentos viros ciues, animo & robore præstantes, & viam arctam Thermopylas occupauit, quâ Xerxi eundum erat, & ita Xerxem Neptuno compedes & cœlo tenebras minitantem, ad vltimam desperationem redegit, dißipato & prostrato exercitu. Ipse autem Xerxes à suis tandem occisus, ante obitum dixisse

fertur, omnes ſuos conſiliarios ſibi adulatos fuiſſe, præter vnum veracem Demaratum Hæc ſera fuit ſapientia, extorta ex contrario euentu, mœrore & nimia indignatione.

VERS. XIIII.

Eſt enim qui è domo vinctorum egrediatur ad regnandum, & qui in regno ſuo natus, fiat pauper.

NVnc additur ratio, quòd cùm etiam illud vitæ faſtigium, vt dictum eſt, vanitati ſit ſubiectum: quòd Reges ſubindè ſint fatui, & cauſæ ingentium motuum & calamitatum, vehementer igitur falli, qui omnia ſibi ſalua æſtimant, ſi illud attigerint. Sumitur autem ratio diſſuaſionis ab eius vitæ adiunctis in hunc modum:

Illud quod frequenter anceps eſt, tenditq́ nunc ad felicitatem, nunc ad exter

nas miserias non est suspiciendum tanquam summum hominis bonum.

Sed huiusmodi sunt sceptra Regum & principum.

Non ergo eorum vitæ genus, quasi summum hominis bonum, suspiciendum erit. Assumptionē probant varij euentus Regum & principum, quorum hi diu potentissimi & florentissimi, præ superbia & fastu, nunquam in animum inducunt, tantas fieri posse rerum humanarum nouationes, vt ex tantis suis fastigijs deijciantur, & in compedes, vincula & alias miserias trudantur: Alios autem multis annis afflictos, compedibusq́ ac catenis vinctos, vt regnorum gubernaculis præficiantur. Quæ inconstantia magnam rerum humanarum vanitatem ostendit, ac plurima habet & varia exempla, cùm eorum qui ita deiecti sunt, tum aliorum qui

 rursus

rursus sunt euecti. Ac prioris generis sunt Manasses, Zedechias, Oseas filius Hela, quibus annecto Priami, Crœsi, Dionysij casum, ac imprimis Desiderij Longobardorum Regis, qui vt anno 760. inuasit regnum Italiæ: Ita paulò post à Carolo æmulo victus, in vincula conijcitur cum vxore & liberis, ac tandem catenis ducitur in triumpho ac pertrahitur in Gallias. Huius rei quot etiam suppeditent exempla, historiæ huius nostræ patriæ, neminem esse qui ignoret existimo, qui vel perfunctoriè Saxonem ac Crantzium inspexerit? Ac sanè euidens huius rei testimonium, si nullum aliud esset, orientale existit imperium, quod Sarraceni, Constantinopolitanis principibus, delicias & præsentem luxum corpori arridentem, præferentibus gloriæ veræ & virtuti quæ durat, de die in diem attriuerunt, donec fatis vrgenti-

gentibus, totum corrueret deuoluereturq́ ad alios. Quare factum est, vt primùm nobilißimi christiani principes, cum magna ignominia facti sint tributarij crudelißimorum tyrannorum, ac nouißimè prorsus extirpati. Ita Sarracenorum & Turcarum coniuncta religio & potestas, Romanorum imperium labefactauit, etiam totum in oriente, ac occupauit Ægyptum, Syriam, Asiam, Africam, Thraciam & Græciam anno 770. Quod imperium etiam antè in occidente, incomparabile inquam Romanorum illud regnum, finem habuit, quod ab Augusto, sub quo fuit in summo vigoris statu, vsq; ad Augustulum durauit, semper tamen diminutum, & tandem prorsus expirans anno 477. Ita facilè inueniunt fata viam, cùm est aliquid finiendum. Omnia sic subiecta sunt vanitati, omnia prætereunt, ac terminus quem Dominus

ſtatuit rebus, nihil præterire poteſt. Videmus quàm primùm ordo, qui robur & vim vt durent addit, confunditur, actum eſſe. Sed eorum qui à remis (vt dicitur) ad tribunal, vel potiùs vt noſter loquitur Eccleſiaſtes: à carcere ad ſolium ſunt exaltati, quamuis nihil tale quærentes, etiam multa exempla recitari poſſunt. Sed ſufficiunt pauca, vt Ioſephi, Dauidis ac Hieroboami &c. Verùm huiuſmodi rerum humanarum alternationes, mundus fortunæ adſcribit. Quare & antiqui fortunam pinxerunt feminam, quo ſolo argumento inſtabilem eam poſſumus cognoſcere, & temonem in manibus ei dederunt, ac pedibus ſuppoſuerunt rotulas, fecerunt etiam ipſam cœcam: his omnibus demonſtrantes fortunæ incertitudinem: Quemadmodum ſi quis ſæuienti mari, in naui eſſet, quæ gubernatorem cœcum haberet. Magna autem

tem virorum multitudo hanc ſequitur, & illa hos ſurſum deorſumq; ducit & præcipitat, ac inuocantes & lamentantes deridet. Mercurium autem tanquam artium magiſtrum, ac dominum & fortunæ contrarium, finxerunt iuuenem pulchrum, naturâ non arte lætum, oculis acutis & forma cubica, id eſt, quadrata. Habet autem hic ſecum ſaltantes ac lætos artifices eum ſequentes, non de eo lamentantes, quemadmodum illi qui de fortuna queruntur &c. Hæc γραώδη *omittamus ac ſtatuamus Deum vtrumq; facere. Ipſe enim humiliat & exaltat. Hoc autem non facit ex præſcripto humano, immo nonnunquam reclamantibus nobis, vt ipſe ſolus agnoſcatur dominus, ipſiq; aſcribamus ſi extaltati fuerimus, atq; ipſi ſoli acceptum feramus ſi humiliemur.*

VERS.

VERS. XV.

Vidi omnes viuentes & ambulantes ſub ſole, cum puero ſecundo, qui ſtaturus eſt pro eo.

VLtima ratio cur non vſq; adeo admirari debeant homines imperiorũ faſtigia, tanquam ſummum bonum, ſumpta ab alia vanitate & rerum confuſione, cuius analyſis talis eſt.

Quod eſt coniunctum cum materia incertitudinis, doloris ac contemptus, non eſt adeo vehementer expetendum, & in eo non poteſt eſſe niſi ſumma vanitas.

Sed Regum ac principum imperia ſæpè ſunt talia.

Ergo minimè appetenda tanquam ſummum bonum. Aſſumptio hac ratione patebit: 1. Quòd omnium maximè conſilia humana irrita fiunt, circa educationem filiorum. Hinc Salomon exempla addu-

adducit à filiis Regum & principum, qui solent maiore curâ institui quàm alij, quòd ad maiora etiam procreentur. Ac notum est dictum Platonis: Ipsis principibus & primò & maximè Deus præcepit, vt nullius rei maiorem curam custodiamué suscipiant, quàm filiorum. In liberis & nepotibus erudiendis, liberaliter diligentissimus fuit Carolus Magnus, nec enim desidia & ignauo ocio perire passus est quenquam suorum. Hominem enim ociosum malè cogitare, & Satanæ huius aëris dominio obnoxium esse, eiusq́ tentationibus expositum non ignorabat. Quamobrem magnum illi studium fuit, vt studio disciplinarum mares occupati essent, & feminæ lanificio & alijs muliebribus artificijs. Vtiq́ verò imprimis pietate & sanctimoniâ insignibus personis, viris & mulieribus (qui tum in monasterijs plurimi inueniebantur)

bantur) erudiendos & instituendos in religionis negocijs eos tradebat. Neq; enim satis esse genuisse prolem nisi excultam, vtilem educando & erudiendo redderet. Hinc factum est, vt tot honesta virtutum virilium & muliebrium exempla, prodierint ex huius familia &c. De optimi & sanctissimi regis nostri FRIDErici. II. (piæ recordationis) στοργῇ, cura ac solicitudine, similia vel maiora recitari possent, nisi vel omnibus essent conspicua. Ex huiusmodi autem vt ad rem veniam, institutione contingit sæpè, vt in prima indole magnificam de se spem præbeant, omnibus amabiles sint, omnesq; illis regnum & dominium vltrò deferant adolescentibus, sed ad fastigia euecti, aliam faciem & alios mores induunt, omnemq; de probitate ac virtutibus conceptam spem fallunt Sic egregiè instituti erant Saul, Richabeam, Iöas, Manasses,

ses, Nero, Vuenceslaus filius Caroli IV. Lotharius, Alexander Magnus, qui quamuis Aristotelis doctrinâ elegantissimè imbutus erat, & ad modestiam & alias virtutes assuefactus: tamen in id vesaniæ prolapsus est, vt iam diuinos sibi deposceret honores. Nec satis. Nam veluti bellatorem fortunæ flatibus nimiò plus elatum, mortalis naturæ disspudebat, vnde non Philippo iam se natum, sed Hammone potiùs credi volebat. Huiusmodi petulantiam & peruersos mores, quum generosi parentes, referant pro probitatis ac virtutum summâ expectatione, obsecro an non doleant aut ingemiscant? sic huiusmodi Salomon animo perpendens, de seipso loquitur. Nam cùm haberet filium Richabeamum successorem futurum, hominem stupidũ et insensatũ, facilè præsensit eius imperium infelix futurũ. Hæc est prima ratio. Deinde quia ma-
gnum

gnum momentũ et ad lætitiam veram & authoritatẽ, adferre videtur, si quis inter viuentes, hoc est, inter principes & dynastas, iam ætate grandior, filium iuxta se ingredientem videt, cui vti legitimo successori aliquando de vita discedens, tantæ prouinciæ, tam fertilis inquam ac tam populosæ, ditionem sit traditurus. Ideo in hoc vnicè elaborant, vt huiusmodi filiorum designationes ipsis viuentibus fiant. Sic Dauid, Carolus Magnus, ipsius filius Ludouicus, Henricus Auceps & alij, non solùm designarunt Reges: Sed etiam partem gubernationis, vita superstite, ipsis filijs reliquêrunt. Hæc στόργη & affectio in generosissimis naturis vehementer est laudanda, sed tamen quia non vacat miserijs & periculis, non potest numerari in genere summi boni. Nam senior princeps, siquidem rectè sapit, facilè animaduertit, quan-

tum ipse ex filio suo oblectationis habet, tanto fastidio à se subditos esse abalienatos. Quid dicam de tumultibus & tempestatibus, subinde ex huiusmodi recentium Regum ac imperatorum χειροτονέιαις, exortis, quæ interdum vix sanguine ac oppreßione parentum, sedari potuerunt. Ludouicus Caroli Magni filius, qui propter summam in religionem obseruantiam, singularem pietatem, clementiamq́ue pius dictus est, is tres habuit filios, quorum natu maior Lotharius, in imperij consortium admittitur, futurusq́; pronunciatur Cæsar. Ludouicus Baoariæ Rex creatur, ac tertius Pipinus rex Aquitaniæ declaratur. Habuit præterea & Carolum quartum Caluum, quem ex vxore Iuditha suscepit, huic etiam pater aßignauit Sueuiam, Rhetiam & Burgundiam. Hoc alij filij grauiter tulerunt, nec defuerunt qui filios iuuenes per

se satis furentes incitarent, ac cum illis contra optimū patrem conspirarent. Sed quid fit? Ludouicus nihil tale à liberis suis à se genitis expectans, capitur. Captum autem plerique (vt solet) deserunt, ad filios desciscunt, filijs nemo resistere audet, multi autem assentantur illis, ac factum laudant. Quare in frequentissimo principum conuentu, cogitur optimus pater, omnem imperij potestatem deponere, filijs omnem dignitatem imperialem conferre. Deinde in monasterium includitur, custodibus adhibitis quibus confidebant filij. Hæc fuit gratitudo erga optimum patrem, quem tamen DEVS mirabiliter è carcere, ad imperij habenas euexit, quanquam ipse facilè sicut patet ex historia, contentus fuisset hac sorte, qui fastu huius mundi contempto, priuatus potiùs viueret, quàm imperator,

vt vigi-

vt vigilijs & orationibus se exerceret, ad pietatem etiam alios doceret, ac commoueret, tum ad charitatem, veramq; lucem & gaudium quod est in Christo Iesu, quod sanè in toto vitæ decursu fidelissimè præstitit. Sed quod Ludouico euenit, idem Dauid, & alij non pauci, sunt experti. Cùm igitur tot & tantæ accidant in imperijs confusiones, quis non ea etiam insigni vanitati subiecta esse non intelligit? ac proinde in ijs, stabile nullo modo inueniri bonum. Cæterùm si versus explicatus, sit ἐπιμονὴ ἀντιθέσεως fatui Regis & pueri, tum erit ὑποτύπωσις subitaneæ mutationis, in hunc modum: ita vt nunquam contingat eos, qui tyrannidem insipientis antea tulerunt, sub prudentioris iuuenis moderamine, respirare & hilares agere: licet æquales sui & iuniores, & qui præ-

ter illum, alium non nouêrunt, seducti opinione peruersa & impetu spiritus contrarij, laudes ipsius extenuare conentur. Sed superior explicatio videtur magis ad seriem disputationis, quanquam proxima non abhorret à sequente versu.

VERS. vltimus.

Non esse finem ulli populo de ullo qui præsit ipsis, etiam posteros non lætaturos esse, nam hoc quoque uanitas & afflictio spiritus.

Conclusio disputationis de principum, regnorum ac subditorum vanitate, ac imprimis de vulgi inconstantia, quòd nunquam in vno quopiam acquiescit, sed nouitatis auidum, eius quem nunc expetit, patrem aut auum breuî obliuisci-

obliuiſcitur ac etiam contemnit, expetitumq́; cùm ſenuerit faſtidiet ac tandem odio perſequetur. Vnde apparet regiam quoq́; dignitatem inanitati ſuæ obnoxiam, & cum plurimis maximiſq́; moleſtijs coniunctam. Quare niſi etiam hic ſtatus à Deo ſucceſſum habeat, momentaneus eſt ac maximè inſtabilis, ac tandem etiam vanitati ſubiectus. Nam quicquid ſe vllo modo effert & ſuis viribus confidit, dominus deijcit, nec aliquid eſt ita creaturis munitum, quod Deus non exuat ſuo tempore. Omnem faſtum deprimit, & ſtultitia eſt confidere in creaturis, quas dominus propter ſe fecit, nec vlla maior vanitas, quàm hominem ſibi vel arrogare culicem. Regna Aſſyriorum, Perſarum, Medorum, Alexandri Magni, ab alio ad alium tranſlata ſunt, ac tandem etiam peruenerunt ad Romanos. Qui olim fuerunt veri Romani,

eorum imperium frustratim scissum, quod ferè tot habet tyrannos, quot oppida vel vicos. Sic hæc pereunt & transeunt. Perit omnis arrogantia, nec Deus eam ampliùs ferre potest, vbi venerit ad suam ἀκμήν. Omnis virga ampliùs non necessaria & inutilis facta, in ignem mittitur. Exitus tyrannorum operæpreciũ est considerare, quam miseri inexpectatiq; fuerint. Videmusq; diuæ virginis cantionem, per omnia secula impleri: Deposuit potentes de sede & exaltauit humiles. Deus perpetuò superbis resistit, humilibus dat gratiam. Quod vult aliquid videri, in nihilum redigitur, vocatq; Deus quæ non sunt tanquam sunt, 1. Cor. 1. Rom. 4. Huius diuini iudicij omnes historiæ testes sunt, suntq; plenæ exemplis singulæ. Quot Reges? quanta regna & imperia? quantæ vrbes? quantæ deniq; respublicæ deletæ sunt? vt ne

vestigium quidem remaneat. Omnium exitij nulla causa prorsus est, quàm superbia cordis, cæcæq; mentis humanæ, Dei gloria destitutæ & vacantis. Quid Troiam? Græciam? Pharaönes & Constantinopolitanos principes? Romanum senatum? Populum Israeliticum? quid deniq; alios Reges & imperatores commemorem? quid aliud habent omnes historiæ? Quin nunc Turca tam breuî in tantum fastigium potentiæ est euectus, vt vel solus satis abundè indicio sit, quàm inconstantes mutabilesq; sint res humanæ. Sic non fortuna, ne gentiliter loquar, sed Deus omnia versat & omnia mutat. Oro autem Deum, patrem domini nostri Iesu Christi, vt conculcato regno Satanæ calumniatoris, concordiam, pacem & iusticiam in his regnis concedere & conseruare velit, idq; per filium suum. Amen.

CAPIT: QVINTI ΠΕΡΙΟΧΗ.

Caput quintum duas habet partes, quarum vna est παρέκβασις, id est, digressio à præsenti disputatione vanitatis, quam constituebat in nimia titulorum regalium vana ambitione, & appetitu ac fastu excellendi, quod non solùm vti diximus, coniunctum est cum multis confusionibus, periculis ac miserijs, sed subinde etiam à Dei timore & reuerentia retrahit, id quod perspicuum est, non solùm exemplis Regum infidelium, Deum verum contemnentium, vt Pharaonis, Sennacherib, Nebuchadnezar: sed etiam fidelium vt Dauidis, qui regiâ potestate elatus, non timuit Deum offendere, contaminando se adulterio Bersabeæ & homicidio Vriæ: Salomonis qui regia maiestate confisus, multa idolis erexit

lis erexit

lis erexit templa, ac tãdem Hieroböami, qui in vitulorum aureorum fabricatione ac adoratione, se conspicuum in suo fecit regno. Antidotum ergo ponit Salomon ac docet, qua ratione homines sibi à superiorum vanitatum studijs cauere poßint, nimirum reuerentia DEI, sanctisq; cogitationibus de prouidentia DEI, & administratione eius. Altera verò est ἀνάβασις ad institutum sermonem, de rerum omnium vanitate, ac præcipuè explicat eam vanitatem, quæ possessioni ipsorum fructuum terræ inest, vsumq; docet à natura nobis attributum.

VERS. I.

Obserua pedem tuum cùm adis domum ipsius Dei, vt præstò sis ad audiendum potius quàm ad dandum stultorum sacrificium. Nam hi non aduertunt se facere malum.

DIgreßio à describendis vanitatibus & calamitatibus huius vitæ, ex quibus cùm hominum mentes grauiter offendantur, vt statuant aut non esse Deum, aut si sit, eum non affici rerum humanarum cura. Contra tales tentationes, iam interrupta tractationis serie, præmunit mentes humanas, ac primùm vers. 7. agit de reuerentia Dei, deinde de iudicijs, sermonibusq́ nostris temperandis coram Deo, disserit vers. 8 Quisquis igitur scire vis quod iter sit tibi, & in hac tuenda vita, & ad veram extra hunc mundum felicitatem adipiscendam, tenendum. Primum omnium memineris ista non disci in hominum scholis, sed alibi, nempe in ea demum, quam sibi Dominus delegit & consecrauit domo. Hæc ergo tibi adeunda est, sed ita tamen vti decet compareto. Ac inter eundum neq; tibi de sapientia tua, neq; de rebus tuis, neq; de potentia

tentia tua ad alios opprimendos, neq́ de sufficientia tuiipsius præ alijs, tibi gratulator. (Hæc enim quatuor hactenus disputauit) sed quidquid est penes te, Deo acceptum ferto, ipsum quàm reuerentissimè adito, audito, colito atq́ honorato. Hæc est prima pars versus, in qua hortatur, vt nos aggregemus in societatem Ecclesiæ, idq́ cum omni humilitate, mansuetudine & puritate. At nos terrena respicimus, nec aduertimus mortalem esse hanc, & per momenta euanescentis naturæ prouinciam. Sed vtinam de hac admonitione seriò cogitemus, nostraq́ resipiscentia summi æterni patris filium, qui labem humanæ impietatis diuino & precij incomparabilis sanguine, in terrarum conspicua altitudine ineffabiliter profuso, expiauit, permoueamus atq́ flectamus, vt mentes nostras suæ claritatis fomite incendat illustretq́, vtq́ nouum homi-

uum hominem induamus, & quod abstulit peccati labes restituit pietatis candor, quâ efficiamur vnà velut argentum purum & immaculatum & candefactum, montẽq; domini conscendamus, in semitis eius ambulantes, inq; templũ hoc ingrediamur, non impingentes aut titubantes, quod vbi fecerimus, etiamsi peccata nostra fuerint vti coccus, dealbabuntur tamen perinde ac nix. Deus omnipotens mirabilia facit solus, Dei instrumentum homo est, ad magnifica perpetranda accommodum. Sed tam diu mirabilia exequitur feliciter, quàm diu homo morigerum se præstat artifici. Proinde bracteatrum illud recinendum sepiùs, viuendum esse hodie, quando qui cras viuit nunquam viuit. Quod si hodie expetis viuere, Deo vtiq; viuendum: quippe in vno eo heri & cras, non prorsus aliud sunt, quàm hodie. Qui igitur in Deo

viuunt

viuunt & ad Deum festinant, donantur spiritu sancto, cuius ἐνέργεια in corde fiunt noui motus, fit noua vita, præstatur Deo noua obedientia, fit lætitia in corde, mens acquiescit, gaudet & viuit in Deo, vt Stephanus, Laurentius, Agnes, Vincentius, Babylas Antiochenus &c: Hi omnes Deo vixerunt, & fortes ac animosi erant in Deo, scientes hoc:

Si mundus hic dæmonibus
Scateret sicut vermibus,
Nil timeremus anxiè
Vincemus tandem strenuè.
Princeps mundi superbiat,
Ringatur ac insaniat,
Nocere nescit nebulo,
Cùm fractus sit vel verbulo.

Habemus quâ reuerentiâ, deceat comparere in templo Dei, id est, in illo cœtu, qui puram de Deo doctrinam sonat. Nunc sequitur κατήχησις ac instru-

ctio

ctio hominis pij, quomodo nimirum se in eo cœtu habere deceat. Imperat igitur primùm, vt præstò sit ad audiendum, aure scilicet cordis præcepta Dei, non autem fabulas & deliramenta hominum. Hinc sequitur quòd finis huius ministerij tam arcani & magni, consistit respectu auditorum, vt videlicet animæ dociles & credentes adducantur ad Deum, voce Euangelij & non aliter, seu, vt Ecclesia Dei, hoc modo colligatur & conseruetur. Est itaq; pius doctor, tanquam media quædam persona, inter Deum & inter illos qui docendi sunt, videlicet quod ad doctrinam attinet, quam pius doctor sumit à Deo, & proponit hominibus & auditoribus suis. Hæc tria meritò exuscitent fidelitatem, præsertim cùm constet rationem aliquando reddendam esse, de administratione officij huius, quo non est difficiliùs, non grandiùs,

non

non ſplendidiùs, non periculoſiùs non durabiliùs, non Deo gratiùs, ſi rectè adminiſtretur. Cæterùm officium auditorum & diſcentium, conſiſtit in his tribus: in diligentia, in reuerentia & obedientia. Diligentia intelligitur, in omnibus miniſterij partibus tuendis, audiendo, diſcendo, amplectendo & confitendo veram Euangelij doctrinam, in vſu ſacramentorum legitimo, & in ornando profeſsionem doctrinæ, pietate & honeſtate morum & vitæ. Reuerentia eſt, agnoſcere diſpenſatores & œconomos myſteriorum Dei, hoc eſt certò ſcire miniſtros Eccleſiæ diuino myſterio fungi, & Deo agere gratias, quòd voce miniſtrorum ſibi æternam Eccleſiam colligat. Sic Carolus Magnus, primus imperij occidentalis chriſtianus imperator, de hoc miniſterio in adoleſcentia rectè inſtitutus, non ſolùm in ſumma reuerentia ha-

tia habuit pios doctores & ministros: Sed etiam imperator factus, legebat ipse lectiones in templo, & in festis distribuebat lectiones principibus, vt si quis erat adulter, reprehensionem legeret scortatorum & adulterorum. Ebriosi contra ebrietatem. Hæc singularis fuit diligentia ac reuerentia Caroli, à quâ contemptores religionis & pertinaces Dei perduelles, longißimè semper abfuerunt. Obedientia intelligitur in his quæ ad ministerium pertinent, vbi verbum Dei obedientiam postulat, cùm proponuntur præcepta Dei, & cùm fiunt adhortationes ad bona opera, obedire debent pij auditores. Qui vos audit, me audit. Qui vos spernit, me spernit inquit filius Dei. Nunc deinceps addit: Ad audiendum potiùs quàm dandum sacrificium stultorum. Humana ratio plerumq; ceremonias pluris facit, quàm

quàm ipsam doctrinam, ita ut sæpè inde, peculiaris idololatria & superstitio oriatur, sicut historiæ tam Ethnicæ quàm Ecclesiasticæ testantur. Sic cùm viderunt Ethnici, primò patres sacrificasse agnum certo tempore, inciderunt statim in errorem, sacrificium scilicet esse cultum maximum Dei, quo Deus placetur, & quo sacrificia sint preciosiora, eò ipsum Deo gratiùs esse. Hinc multi centum boues mactârunt, quod sacrificij genus nominarunt ἑκατόμβην, donec postea etiam ipsos homines mactarent. Et ἑκατόμβη eruditis Ethnicis, nota & celebris fuit ut Homero, Athenæo & alijs, de qua legatur Athenæus lib. 10. de Pythagora loquens. Ac non tantùm Græci authores, huius vanitatis exempla existunt: Sed etiam & ipsi Saxones, & proculdubio maiores nostri, qui illis vicini erant, luculenta huius rei præbuerunt

 documen-

documenta. Feruntur enim Saxones ante conuersionem, vixisse ad Platonis leges ac placita, quæ proculdubio instituta erant ab ijs, qui militatum abierant in Græciam, ex quibus aliquis præstantis ingenij, illic eadem didicit, qui reuersus in patriam, alios etiam huiusmodi docuit. Quare ad religionem eorum quod attinet: quibusdam diebus, humanas hostias sacrificabant Mercurio, & illos qui mactandi erant homines, venerabantur ceu Deos, omnesq́; certatim aliquid muneris in diuinam hostiam conferebant. Sed huiusmodi κακοζηλίαν, reprehendit ac taxat Ecclesiastes, quòd videlicet coniuncta sit cum summo abusu, crudelitate & falsis persuasionibus de sacrificijs, quòd vel mereantur remissionem peccatorum, & placent iram Dei, vel sint iusticia coram Deo, vel cultus per sese, id est, ex opere operato, vel deniq́; res necessariæ &

sem-

semper retinendæ. Quæ omnia pugnant cum legitimo sacrificiorum fine. Non enim instituta sunt sacrificia, quasi Deum datis muneribus, homines sibi reconcilient aut demereantur. Quare non Deo quicquam adijciendi, sed ab eo accipiendi causa, adeunda est ipsius ædes, nempe ut veram sapientiam ibi sonantem, auribus & mente percipias. Qui igitur huiusmodi non considerant fatui sunt, & in maxima tum naturæ, tum voluntatis Dei ignoratione versantur. Documento igitur erit versus, quòd Deo displicet omnis ἐθελοθρήσκεια, & frustra intenduntur vires ad id præstandum, quod Deus non requirit: ac quemadmodum in mutuis hominum officijs, illud verè & rectè est dictum: ἄκαιρος εὔνοια ἐχθρᾶς οὐδὲν διαφέρει, id est, intempestiua beneuolentia nihil à simultate differt: Sic odiosum est Deo, quodcunque ei contrà ac præscripsit, præstatur officium.

VERS. II.

Ne properes ore tuo, nec cor tuum festinet vt verbum proferat apud DEVM. Nam Deus in cœlo est, tu verò super terram, propterea sint verba tua pauca.

SEcunda κατήχησις, *in qua pergit ampliùs hominem informare, quomodo se gerat in Ecclesia Dei. Probibet enim primùm omnem* βαττολογίαν *id est inanem strepitum labiorum. Etenim carentes fide, orant sine intellectu, & simul fidunt stultæ garrulitatis prolixitati. Sic hodie Papistæ existimant, se suo ritè perfunctos munere, si dicant alicui statuæ: multa PATER NOSTER & AVE MARIA, si coronas & totos precularum libellos, globulorumq; circulos demurmurauerint. Tantum ergo fidunt suo operi operato. Pius interim*

cogitat,

cogitat, quem, quid, per quem, & qua fiduciâ oret. Verùm increduli præstantiam precum, collocant in copia blaterationis, sine mente ac certitudine effusæ, sonantes sicut Hecuba Euripidea sonuit inane murmur: O Iupiter, quisquis es qui terram regis, vel necessitate vel consilio, vel sicut Aristoteles dicitur fecisse, agens animam: ἐλέησον μου ὦ ὂν ὄντων. *Miserere mei ens entium. Sic nunc hypocritæ faciunt, ac imprimis papicolæ, qui putant se ideo exaudiri, quòd diu garrierint, nempe si multas MISSAS, &, quas vocant horas, officia, vigilias, & coronas perstrepuerint. Non igitur tam temeritatem in orando, hoc versu compescit Salomon, sed etiam simul prohibet, impium humani cordis iudicium de Deo. Nam cùm res ex sententia non succedant, statim iudicant homines, vel Deum non esse, vel eum nescire aut non cu-*

rare mortalia, vt videmus ex psalmis & Prophetis. Hoc autem hîc prohibet Ecclesiastes, addita tali ἀπολογίᾳ, vt fontem ipsum ac caput obstruat insipientium verborum. Quòd Deus, qui in altissima cœlorum specula sedem figit, vbiq; præsens sit, ac omnia perspiciat, etiam deprehendens, occultas animæ cordisq; cogitationes, quanquam per sermonis indicium non emergunt. Non igitur temerè, vel de occultis Dei iudicijs, vel de diuinis mysterijs, quicquid in buccam venerit, effutiendum suadet. Mortalis enim homo cùm sis, ac graui corporis nexu circumseptus, & orbis infimus habitator, nequaquam potes inuisibilis Dei supercœlestisq; substantiam comprehendere. Hic versus admoneat nos nostræ fragilitatis, ac sit in conspectu nostro hæc sententia Meletij, cuius verba recitat Epiphanius: δέος γὰρ ἐστὶ μήπως &c. id est, timendum est,

ne fortè

ne fortè ex contentione de incomprehensibilibus, & ex inquiſitione eorum, quæ aſſequi non poſſumus, in profundum impietatis incidamus.

VERS. III.

Nam proueniunt quidem ſomnia ex multitudine negociorum, voces autem ſtultæ ex redundantia verborum.

SImilitudine illuſtrat quod ſuperiùs dixit. Somniorum quædam eſſe theopneuſta, id eſt, à Deo inſpirata, quæ neceſſariò contingant, ex ſcriptura conſtat, quædam verò phyſica, confabricante ſibi anima, quod conferre videtur, & inde quod futurum ſit: alia autem ſyncramatica, ex ſpontiuo per idolorum occurſationem, quando inſpectamus quæ maximè cupimus, vt cùm pecunias verſare, aut amicas complexari incipimus. Ab hac

postrema specie similitudinem sic sumit: Sicut somnium dormientem quempiam, vel ad auaritiam, vel libidinem excitans, euolat mox & irritum euanescit, vt nihil eorum quæ facere videbatur, certum esse contingat: ita & vox hominis stulti, nihil vtile commodumq; concludens, est somnio similis. Sicut igitur somnia arguunt, animum curis implicatum esse: ita multa verba documentum sunt stulticiæ, Prouerb. 10. In multiloquio non deerit peccatum, qui autem moderatur labia sua prudentissimus est. Cæterùm polilogiæ vitio insigniter laborabant veteres Philosophi, qui vt subinde dictum est, cùm de mundo disputarunt, de natura, de anima, de Deo, præter modum loquaces fuerunt, quo vitio, sophistæ scholastici maximè etiam fuerunt insignes, qui tanta verbositate in scholis, de processione personarum in diuinitate, de re-

lationi-

lationibus hæccitatibus, quidditatibus, transsubstantiationibus digladiabantur, vt nihil præter dubia & verborum stridores relinquerent. Itaq; ne nimius sis in loquendo diligenter caueas, nec vltra quidem quàm par est ac decet, sapias: sed audias & soli Domino sapientiam concedas, eiusq; sapientiam apprehendas in verbo, quod est Dominus noster Iesus Christus, thesaurus omnis sapientiæ.

VERS. IIII.

Quum voueris votum Deo, ne differto illud persoluere. Cæterùm ille stultos non probat, quod voueris persoluito.

TErtium est πρόσταγμα κατηχητόν. *Nam cùm ante dictum sit, Deum detestari omnem sacrificandi rationem quæ impura est, & ipsius imperio repugnet, nunc additur commonefactio in veteri testamento comprimis necessaria,*

 de votis

de votis Deo redditis & seriò persoluendis. Hæc autem vouendi consuetudo inde ortum habuit, quòd in hominum fermè omnium mentibus id insedit, vt si quando aliquid precentur à Deo seriò dari, ipsi vicissim ei aliquid polliceantur se oblaturos esse: Hoc enim pacto videntur animi conciliari, scilicet muneribus, quia ea non modo iuuant eos qui donantur, sed honorant: dantur enim vt testimonium virtutis & excellentiæ, qua secunda ratione possunt Deo offerri, vt scilicet inde à nobis honoretur. Dicebat Aristoteles in suis Rhetoricis, munera non minùs ambitiosis, quàm auaris satisfacere, isti illa appetunt vt ditentur, illi vt honorentur. Vnde & Dominus qui maximè à nobis requirit, vt illum colamus, dixit in lege, vt vacui ad illum non irent, indignum quippe esse, si coram se populus absq; muneribus

neribus appareret. Apud Romanos id obtinuit adeo, vt Curtios & Decios vbiq; fermè legatur quòd vouerint, vt victoria potirentur. Inter Græcos quoq; fuerunt vota non rara, immo in Platonis Phædone legimus, adhuc Socratis tempore consueuisse persolui votum, mitti nauem benè ornatam Delum quotannis, cum muneribus & sacrificiis, idq́ue ex voto, quo Theseus se obstrinxerat, cùm in Cretam ad Minotaurum proficisceretur. Ita videmus vouendi consuetudinem etiam Ethnicis notam fuisse. Hebræis verò & populo veteris testamenti, vt id familiare fuerit, non est opus recensere. Orantes igitur & petentes aliquid à Deo homines, consueuerunt contrà quippiam Deo vouere, ne erga illum viderentur inofficiosi. Ex quo apparet, votum esse cùm quid Deo pollicemur nos reddituros.

Vouemus

Vouemus autem Deo, & pollicemur non pecunias modò: sed abstinentiam victus, castitatem, & quæ sunt generis eiusdem. Quia ergo stultos persæpè pollicitorum pœnitentia torquet ac dolor, tum etiam insidiæ à satana impediunt, volentes vota persoluere, hortatur vt citò ac velociter quæ promisimus, Deo reddamus. Ad reddenda igitur vota, talem requirit animum, vt sacrificium laudis perpetuò cohæreat solutioni votorum. Verùm in Euangelio per quod lex abrogata est, nihil seorsum vouendum præcipitur, quàm quod fidei ac caritati ἀνάλογον *ac conueniens. Quare si quid vouetur, quod cum fide & caritate pugnat, id vt est à iusticia alienum, ita præstari minimè decet. Contrà quæ sunt fidei ac charitati conuenientia vota, reddi omnino ea par est. Vt si seruus voueat hero suo se fidelem fore: Subditus magistratui iureiu-*
rando

rando ſuam fidem obliget: vicinus vicino ſanctè promittat, ſe hoc vel iſto die debitum ſoluturum, aut deniq; imperator vel Rex aliquis, pro felici victoria, voueat eleemoſinam inter pauperes diſtribuendam, & ſuccedentibus rebus in effectum producit, quemadmodum Carolus Magnus, contra Vngaros dimicaturus, piè ſe obligauit, ſi Deus annueret voto, ſe in Eccleſias & alios liberalem futurum, in quem inclinante victoria, repertiſq; inexhauſtis theſauris, multas Eccleſias & monaſteria (quæ olim erant ſeminaria pietatis) ædificauit, ampliſſimeq; donauit ſacerdotum collegijs, quæ ex hoſte conſecutus erat. Sic & Henricus Auceps contra eoſdem, arma ſumpturus, votum fecit & victoriam nactus, non immemor voti, munera & tributum quod Vngaris dabat ante prælium, pauperibus poſtea dari inſtituit. Ac poſtremò ſi

mò si vota fiant, grauißimis morbis nos examinantibus, quæ à fide & charitate non sunt aliena, licita sunt & pia, præsertim quæ pertinent, ad succurrendum facultatibus miserorum & oppressorum, cuius sanè commendatißimus meritò omnibus seculis existit (piæ memoriæ) Iohannes Legelius Roschildensis canonicus, et œconomus pauperum scholasticorum, ac aliorum egenorum, in societate columbina, qui vltra certum numerum scholasticorum, qui ex liberalitate sanctißimæ memoriæ FRIDERICI. II. ad discendum cœlestem doctrinam & bonas artes, eo in loco sustentantur, ancipiti morbo grauißimè afflictus, sanctißimè obstrinxit se, vita superstite, adhuc aliquot adiuncturum, quòd fraudandos pauperes eleemosyna regia minimè censeret, quod quidem haud difficulter fortè potuisset

optimus

optimus vir, niſi iuſticiæ ac pietatis a-
mans fuiſſet. Ac profectò reſpirans ali-
quamdiu à grauiſsimo morbo, fideliſsimè
votum in effectum produxit, numerum-
que pauperum auxit, quem ſperamus fo-
re diuturnum. Huiuſmodi vota pijs om-
nibus ſunt commendanda, quæ ſanè ἐυ-
χαριςήρια beneficiorum Dei, & benedicti-
onis corporalis & ſpiritualis ſunt. Sed
è diuerſo, quicquid deflectit à fide &
vouetur, impium eſt & reuocandum,
vt ſi quis æſtuante morbo, vel alio caſu,
voueat peregrinationes ſuſcipiendas ad
S. Iacobum, Romanam ſedem, & ſimi-
lia loca, apud quæ opinio ſanctitatis
inualuit. Huiuſmodi vota impia & illi-
cita ſunt, quia pugnant cum fide, & ido-
lolatriam præſeferunt, maximeq́ʒ ſancto-
rum inuocationem confirmant. Sic etiam
quicquid ita vouetur, vt impugnet
charitatem & ſtabiliat aliorum impro-
bitatem

bitatem, rescindendum & abrumpendum erit. Quare & hoc pacto, non prævaricatus fuisset Edenolpus Angliæ Rex, si votum reuocasset, qui anno 850. in regno suo, collegit decimas omnium fructuum terræ et pecoris, tulitq; eas Romam, obtulitq; pontifici Romano Leoni IV. vouitq; in toto regno suo, ex singulis domibus duos argenteos quotannis se missurum. Quod hactenus vsq; maiorum memoriam nostrorum factitatum est in Anglia. Quomodo non parum, incrementa ac vires Romanæ tyrannidis sunt aucta. Sit itaq; summa prudentia in votis ferendis, & ad amussim scripturarum diligenter spectandum, quæ Deo placeant. Imprimis verò id maximè obseruandum, vt ante oblationes & vota, curemus fide iustificari: nam si alioquin inimici Dei sumus, quomodo illi grata esse poterant nostra dona? Quot enim

ſunt infideles, qui ſi munera attendas, præclara, precioſa, illisq́ chariſsima Deo offerunt, & nihilominus tamen ingrata ſunt illi & odioſa? quæ enim ab inimico animo prouenire ſcimus, non poſſumus iucunda exiſtimare. Sic Eſaias deteſtabatur Dei nomine omnia iudæorum ſacrificia, cùm illi à vera pietatis ratione deſciuiſſent, cùm tamen illa ſacrificia Deus, alioquin ſibi in lege offerri poſtularet. Atq́ Plato refert in Alcibiade: Optimè cecinit Homerus, nidores victimarum & ſacrificia, quæ à Troianis offerebantur, Ioui non fuiſſe omnino accepta, quòd illi & Priamus & populus eius eſſent inuiſi.

VERS. V.

Præſtat vt non voueas, quàm vt voueas & non perſolues.

ADiuersis, duobus propositis malis, bonum dixit quod minus est malum. Potiùs ergo vt voto non satisfacias, præstiterit à votis abstinere, vel sic, vt sit comparationis minoris ad maius. Malum est proculdubio ac detestabile, si nihil vnquam velis Deo tribuere, at multò peius, si pollicearis te Deo quid daturum neq; persoluas. Quare cauendum diligenter, ne quid temerè promittas in conspectu Dei, quia simul ac reus voti factus fueris, multitudo te circumueniet tentationum, quæ persoluere promißionem impediat, ita vt ne dormiens quidem, sine molestia sis futurus. Vt exempli gratia, pecunias auarus quispiam, vouet Deo se redditurum, mox autem non interdiu solùm torquetur & auocatur, rationibus hinc inde subductis, ægestatem sibi ac pauperiem ante oculos ponens, sed (vt par est) dor-

miens quoq; ijsdem imaginibus conturbatur, ne vota Deo persoluat. Quanto autem supplicio torquendi sint, qui contemnunt vota complere, docent nos in actis Apostolorum, Ananias & Saphira, repentina morte sublati.

VERS. VI.

Ne permittito ori tuo vt peccato obstringat carnem tuam, neq; vt dicas coram angelo Dei, vt error sit istud, ecquid efferuesceret Deus ipse propter vocem tuam, & perderet opus manuum tuarum?

Ἐπιμονὴ *eiusdem admonitionis de voto.* Ne pmittito ori tuo, *scilicet illicitum & impoßibile.* Vt peccato obstringas carnem, *synecdoche, id est teipsum, ne temerè igitur votum aliquod ore effutias, quo tumet tibi peccandi occasionem accersas. Tale erat votum Iephte, Herodis, item,*

Monachorum & Nonnarum, qui non soli Deo, ſed ſimul Benedicto, Dominico, Franciſco, ac deinde Abbatibus & Prioribus, obedientiæ & caſtitatis vota faciunt. Hæc vota quomodo ſoluunt, oſtendunt & apoſtaſiæ & fœdißimæ talium monſtrorum libidines. Ac imprimis Charthuſiani ſunt hoc nomine accuſandi, qui abſtinentiam à carnibus tam arctè profitentur, vt etiam ſi quis agat animam, minimè tamen eas ſuppeditent. Quæ Manichæorum inſania fuit, qui putârunt vinum, carnes & id genus immunda eſſe, quòd fuerint à quodam malo Deo creata. Neq; vt dicas coram Angelo Dei, vt error ſit iſtud &c. *Secunda pars verſus, habens aliam προτροπὴν, ne falſo ignorantiæ alicuius obtentu, abſolutionem à voto, apud Dei legatum ſacerdotem videlicet, petens, in teipſum grauiſſimè pecces. Proinde altiùs generoſiusq;*

eſſe

esse excitandum animum monet, ne vndiq; inscitiæ circumfusi caligine lapsitemus, imprudenterq; mentientes, iram Dei res nostras omnes propterea dispersituri, vltrò tantillæ rei causa, in nos prouocemus, quemadmodum multos videmus præstigias offundentes hominum oculis, numen cœleste se quoq; fefellisse gestire. Sic Lotharius qui propter vxorem Theobergam repudiatam, à Nicolao Papa excommunicatus, ac Romam veniens, primo anno pontificatus Adriani 2. simulatè ac hypochriticè se purgat, & post satisfactionem (vt vocant) existimans se quoq; posse imponere numini cœlesti, in testimonium innocentiæ suæ communicat mensæ Domini, cum quo etiam communicantes eius aulici primores, conscij nefarij propositi, ac hypochriticæ mentis, ante annum periêre omnes. Ipse autem Lotharius, post illam participationem

mensæ Domini, semper tristior est conspectus, & ad suos rediturus, in itinere moritur. Tanta est vesania humanæ mentis, vt non dubitet etiam ludere cum Deo, & tanquam stupidum aut ignarum rerum humanarum decipere. Ac mirum est nunquam sapere homines, vt abstineant à periurijs & insidijs, quas consequi ferè semper solent maximæ calamitates.

VERS. VII.

Certè in multitudine somniorum, insunt vanitates, & in verborum redundantia, sed Deum reuerere.

Conclusio primæ partis digressionis, de reuerentia numinis cœlestis, in qua tria valde similia comparauit, inania scilicet somniorum phantasmata, vanos hominum labores, & ineptam

loquacitatem. Somnij enim persimilia sunt nugacis hominis verba. Sicut igitur in somnijs & delirijs, multiplex sese ostendit vanitas: Ita se quoq; habet in futili loquacitate Non igitur verbis, sed re, id est, syncera Dei reuerentiâ hîc opus est. Et in verborum redundantia &c. *Redundantiam verborum hoc loco, non tam* πολυλογίαν *id est multiloquium, quàm* παραλογίαν *id est ociosiloquium vocat. Paulus enim loquens de regno Dei, quamuis ad intempestam noctem verba funderet, nullo tamen auditores afficiebat fastidio. Qui autem multa verba profundat, rem verò ipsam de qua agitur, minus facilem reddat, nihil fermè videtur loquutus fuisse. Sic & qui ociosè & præter rem loquitur, in verbo quoq; nugax creditur esse. Talis fuisse perhibetur homo* ἄθεος *Lucianus, nimirum loquentiæ*

multæ ac sapientiæ minimæ, cuius impietas omni risu ac exibilatione excipienda est, quòd nos irridens ægerrimè fert, qui Græcorum Deos abnegemus, & vt ille loquitur, ἀνεσκολοπισμένον σοφιστὴν προσκυνῶμεν, *id est, crucifixum sophistam adoremus, & ex illius præscripto viuamus. Nec à trinitatis diuinæ infanda alibi abstinet supplosione. Sed abundè Græca natio, quid de eo sentiendum foret, sanxisse videtur, blasphemi conflato cognomine. Verùm exitus eò amplius quoniam à canibus fertur conscissus homo fœdissimus. Sed de tertia parte similitudinis copiosè aliquoties diximus.*

VERS. VIII.

Si oppressionem inopum, & iuris ac æquitatis interuersionem in prouincia conspexeris, ne ad hanc pro sua libidine quiduis agendi rationem, attentus esto.

Nam

Nam qui ſublimior eſt ſublimibus, (hæc) obſeruat, & ſunt qui ſuper iſtos emineant.

SEcunda pars capitis ἀνάβασις nimirum, in qua hic nominatim occurrit vanitati, quam cap. 3. & 4. expreßit, ac maximè confirmat pios. Quando itaq; contrà, quàm aut oportet, aut ratio oportere exiſtimat, pleraq; in mundo fiant, ita vt pauper ac humili loco natus, ad regiam dignitatem conſcendat: Rex ad ſummam neceßitatem redigatur, iuſtus aliorum iniurijs vexatus ſuccumbat: iniuſtus ſuas fortunas integras retineat, potentiores ſemper prærogatiuam obtineant, ſiue iuſtas, ſiue iniuſtas habeant cauſas, ſapientis deniq; ac ſtulti eadem ſit conditio: ſtatim erumpit ratio humana & cyclopicè clamat, Deum abiecisse iam pridem noſtri curam, non curare ſuos fideles, angelos eius ſtertere

 non

non excubare pro nobis &c. Hanc temeritatem & effrenem blaſphemandi libidinem vt inhibeat, monet non oportere iſtud quempiam, ab hac pietate & à religioſi hominis officio abducere, quòd opprimi quos præmijs affici oportuit, vel quoniam iuris ſpecie, iura violata alicubi videat. Vtcunq; enim iſta, ſus deq; feruntur, tanquam terrarum orbe, gubernatore deſtituto, ſciendum nihilominus non deeſſe, qui ſupra omnes iſtos, eo in quem euecti ſunt gradu abutentes, emineat: cui adſtent præterea miniſtri innumerabiles & potentiſsimi, quibus ad exequenda ſua in iſtos ſuperbos decreta, ſuo tempore vtatur. Hæc doctrina comprimis neceſſaria eſt, vt ſciamus primùm eſſe Dei cultum, Deum credere, deinde Maieſtatem illi ſuam reddere, & cum Maieſtate bonitatem, ſine qua nulla Maieſtas eſt. Adhæc ſcire illum

eſſe

esse qui præsidet mundo, qui vniuersa vt sua temperat, qui humani generis tutelam gerit, qui coërcet, castigat, pœnas pro noxa irrogat, & iustis præmia elargitur æterna. Nec desunt sanè & prouidentiæ & iusticiæ diuinæ, præter generalia, etiam peculiaria & indiuidua infinita exempla, quæ omnibus semper conspicientes temporibus homines, Deum rerum humanarum moderatorem esse, coràm intelligere potuerunt. Cuius rei memorabiles historias hîc subijciam. Anno à natiuitate Christi 850. fames vix vnquam audita afflixit Germaniam, fertur in historijs, & bonæ fidei inquam historijs, quòd illa necessitate, quidam à Rheno, in quæ loca præ cæteris, fames maior premebat, cum vxore & puero filiolo, petiturus Thuringiam, vbi paulò post, remissior erat caritas, cùm esset in sylua, & puer præ fame deficeret,

ficeret, ipsi quoq; parentes tabescerent, incepit cum vxore maritus, de immolando & comedendo puero tractare, vxore ad tantum facinus non conniuente, nihilominus rapiens & tenens puerum stricto gladio, iamiam percussurus: ecce vidit duos lupos, ceruam captam dilaniare, accurrens igitur & lupis abactis, carnes ceruæ accepit, quibus cum filio saluo & vxore vescitur. Hoc exemplum abundè commendat Dei prouidentiam & ostendit, quàm mirabiliter Deus cum hominibus agat. Sic & iusticiæ ac patrocinij diuini, contra calumnias & impias suggillationes, non dissimilis historia recitatur de Henrico 2. imperatore & eius Regina, quorum vterq; mirificè pietatis amans, orationibus, vigilijs & sacris, frequens interfuit. Ac cùm votum castitatis eo tempore, supra modum meriti æstimationem apud

apud omnes & singulos obtinuit. Henricus vxorem suam nunquam attigit, ipsa vicißim castitatem seruare cupiens, consenserat sponso: ità ambo degebant vitam celibem. Interim Satan qui nunquam quieuit, nec quiescet ante consummationem, siue per hominem quempiam, siue sine medio (ignotum est) suspectam imperatori reddidit Reginam, Runigundam nomine, adulterij, cum quodam enim equite aurato, consueuisse eam suspicabatur Henricus, diabolo huiusmodi suggerente (vt in eo casu fieri solet) cogitationes: incusat eam, cur simulet & profiteatur castitatem coràm hominibus, grauius iudicium eam manere, dominum qui corda & oculos fecit, omnia videre, etiamsi fallat homines. Castißima interim virgo, pudico & modesto vultu, constanter factum negat, & se gaudere inquit, quòd Dominum testem

testem habeat, cuius testimonio ipsa sit contenta. Nam repositam in corde suo certam fiduciam, & manifestam fore suam innocentiam, cùm domino tempestiuum foret visum. Vt autem Henrico hic scrupulus, quem Satan illi iniecerat, eximeretur, conuênit inter eos, vt Regina ambularet super ferrum candens (vomerem candentem scribunt fuisse) quæ postquam inuocauit nomen Domini, vt propter gloriam suam, probaret innocentiam ancillæ suæ, læta, sed modestißima fronte, nudis pedibus, ferrum igne iamiam extractum, & adhuc rubens calcat toties, quoties voluerunt ij qui aderant, testes miraculi, quod Deus cum innocente Regina operatus est. Hæc & aliæ historiæ, ostendunt hoc verum esse, quod Ecclesiastes commemorat. Nam qui sublimior est sublimibus, obseruat &c. *Sic Deus cuius cœlum sedes, &*

des, & terra ſcabellum pedum eius. Eſaiæ vltimo. Non neglexit tres pueros in camino ardente, Suſannam, Ioſephum, Laurentium & alios. Quare vbi videris magiſtratus abuti ſua poteſtate, iudices impiè iudicare, plebem murmurare, ſapientes diſceptare &c. noli ſeditionibus & violentia iſta velle tolli, ſed age quod tuum eſt, de reliquis cogita, Deus iſta corriget. Nam qui eſt ſublimior ſublimibus obſeruat.

VERS. IX.

Cæterùm præſtantiſsima eſt terra inter omnia, Rex agro fit ſeruus.

QVia enim hæc duo ſemper ſimul ſint oportet, nempe vt virtutes plantemus, & vitia pullulantia eradicemus, vitam hanc contemnamus, ad futuram autem prouocemus. Nemo igitur offendatur, quòd ſæpiùs eadem repetat.

Non

Non enim ob id ſermonem exorſus eſt, vt aures demulceat (quod oratores & philoſophi faciunt) ſed vt cor moueat ac feriat, ſicut igitur ſuprà dixit, ſe deprehendiſſe mundi vanitatem, dum paßim videret calumnias egenorum, ſuperbiam & ambitionem in magnatibus, iniuſticiam non tam in conſcientijs, quàm in externis, in iudicijs, in foro, in contractibus, in ponderibus &c: ita & nunc addit nos eandem, viſuros in agricolatione & opum acquiſitione & ſimilibus. Cæterùm præſtantiſsima eſt terra. *Contentio ſiue comparatio bonorum, ex quibus eluceſcit ſua vanitas. Bonorum externorum duo ſunt genera: Alia quæ ex ſe ad vitam quodammodo conferunt, vt prouentus terræ. Alia quæ non ipſam vitam adiuuant, ſed aliorum ſunt adminicula. Inter hæc nullum fortuitum bonum, tam eſt neceſſarium homini, quàm*

ni, quàm fructus terræ, ſine quo ne reges quidem viuere poſſunt. Sed cùm eius ſtudium & poſſeſsio ſit vanitas, ſequitur multò magis fortuita bona vana eſſe, de quibus immediatè non viuitur. Conſequentia patet ex effectis agriculturæ. Primùm enim quantumcunq; colas agrum, tamen efficere minimè potes, vt non ibi naſcantur zizania, immo contra tuam voluntatem, cogeris ea relinquere in medio tritici. Neq; vnquam triticum à paleis & zizanijs, perfectè ſeparare potes, niſi in trituratione & ventilatione, ex quo niſi Deus excoluerit & irrigauerit terram, ſumma in agricolatione apparebit vanitas. De neceſsitate agriculturæ, nemo eſt qui dubitat. Cùm terra ſit veluti communis omnium mater, quæ cunctos ſuo gremio, haud aliter ac nutrix infantem fouet & complectitur, cuius fructu ne

quidem ipsi Reges carere possunt, sed ipsi sint obnoxij necesse est. Ac vehementer omnibus seculis, rure delectata sunt nobiliora ingenia. Commendari proinde meritò poterit agricultura, ab antiquitate, à personis, rebus gestis, rebus inuentis, rebus sacris, ac demiq; vtilitate immensa, de quibus suo loco dicetur.

VERS. X.

Qui amat pecuniam non satiatur pecunia. & ei qui amat multitudinem, (asseclarum) non est inde prouentus, & est hoc quoq; vanitas.

ALtera pars comparationis de bonis fortuitis, circa quæ maximè occupatur auarus, qui proinde describitur suis proprietatibus, & argumentis consentaneis, vsq; ad vers. 18. quorum primum est hoc versu, à natura subiecti, id est auari & pecuniæ cupiditate, cui quæren-

quærendæ omnes inhiant, cùm nullum vnquam auarum expleuerit, eſt ergo inexplebilis auarus, quia quantò plus capit, tantò plus cupit. Conſequentiæ ratio non eſt ambigua, cuius tales aßignari poſſunt demõſtrationes. 1. Quòd pecunia etiamſi multa ſit, tamen finita eſt, auaritia verò ſiue cupiditas infinita, inſatiabilis proinde eſt auarus. 2. Pecunia cedit in ventrem auari: horrea autem, cellaria, ciſtæ & ſcrinia ſunt ventres auarorum, & tamen δεκτικὰ τῶν χρημάτων, *ergo creſcente pecunia, creſcit venter auari, vnde impoßibile eſt ventrem auari ſatiari. 3. Auaritia eſt ſicut ignis, pecunia verò tanquam ligna, creſcente ergo pecunia, creſcit auaritia, ergo ſicut ignis, quò plura ligna congeſſeris, eò magis exuſcitatur: Sic & auaritia, quantò opibus auctior, tantò cupidior. Et notum Horatij dictum eſt,*

Semper auarus eget. Item, Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Huiusmodi infinitæ rationes addi, & ex historijs confirmari haud difficulter possunt.

VERS. XI.

Multiplicatis bonis, multiplicantur qui illa comedant, & quid inde commodi est Domino, nisi aspectus oculorum ipsius:

SEcunda proprietas à cognatis siue adiunctis ipsarum diuitiarum.

Si diuitiæ nihil prosunt poßidenti, nisi hoc saltem, vt respectet quod poßideat, quo, sæpenumero propter familiæ multitudinem decrescente, grauiores animi cruciatus & angores concipit, sequitur quòd sint omnium vanißimæ.

Sed verum est consequens, ergo & antecedens.

Consequens textus est. Quantò enim maior alicuius fuerit substantia, tantò plures ministros habebit, quibus alendis plures sumptus faciat oportet. Itaq; si quid fructus ad ipsarum possessorem inde redit, in eo certè positum est, quòd domi longè plures conspicit, quibus alendis suas facultates impendat. Adhæc, vbi multæ sunt opes, multi sunt qui fraudant & rapiunt, magna igitur cura, opus habet diues ille. Et sanè si nulla familia ad eas insumendas alatur: tamen vel sola naturalis corruptibilitas, ad eas consumendas sufficit. Etenim omnes diuitiæ temporales, præterquam quòd aliorum rapacitati, prodigalitati, necessitati priuatæ expositæ, etiam aut ærugini ac rubigini sunt obnoxiæ, vt aurum & argentum aliaq; metalla, aut tineis & putredini, vt vestes, aut vredini & aurigini alijsq; pe-

stibus, vt arbores & sata, aut ruinæ & incendio, vt domus & cætera ædificia, aut deniq; putrefactioni, vt victualia. Quo fit vt nihil ἀφθαρτὸν *conseruari poßit, nisi quod reponatur in egentes fratres & sorores. Hæ enim diuitiæ solidæ sunt & diuturnæ, quæ in pauperes distribuuntur, quo fit vt deponantur in Dei sinum, tanquam perpetuum* μνημόσυνον. *Qui enim miseretur pauperi, Deo fœneratur, prouerb. 19.*

VERS. XII.

Dulcis est somnus illius qui seruit, siue parum siue multum comederit, satietas verò diuitis, non sinit ipsum dormire.

Posita comparatione, sequitur amplificatio à diuersis, quá ostendit, felicius euenire homini, seruili conditioni subiecto, quàm ei, qui liber cùm sit, auaritiæ

ritiæ tamen est seruus. Sicut igitur operarius vel famulus, quocunq; demum victu alatur, eum digerit, & placido somno refocillatur, securam quoq; vitam ducit: Sic econtrà qui pecunijs seruit, herum habet importunum, qui dormire eum non sinit, curam scilicet augendi lucri, anxietatibus plenam, quò pertinet allusio Horatij:

Congestis vndiq; saccis
Indormis inhians, & tanquam parcere sacris
Cogeris, & pictis tanquam gaudere tabellis.

Est itaq; illa non parua incommoditas auari, qui vltrà quòd animo sit inexplebilis, simul quoq; miserrimam traducit vitam, vt neq; interdiu, neq; noctu quietem habeat. Vltra enim curarum cumulum, etiam intemperiem & luxum diuitum excipit nox inquieta. Id &

Aristoteles in libro Encyclicarum quæstionum proposuit, ac Hali practices primo, vbi in ebrietate & luxu ait, non esse somno locum, ibi namq; fieri quod in lucernis contingit, in quas si præter modum infuderis oleum, restinguitur mox lumen. Ratio verò euidens est, nam ad somnum creandum, calidum adesse humorem opus est: hic enim concoqui expeditè potest, indeq; ad caput vapores surriguntur, à quibus subinde somnus inducitur. Quod si deest, exiguusq; humor aut concoctu difficilis inest, somnus non oritur. Qua de causa, post cibum somnolentissimi fieri ob calorem solemus. Econtrà verò, ex defatigatione multa, pertentamur somno, cuius etiam ratio est, quòd labor diffundit quædam in nobis, & tabescere facit, quæ vicem incocti alimenti præbent, nisi colliquamentum id frigidum sit.

Ita

Ita intestinorum calor, qui ex attritu laboreq́ exprimitur, recrementa quædam emollit, quæ ad superiorem locum redundantia, somnum inducunt. Sed Physicorum πραγματείας *hæc sunt. Verùm hoc ad rem, pulchrè in mundo sic comparatum esse, quòd licet auaris istis Euclionibus ciborum suppetat copia, eorum tamen effectorum, nequaquam sunt compotes. Crapulâ enim sese degrauantes & inebriantes, comessationibus etiam ferarum more vacantes, redundante crapula, & incocto cibo in stomachi angustijs æstuante, minimè permittitur, vt quòd quærant assequantur.*

VERS. XIII.

Est & hæc mala miseria, quam vidi sub sole, quòd diuitiæ sui possessoris damno conseruantur.

EXpolitio eiusdem rei ab incertis finibus. Nam fines propter quos diuitiæ colliguntur, sunt omnium incertissimi, hoc probat duobus modis. Nam ipsarum possessio aut domino suo ruinam affert, aut repentè è manibus domini viuentis videntisq;, sæpenumero elabitur, versu sequenti. Sed de priori disserens, præter alia incommoda, quæ hactenus recitauit, etiam addit, & aliud maximum malum se animaduertisse, nempe quòd homines passim diuitijs inhiantes, in suam ipsorum perniciem comperiuntur, tantas suas opes tam solicitè accumulasse, vt non malè dixisse videatur Aristoteles Eth. 1. cap. 3. Honesta & iusta, tantam differentiam & errorem habent, vt videantur lege tantùm, non naturâ constare: Atq; eundem errorem habent & bona ipsa, quòd multis damna ex illis accidant, quippe

nonnulli propter diuitias periêrunt &c: Sic cibi boni existimantur, nihilominus sæpè in morbos conijciunt, comedentes, domus expetuntur, quæ sua ruinâ interdum conficiunt habitantes, emuntur gladij, quibus postea interficiuntur emptores, elementa ipsa, sol, luna, & sydera frequenter nocent. Lucretiæ castitas ei fuit exitio, Virginiæ, forma, Decijs, amor patriæ, Regulo fides, Tullio eloquentia, Socrati & Aristidi, virtus & innocentia. Sic diuitiæ multis quoq; fuerunt damnosæ, vel quòd non rarò diuitibus tenduntur insidiæ ac calumniæ, vt pereant. Exemplo sunt in Poëtis Sichæus & Polydorus, in sacris Naboth, ac in historijs infiniti. Quod idem sæpenumero accidisse etiam ijs constat, qui nimio studio parare satagunt diuitias, vti mercatoribus, qui pericula subeunt incredibilia, illarum

causâ

causâ. Sic Crassus, vt magis ditesceret, bellum mouit in Parthos, à quibus miserè vnà cum filio est occisus. Ac sanè non exiguum eorum esse numerum scimus, imprimis Regum ac principum, qui dum paternæ successioni, pauculos menses dilationem ferre non poterant, parentes sustulerint. Perquàm multos quoq; nouimus inuentos pygmaliones, innumerabiles quoq; polymnestoras. Ac tabulæ tum Syllanæ, tum etiam triumuirales, nullum profectò existit immanitatis genus, quòd non sint aut complexæ, aut etiam prætergressæ, siue ob cupiditatem, siue ob iræ ac vindictæ sitientissimarum rabiem, siue etiam ingrassationis voluptatem, excarnificandiq; oblectamentum atq; gestientium ingluuiem.

VERS. XIIII.

Pereunt

Pereunt ſiquidem aut occupatione mala, ita vt quem genuit filium, non habeat in manu ſua quicquam.

Altera pars expolitionis de inſtabilitate diuitiarum, quæ non tam malo quopiam caſu, ſiue ipſiusmet domini, ſiue aliorum culpâ, facilè amittantur, quàm nonnunq̃ vires eorum ſtabiliant, qui peſsimè erga nos ſunt affecti. Sic Henricus IV. pius & bonus imperator, ſed aliquantulum ad nummos attentior, qui à filio Henrico V. ſuprà quàm dici aut ſcribi poſsit, afflictus & impetitus, poſtquam patrem omnibus copijs exuiſſet filius, SPIRAM properauit, vbi magni erant theſauri patris reconditi, quibus filius potitus, omnia vbiq́ ſine labore ſibi ſubijcit, copias ſuas auget, & patrem ſenem perſequitur, donec ex animi mœrore, miſer pater mortem ſibi maturaret, & in illis ipſis turbis ac fu-

ga expiraret. Similis historia narratur de Alboïno & Longino hostibus. Quorum Alboïnus, quopiam in conuiuio liberalius potus, coëgit suam vxorem Rosimundam, bibere ex sui patris cranio, quod ornatum erat auro. Nam Alboïnus socerum suum occiderat, quibusdam ex causis. Rosimunda autem vxor, anteà parum æqua marito, propter patris mortem, fit longè inimicitiore animo in eum, postquam coacta est bibere ex nefando poculo. Quare exasperata mulier cogitat, quomodo interfici possit maritus, inuenit viam, premit propositum, occiditur Alboïnus à iuuene, cum quo Rosimunda adulterium commiserat, germani funus procurant, adulterum, quem voluit adultera Regem, recusant. Ipsa interim cum magna vi pecuniarum & ingenti thesauro, confugit ad hostem Longinum, cui cùm propter formam &

pecuniam placuisset, complexus est eam, reginamq́; futuram pollicebatur, si sustulisset veneno iuuenem, cum quo consueuerat rem habere, cuiusq́; opera interfecerat maritum Alboïnum. Mulier ad quoduis facinus audax, consentit Longino, & cum egrederetur iuuenis ex balneo, & ex consuetudine peteret poculum, exhibuit venenum in potu, bibit, rapitur statim per calefactum corpus balneo, veneni vis, sentitq́; mox mortem bibisse. Accipit extemplo quod reliquum erat in calice, nam non ebiberat totum, & per vim infundit scorto Rosimundæ, sicq́; iusto iudicio diuino, ambo periêre, perueniuntq́; ad Longinum hostem, thesauri, sine eius studio & cura. Ita vt quem genuit filium. Exaggerat superius malum ab alio incommodo. Quòd subindè eueniat, vt nec congregans diuitias, nec filij eius, earum potiantur.

antur. Hoc iusto Dei iudicio fit. Primò quia contra iura diuina filijs tuis diuitias congregas. Huiusmodi igitur diuitiæ, contra te & hæredem tuum clamant. Habac: 2. Secundò quòd nostro studio filios ditare conemur, non curantes Deum verum patrem, nec ei confidentes. Iustè igitur conatus nostros irritos facit, vt discamus Deum præ oculis habere. Ac tertiò, quia nihil conferunt in egentes fratres ac sorores. Sed quid fit, vt opulentiores ferè acerbè ferant, aliquid è suis facultatibus redire vel ad pios doctores vel alios indigentes? Resp. Deus non dignas putat opes & magnas facultates, impiorum diuitum, vt in pios doctores, scholasticos & alios inopes, aliquid beneficij conferant, sed efficit vt liberi & posteri eorum, per luxum & prodigalitatem, illas profundant ac scelerat è dilapident &c.

VERS.

VERS. XV.

Ipse verò vt exiit é matris vtero, nudus reuertitur, vt abeat sicut venerat, nec reportet quicquam ex labore suo, quod asportet manu sua.

ALia amplificatio ab adiunctis hominis, & miserijs huius vitæ. Nam etsi auarus sub prætextu filiorum se excuset, monet nihilominus, vt nascentis sibi filioli manum inspiciat. Et cùm inuenerit illum sine pecunijs, de ventre matris, in hunc mundum venisse, rursus inspiciat morientis manum. Etenim inueniet eum, quòd sicut nudus & inanis pecuniarum, venit è matris vtero: ita & pauperem, subire sinum telluris ex hac vita commigrantem. Ab hoc igitur teterrimo vitio, maximè nos dehortari debet primùm, ortus noster ex aluo materno, vnde & Iob in-

quit, nudi egreßi sumus. Deinde finis vitæ, ex qua nudi etiam decedimus, nihil inde auferentes, nisi vt saturemur terra & puluere, & in terram conuertamur, vt rectè dici solet:

Natus humo, nutritur humo, per humumq́ mouetur,
Inq́ reuersus humum, carne resurget humo.

Nota est historia, quam recitat Baptista Campofulgosus, Dux Genuensis, lib. 7. his verbis: Saladinus Asiæ, Syriæ atq́ Ægypti Rex, non minùs sapere se in morte declarauit, quàm antè rebus gerendis viuens fecisset. Iußit enim vt interior lineus amictus, quo indui solebat, hastæ prælongæ impositus, per castra portaretur, & is, qui eum ferebat, magna voce omnibus diceret: Saladinum Asiæ domitorem, ex tantis opibus quas pepererat, vnum hunc lineum ami-

um amictum, secum in morte deferre. Sapienter enim, etsi serò humanæ miseriæ commonitus, eo modo alios quoq; monere volebat.

VERS. XVI.

Quin & hoc malum graue est, quod prorsus vt venit, sic discedit. Quid igitur ei superest, ex eo quod in vanum laborauit?

VERS. XVII.

Etiam cunctis diebus suis in tenebris comedet, & indignatio & ægritudo multa, & furor erit ipsi.

COrollarium ex ijs incommodis, quæ hactenus recitauit de auaritia: Si itaque neq; auarus ipse, neque illius filius, quem hæredem sibi instituit, neq; hominum prorsus aliquis,

potest secum moriens, efferre sensibilium facultatum quicquam, nonne infelicis animæ morbus est auaritia? Quid ergo laboras in vanum, cùm sint diuitiæ prorsus instabiles, & aquatilis bullæ, cùm detumescit persimiles? Sed & ipsa auaritia in tenebris elanguescit, hoc est ignorantia & luctu. Auarus enim neq; suiipsius miseretur, cùm parcè ac tanquam vix congestis vtatur, sed etiam tristi insuper iracundia stimulatur, & leui occasione in contentionem surgit & excandescit, nimia graui ægritudine occupatus. Hæc igitur incommoda, auarum in hac vita circumueniunt, post quæ, defunctum vita, etiam tenebræ inferni suscipient, repulsum à conspectu Dei, iustâ illius irâ seuerißimè puniendum.

VERS. XVIII.

Ecce

Ecce igitur quod vidi ego bonum & pulchrum esse, comedere & bibere, & videre bonum ex omni labore suo, quo laborauit sub sole, numero dierum vitæ suæ, quos ei dedit Deus. Nam hæc est eius portio.

PRopositio iudicij Salomonis de vsu istius boni, expensa (sicut aliorum superiorum) vanitate. Itaq; quod iam toties dixi, rursum repeto, nempe non alium ex huius mundi rebus fructum quærendum, quàm vt quisq; facultatibus honesto labore partis, quamdiu diuinitus ipsi conceditur, huius vitæ vsura, ad ipsam fouendam, cum gratiarum actione vtatur, omnia à Deo per fidem expectans, & si Deus velit easdem amittendas constanter hoc ferat, sicut Abraham Deo reddebat filium. Hic versus & sequens, scopus est totius libri, qui non propterea tam crebro inculcatur,

quasi recitetur in fauorem eorum, qui optimam vitam ducunt, vacare delitijs & voluptatibus. Hæc enim non docentur in schola Christi sed Epicuri. Cùm autem duo hæc, labor & crux, grauia per se sint, at multò grauiora immo duplo efficiuntur, cùm accesserit animi tristicia, quæ omnium maximè oritur ex cura & solicitudine nimia. Hanc itaq; auferre crebrò conatur, vt leuiora fiant crux & labor. Cogitemus igitur de his Sotaci legibus: dolor & tristicia, procul à te erit, si recta sectatus fueris. Lex Deus est, hunc venerare, improbos euita, vbicunq; benè vixeris ibi ages, beneq; tibi erit, omnia obserua, imitareq; bona præcepta, sermonesq; bonos custodi, quietem vbiq; serua, bonam valetudinem Deos exposce.

VERS. XIX.

Est etiam quod cuipiam dedit Deus diuitias, & opes, & cui dominium concessit vt ex illis comedat, & sumat portionem suam, & lætetur labore suo, hoc est Dei donum.

Commonitio de causa efficiente tranquillæ vitæ, quâ sicut alijs labore suo partis, diutiùs homo gaudere, ac tranquillè vti possit, non aliunde quàm ex mera Dei bonitate proficiscitur, ac proinde donum esse istud, tum ab eo expostulandum, tum ad ipsius gloriam sanctè referendum. Hæc cōmonefactio imprimis est necessaria, ex qua perspicitur, eos saltem beatè viuere, quibus Deus non solùm largitur diuitias & potentiam, sed vt & his iucundè, ac sine perturbatione perfrui diutius possint, sua indulgentia permittit. Qui igitur Dei donis in vera fide non vtuntur, nec in Dei bonitatem recumbunt, sed donis confidunt,

non respicientes ad datorem Deum, nunquam ijs vt par est, vti possunt. Id quod multa exempla verum esse, euidentißimè demonstrant. Conradus imperator, qui anno Christi 1040. *regnauit, omnibus in imperio succedentibus ex voto, ac sine vllo labore, cùm iam hostes imperij domuisset, vicisset ac profligasset, nihil videns periculi, laboris aut magni nogocij, dixit, iam quietam degam vitam, iamq́ ocioso licebit in amœnis oblectari hortis, ac venationibus &c. Ecce quòd fortè (referente Salomone) diuinitus hoc non permitteretur, vel quòd solet plerumq́ illis hominibus euenire, qui iam sibi exhaustos labores omnes putent, ocioq́ frui incipiant, corripitur à letali morbo, quem paucis diebus, ipsa consequitur mors. Non dißimilia de alijs multis recitari possent, ac tota vita plena est exemplorum in omnibus statibus.*

tibus. Sciamus itaq; singulare Dei beneficium esse, si non tam dona habeamus, quàm etiam vsum, immo donorum fructum. Sed huiusmodi acquiruntur, cùm Deus qui summum bonum est possidetur. Deus autem per solum Christum, vel fidem in Christum acquiritur. Hoc igitur optimum bonum est, omnibusq; alijs præstat.

VERS. XX.

Nec enim multum recordatur vitæ suæ, quia Deus respondet ei in lætitia cordis sui.

E*Piphonema. O felicem & beatum illum, quem Deus exaudiens, hac animi tranquillitate donat. Talis enim neq; desiderijs prauis seruit, neq; mœroribus tabescit, sed bono in omnes est animo, & in munere diuino exultat, ac omnem deniq; vitam suam, bonis operibus exornat.*

CAPITIS SEXTI
ΠΕΡΙΟΧΗ.

VT animi nostri tandem statuant, non esse nimium caducis huius vitæ bonis fidendum, persistit adhuc in recensendis malis, quæ comitantur diuitias, si plus æquo diligantur. Hæc autem mala demonstrat tum ex eo, quòd non semper penes eundem dominum permaneant: Sed huc illuc commeant, tum etiam quòd neq́ dominum suum, neq́ se à vanitate vindicent.

VERS. I.

Est & aliud malum quod animaduerti sub sole, idq́ maximum super homines.

Προκατασκευὴ *ex superioribus, ad institutam disputationem de auaritia, quæ tali syllogismo concludi potest:*

Si rerum

Si rerum κτῆσις, id est possessio ad vitam necessariarum, non homini, cuius causa omnia sunt creata, sed Deo creanti conuenit: qui homini hactenus prospexit, vt victus inquirendi labore subleuatus, omne suum studium, ad pietatis ac virtutis vsum conferret, per quod, finem suum, beatitudinem scilicet practicam, & per consequens theoricam assequeretur, sequitur quòd qui intermissis virtutum, ac pietatis nobilissimis exercitijs, dum suprà quàm fas sit, sibi prospicere velint, omnium sint miserrimi & vanissimi.

At χρῆσις non hominis, sed nutus diuini est (id enim hactenus docuit.)

Miserrimi ergo ac vanissimi sunt auari. Sequela propositionis euidens est. Etenim si quis vel diuino vel humano

benefi-

beneficio, necessarijs omnibus abundat, quantò plura præter meritum suum consecutus est. Quantoq; propiùs ad αὐτάρκειαρ, solis pijs ex Dei instituto debitam accedit, tanto quoq; in excercenda pietate, & contemplanda veritate, plus studij ponere debet, vt ocium quod à seruili labore habet, conuertat in negocium pio homine dignum, neq; eo ad expilandum & fraudandum aliorum facultates, abutatur. Quod omninò committunt auari. Ergo sunt iniurij in numen cœleste, & per consequens vanißimi ac miserrimi. Hanc sequelam sequentibus rationibus probat.

VERS. II.

Viro cui dederit Deus ipse diuitias, facultatesq; & honorem, & cuius animus non destituatur vlla re qua delectetur, cùm huic non facit Deus ipse copiam fruendi

fruendi illa, sed vir alienus fruitur illa, hoc vanitatem & ægritudinem pessimam esse.

PRima ratio consecutionis, tali syllogismo connexo inclusa.

Si finis propter quem homines redduntur auari, dubius, incertus ac inconstans est, sequitur quòd destinata ad eum finem talia sint.

At quietis ac voluptatis causâ, homines redduntur auari, quoniam non tantùm viuere, sed bene ac diu viuere cupiunt. Benè autem ac diu viuere in sola voluptate consistere putant, voluptatis autem conciliatrices & veluti proxenetas esse vident diuitias.

Ergo homines insatiabiles, ἄσωτοι *ac prodigi, vel consumptis facultatibus, vel nimium earum cupidi, quietis, luxus & luxuriæ causâ in auaritiam, tanquam prodigalitatis & intemperantiæ suæ*

nutri-

nutticem delabentes, miseri sunt ac vani. Consecutio ac dependentia ex distributione inhiantium in opes elucescit. Etenim omnes historiæ, immo totus mundus plenus est exemplorum. Alij enim diuitijs abundant, sed non assequuntur fructum, id est, non audent eas ipsi attingere, multò minus vel tantillum alijs miseris elargiri. Sed sunt instar canis istius Æsopici, qui in præsepi feno incubans, licet eo non vesceretur, tamen eius vsum boui permittere nolebat, sed tantùm ociosè inspectabat. Alij diuitias acquisiuerūt, sed deest ipsis sanitas, vt non poßint vti rebus. Arnulphus imperator Germaniæ, eo tempore quo imperij administrationem accepit, non satis ad imperij dignitatem tuendam diues fuit, sed ecce mortis tempore, quo pollebat potentiâ & opibus, infirmitatibus præternaturalibus, toto ferè corpore consumpto,

sumpto, non tam vsu opum priuatur, quàm magni doloris morte excedit ex hoc seculo. CHRISTIANVS. III. horum regnorum pientißimus & potentißimus Rex, quamdiu vixit corporis inualitudine? ex historia & relatione de optimo Principe etiamnum viuentium, non est obscurum. Non igitur malè, qui Epigramma in Apollinis Deliaci propylæo inscripserat, illud inseruit λῷστον ὑγιαίνειν, optimum est sanum esse. Et sanè vt suadet noster Satyricus, orandum est, vt sit mens sana in corpore sano. Alij præterea diuitiarum & honorum satis habentes domi, sed eas relinquentes, laboribus & periculis plura expetunt, vt sunt multi principes, nobiles & mercatores. Rudolphus Sueuiæ Dux, non contentus ducis titulo, imperium Germaniæ inuadit, & paulò pertinaciùs pugnanti contra Henri-

tra Henricum IV. amputatur ipsi manus dextera, ac paulò post, ex eo vulnere moritur, tam imperium quàm vitam amittens. Simile de Henrico Saxoniæ duce, rebellante in optimum imperatorem, Fridericum Barbarossam recitatur &c: Sed alij deniq; magnis laboribus & periculis, diuitias ac honores acquirunt, verùm cùm his vti incœperint, vitæ terminum claudunt. Quot demonstrationes huius rei in medium proferre possumus? Verè igitur vanitas & magna miseria est, rebus tam incertis tantos labores impendere.

VERS. III.

Si quis genuerit centum liberos, & annos multos vixerit, multiplicatiq; fuerint dies annorum eius, cuius tamen anima bonis illis non fuerit saturata: atq; adeo, cui sepultura defuerit, dico potiorem eo esse abortiuum.

Secunda

Secunda ratio à defectu diuitiarum. Si diuitiæ aliquem bearent, stabiles ac perennes esse deberent, sed non sunt tales, sed sæpenumero ita euanescunt, vt non tam deficiant in prole, sed etiam ad extremum possessor propter easdem, non tam bonis omnibus exuatur, quàm infamis reddatur, & tandem insepultus abijciatur. Quocirca & huius conditio longè deterior censetur, quàm abortiui cuiusspiam sors esse statuatur. Ratio propositionis verissima est. Vsui necessario inseruiunt diuitiæ, vel præsenti vel futuro. Præsenti rursus, vel suo vel alieno. Suo, cùm natura paucis indigeat, victum & vestitum habens, cum Crœso de felicitate certare poterit. Alieno autem, vel liberorum vel amicorum. Liberis patrem de alimentis prospicere debere, donec ad eam perueniant ætatem, vt institutionis paternæ præsidio,

ipsi sibimetipsis ea comparare queant, natura argumento brutorum docet, & lex illa Solonis confirmat, filium ab alendo patre sene liberans, si nullam honestam artem, ab illo edoctus esset. At vbi iam adoleuerunt, non magis à patre alimenta petere debent, quàm bruta lac à suis matribus. Amicorum quinetiam vsui diuitiæ inseruire debent, siue, illi, priuato, siue publico nexu nobis sint deuincti, eoq; rursus vel profano vel religioso, vt ferè pauperes. Et beatiùs certè est dare, quàm accipere, & quò quis plura habet, eò plura dare ex præscripto diuino tenetur. Iam verò in futuram quoq; necessitatem, diuitiæ comparari possunt atq; debent, vel suam, vel suorum: Vtrumq; sanè ea moderatione, vt ne solicitus in crastinum fuisse

videaris. Prouidentiam non prohibet Christus, sed curam & solicitudinem. Illa moderata est & mortalitatis suæ, suorumque memor, dum de victu cogitat, pietatis interim & virtutis studia minimè negligit. Hæc verò immoderata est, & mortalitatis immemor, quò minus viæ superest, tantò plus quærit viatici, virtutem deniq; & pietatem post nummos ponit. Ergo sic victus curam habeat paterfamilias, vt quotidianum illum & diurnum, non æternum fore sciat, in vsum incertum, tum suum, tum suorum, aliorumué ex æquo scilicet mortalium, eique sic studeat, vt animi interim exercitia minimè negligat. Quod si easdem ipsas opes, alijs quoque relinquere volet, seu filijs, seu amicis, necessitatis quidem ergò licebit, si adhuc dum pueri sint vt liberaliter educentur:

Si paupertate preßi, vti ſuſtententur: licebit quinetiam honoris & amoris quædam monumenta legare, ſed exilia illa, veluti dona. Grandes verò opes, vel filÿs adultis, vel amicis relinquere, ſi quidem probi ſint, ſuperuacaneum eſt, (cùm ipſi ſibÿpſis de alimentis proſpicere queant atq; debeant, propter eam quæ de pane in ſudore vultus ſui comparando, prolata eſt communis mulctæ formulam) ſin improbi etiam impium, cum etiam ÿs, non niſi ad ſuam aliorumq́ue perniciem ſint abuſuri. Hoc præceptum qui violant, magnum argumentum, certiſsimumq; indicium extremæ ærumnoſitatis proferunt, vt ſi quis (inquit Eccleſiaſtes) plurimorum filiorum pater, longoq; tempore incolumis vixerit, idq; totum conſumpſit in augendis liberis, adeo vt animam pietate & virtute impinguare neglexerit, immo nec mortis

quidem

quidem memoriam degustandam admiserit. Huius ego nec prolis numerositatem, nec annositatem mihi æmulando optarim, immo meliorem aio conditionem intempestiui fœtus, qui abortientis matris vtero elapsus est. Nam hic vel statim natus moritur, vel in vtero suffocatur, id est, minoris miseriæ est, quàm ille qui diu cruciatur in hac vita, ac præterea in futura, æternos sustinebit cruciatus. Perspicuè adhuc docet hic versus, quomodo se gerere debeant parentes, dum numerosam sobolem suscipiunt, educant & prouehere velint. Non vult vt prorsus parentes sint ἄστοργοι, sed vt perpetuò vitæ finem, in conspectu habeant, & tam se quàm liberos perpetuò commendent Deo. Quare si alicui, vel honestis rationibus per Dei benedictionem partæ (vt Abrahamo & Iacobo) vel legitimæ relictæ adsint di-

uitiæ (ipsas abijcere prodigi & stulti, non exercere verò sordidi esset & impij) respectu quidem suipsius, oraculare illud teneat: affluentibus diuitijs, nolite cor apponere: respectu verò aliorum, cùm nunquam desint pauperes & alienæ opis indigi, fontes opulentiæ suæ diuinitus conciliatæ reserare, & per Mammona iniquum, amicos iustos sibi comparare, fluxisq́; diuitijs thesauros æternitatis fœnerari meminerit: vt quantum ocij à seruili inquisitione victus, concessum sibi videt, illud omne in verè ingenua & liberalia virtutis exercitia conferat. Quotquot verò quacunq́; tandem de causa, nec partas nec relictas habeant opes, confidant interim, neq́; naturam matrem, neq́; Deum patrem sibi defuturum, cùm, qui, nobilissimo syderum & influxu vegetentur, & cõspectu fruantur, locum sibi quoq́; tanq̃
Dei in

Dei, in terræ vicarijs, aliquem, in quo & viuere & bene viuere queant, reliquum fore certò persuadeant.

VERS. IIII.

Nam in uanum venerit & in tenebras abierit, & tenebris nomen eius opertum fuerit,

VERS. V.

Quinetiam quòd solem non viderit, neq; cognouerit, quies isti præ illo.

CONfirmatio iudicij, quod modo dictum est per comparationē status, in quo vterq; versatur. Vt enim abortiuus vanè aduenit, ita & absq; omni satietate & fructu, clanculo abit, neq; mali quippiam sole non aspecto attinget. Quare & eius sors leuior, quàm longæui illius. Primò quia frustrà in hoc mundo viuit, cùm enim habeat diuitias, gloriam,

filios, longam vitam, non tamen eis fruitur. Secundò, quia pergit ad tenebras, & in tenebris abit, dum nec se, nec suam conditionem, nec finem considerat. Tertiò, obliuione delebitur nomen eius, nihil enim dignum gerit, neq; memorabile, ne quidem apud familiam suam, nisi quod dicitur de eo: Neq; sibi, nec alijs viuit. Quartò, non videt solem, non cogitat quàm bona res lux sit, vt ea fruatur & bene vtatur, perit enim apud illum, omnis consideratio beneficiorum & creaturarum Dei. Nil cogitat, nihil miratur aut suspicit, nisi pecuniam. Quintò, non habet discretionem boni & mali. Malum dicit bonum, & bonum malum.

VERS. VI.

Quod si vixerit annis bis mille, & bonum non viderit, nonne ad locum vnum omnes pergunt?

Ab in-

AB inutili. Etiamsi ad copias filiorum, congestasq; diuitias, hoc quoq; auaro, singulari Dei munere accedat, vt mille annorum spatio sit in vita, non tendat autem ad verum bonum, hoc est, vt secundum virtutem laudabiliter viuat, quid huiusmodi omnia proderint? Etenim in eundem tandem pariter pergit locum, in quem abortiui pergunt, & qui acerba morte intercepti rapiuntur è vita. Terra enim est hic quoq;, & in terram abit. Perspicuum igitur est ex his sic disputatis, quanti momenti hæc res sit, & quàm magnos fructus pariat, si rectè & non præpostero ordine fiat, maiorem diligentiam patremfamilias adhibere debere, magisq; id requiri ab ipsius disciplina ac diligentia, vt in hominibus educandis aßiduus sit, quàm in rebus expertibus animi quærendis, & magis in virtute perfectio-

neq; tam sua & liberorum laborare, quàm in copia patrimonij, quod diuitias vocamus. Interim autem, si longæuitas concedatur & flagitiosè, neq; ad normam præscripti diuini exigatur, præterquam quod huiusmodi indigna sit, sole iusticiæ & libro vitæ, etiam totum illud quod hic exigit, cum vanitatum ac miseriarum tela coniunctum experietur. Etenim in hac vita, nulla inueniuntur bona quæ non sint admixta vanitati & malis. Quod elegans Cratis Cynici testatur Epigramma, quod vt coronis sit huius meditationis latinè ascribam. Quod vitæ genus exposces? fora turbida sectans. Iurgia difficilesq; ipse sequeris opes. Multa domi anxietas, ruri dolor, horror in alto mari. Inq; bonis dubium, si quid habebis erit. Si pendes animo, durum: Si duxeris vxorem, ibis solicitus, tristis sine coniugio, pœna patri,

patri, dolor est orbis, vesana iuuentus desipit, & membris fracta senecta venit. Ergo exoptandum est aut nunquam in lucem fuisse. Ocyus aut tolli de medio gentium. Sed vltimum, sententiæ Salomonis suprà explicatæ aduersatur, quâ dixit præstare vel in miseria esse, quàm nihil esse.

VERS. VII.

Vniuersus labor hominis est propter os suum, & tamen eius anima non expletur.

CVm copiosè disseruisset de his, ex quibus mortales cuncti, sine discrimine se beatos esse iudicant, singulis ordine ac suo loco refutatis, suaq; vanitate ac instabilitate è diuerso demonstrata, nunc tandem concludit sermonem, de bonorum fortuitorum vanitate.

Est autem hæc ipsius propositio, vel potius ἀνακεφαλαίωσις eorum, quæ tribus ferè capitibus disputauit. Bona hæc quæ dicuntur fortuita, non tantùm instabilia sunt, vt hactenus demonstrauimus, sed etiam infirma, adeoq́; vt nunquam animum humanum expleant. Huius propositionis τὸ διότι id est, causa afferri potest. Hominum enim mentes, vt in accumulandis opibus, tantopere desudent, peruertit cupiditas & amor immodicus, vitæ scilicet, cùm viuere potiùs, quàm rectè ac piè viuere desiderent. Sic ferè auari homines opes accumulant, neq́; ijs tamen frui audent, semper ne quid deficiat metuentes, adeoq́; senes, quò minus viæ superest, tantò plus quærunt viatici. Ratio talis.

Quæcunq́; ad vitæ sustentationem faciunt, homines immodicè appetunt, hoc demonstrat:

Qui vitæ

Qui vitæ desiderio immodicè tenetur, etiam ea quæ ad vitam faciunt, supra modum appetit.

At pleriq; homines vitæ desiderio tenentur immodicè. Immo verò omnes homines, perpetuò viuere desiderant, & immortalitatem consequi, etsi ignorent quænam sit vera vita, & quomodo comparetur.

Ergo etiam ea quæ ad vitam faciunt, immodicè appetunt, etsi ignorent quænam sint.

At πλοῦτος & pecunia ad vitæ sustentationem facere videtur, non quidem immediatè, sed mediatè, cùm sit veluti conciliator in præsens, rerum necessariarum, & sponsor etiam in futurum, vti lib. 5. Eth. cap. 8. docet Aristoteles.

Ergo πλοῦτον pleriq; homines immodicè appetunt & infinitè.

Quicquid

Quicquid igitur causa est vt immodicè laboremus, illud non tam est vanum quàm impium.

Sed auaritia talis est. Ergo &c. Auarus enim non ex necesʃitate, ʃed ex cupiditate laborat, non pro inʃufficientia, ʃed pro affluentia. Iam autem cupiditas inʃatiabilis: At vitæ finita certa & circumʃcripta ratio. Fatigent ʃe ergo mortales quamdiu & quantumcunq́ volent, in curandis huius mundi negocijs. At totius illius fructus hic ʃaltem est, vt ipʃis ʃuppetat huius vitæ alimonium, nec longiùs protrahi poteʃt omnis ipʃorum labor, anguʃtis huius vitæ finibus circumʃcriptus. Sed quæ cauʃa eʃt tantarum cupiditatum? Reʃpond. Animus, non expletur. Licet autem auarus ad indulgentiam plurimos labores inʃumat, nihil tamen eorum quæ gulæ gratificantur, ipʃius animæ parit ʃaturitatem,

ritatem, ſed inanis penitus ac ieiuna perſiſtit, cùm ſibi conueniens alimentum, verbi ſcilicet, ac virtutum, ex inertia humana non accipiat.

VERS. VIII.

Nam quid amplius eſt ſapienti, quàm ſtolido ipſi? quid ad pauperem fruens, dum ambulat coram viuentibus?

Confirmatio propoſitionis ſuperioris, à ſimilibus effectis in diuerſis ſtatibus. Siue enim reſpiciamus ſapientes, ſtolidos, pauperes, abundantes, hac edendi & bibendi neceßitate, per mortem defunctos, ſimilem deprehendes huius vitæ alimentorum naturam ipſam, nullumque diſcrimen inter eos, qui ærumnoſæ vel ſplendidè vixerunt. Nam ſicut vna fuit ipſis communis vita, ex ÿs quæ vſu ipſo conſumuntur: ita & mors omnes illos exæquauit. Huc

facit insigne Augustini dictum, de gratia & natura: Si de diuitijs inquit & honoribus, & morum nobilitate, te iactas, de patria & pulchritudine, corpore & honoribus, qui tibi ab hominibus exhibentur, respice teipsum, quia mortalis terra es, & in terram ibis. Circumspice qui similibus fluxere splendoribus. Vbi sunt qui currum ambiebant potestatis? Vbi insuperabiles imperatores? Vbi sunt qui conuentus disponebant & festa, & equorum splendidi nutritores? Vbi nunc vestes & ornamenta peregrina? Vbi seruorum turba? vbi iocus & lætitia? vbi excercituum duces? vbi satrapæ & tyranni? nonne puluis & fauilla omnia? nonne in paucis versibus eorum vitæ patet memoria? respice eorum sepulchra, & vide qui seruus, & qui dominus, qui diues, qui pauper? Discerne

si potes

ſi potes, ſeruum à Rege? fortem à debili, pulchrum à deformi? Vide ſi eſt in eo ſignum iactantiæ. Memorare itaq; naturæ, ne extollaris. Hinc eſt quod olim in diuitum epulis apud Ægyptios, alqiuis cadauer ligneum, ſed quàm proximè ad verum, effictum, oſtendit ſingulis dicens: In hunc intuens pota & oblecta te, talis poſt mortem futurus.

VERS. IX.

Melior eſt (inquies) inſpectio oculorum, quàm curſus deſiderii, etiam hoc vanitas eſt, & afflictio ſpiritus.

Πρόληψις *animalis hominis & ſubiectio Salomonis, quæ poſtea ſequentibus verſibus confirmatur. At præſtat nitente & hilari eſſe vultu præditum, quàm pallida & moribunda facie, quorum illud conuenit ijs, qui commodè vi-*

uunt, istud verò miseris ac famelicis tantùm accidit? Subiectio & concessio: Fateor ita se rem habere, sed inde tamen nihil accedit commodi, sed magna potiùs in istis inest vanitas, & inanis occupatio, quâ, inæquabilitas illa, facilè cōpensetur varijs miserijs. Irritant quidem oculos ferculorum spectacula, sed cùm inane sit hoc viuendi studium, perniciosæ illecebræ animum in steriles occupationes trahunt, ex quibus sequuntur infinita incommoda: Philippus Germaniæ imperator, vir in armis strenuus, ac optimus sanè imperator, aliqua ex parte ex turbis negociorum & bellorum extricatus, statuit genio indulgere, per aliquot saltem dies, & curare corpus, cùm ergo esset Bambergæ, liberaliùs pransus, à prandio in cubiculum secessit cum cancellario & dapifero suo, cumq; corpus quieti dedisset, Ottho de Vuitlispach,

pach, comes palatinus, qui odium gerebat in Regem, feſtinanter, ceu rem magnam nunciaturus, accedit ianuam cubiculi, in quo Rex dormiebat, grauiùſq́; pulſat, agnitus ab ijs qui intus erant cum Rege, intromittitur, gladium celerrimè educit, & in collum vibrat, abſcindens iugulares aliquot venas, vulnuſq́; infligens optimo imperatori letale. Sic Philippus cùm iam primum inciperet curare corpus, gladio perijt in cubiculo palatij ſui, quo tempore minus hoſtium habuit, quàm vnquam antea, quiq́; in prælijs toties ſeruatus fuerit. Quid obſecro vel πολυφαγία vel πολυποσία, aut quid Vlyßis edacitas ac læmargia, luxuriæq́; efferueſcentis æſtus, vtilitatis & nitoris, putrefactis ante multa ſecula, ac in cinerem reſolutis ipſis corporibus adiecit? Combletam Lydorum Regem, ſcribit Xanthus, in id vorandi

studium euectum, vt nocte quadam vxorem quoq; absumpserit, quumq; summo mane, illius manum in ore comperisset, semet iugulasse. Hoc quanquam hyperbolicum existit, huiusmodi tamen recitãtur de ijs, quibus animam scias pro sale datam, quorumq; vita pro sagina fuit, cuiusmodi delicatioris vitæ amatores ac conturbatores hoc referũt, vt non tam in historijs incessantur, quàm in carcere Plutonis flãmas absorbeant inextinguibiles.

VERS. X.

Nam eius qui extitit iam editum est nomen, & nomen est quòd fuerit homo, nec potest disceptare cum eo, qui potentior est ipso.

Confirmatio est subiectionis, in qua grauissimè, refutat istam malam rerum æstimationem. Cùm omnium hominum, vnus ac similis sit ortus, similisq; discessus, respectu mortis naturalis, media tamen

dia tamen viuendi longè sint dißimilia, sunt permulti qui inconsultiùs quærunt. Quare hunc Deus pauperem oppreßit hominem? huic verò contrà magnas opes diffudit? cur hunc venustum esse voluit, hunc deformem? Item non imputandum homini quòd peccet, cùm non poßit vitare quin peccet? quòd Deus præuiderit hoc ab æterno? & quæ sunt huiusmodi curiosæ nugationes. Quas vt è medio tollat Salomon, ait omnium rerum quæ factæ sunt rationes, cur ita factæ sint, repositas esse apud authorem Deum, qui tantæ est sapientiæ, vt non solùm sciret eas esse futuras, antequam fierent, sed earum quoq; nomina recondita haberet, in præscientiæ suæ consilijs. Si quid enim Deus in generationem produxit, huius & rationem & nomen comprehensum habuit apud seipsum: Cùm itaque

multò antè præsciret, quæ cuiq; homini vtilia essent futura, ita deniq; vnumquemq; produxit in vitam, cùm inquam præsciret omnes hominis conditiones, nempe quòd mutabilis, quòd mortalis, quòd imbecillis deniq; erat futurus. Nullus itaq; hominum ausit efferre verba contra illum, qui nouit omnia antequam fiant, & conuenienti loco singula statuit, iuxta sibi vni cognitas rationes. Non enim poterit quisquam contendere in iudicio, cum fortißimo omnium: vincet enim proculdubio fortis, iuxta quod Dauid canit in psalmo: vt iustificeris in sermonibus tuis. Sed iam verba simpliciter excutiemus: Eius qui extitit iam editum est eius nomen. *id est, quicunq; futurus est, vel fuit homo, antequam sit in natura: iam agnitus est in præscientia Dei, qualis est futurus in præsenti vita, & quid habiturus in futura.*

Et nomen

Et nomen eſt quod fuerit homo. *id eſt, quòd rationem habeat & libertatem arbitrij, potens eligere quod voluerit, bonum ſcilicet & malum, quò ad res medias attinet. Deus enim ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui. Non igitur poteſt imputare præſcientiæ Dei peccata ſua. Etenim Deus res præſcit, quatenus futuræ ſint, nullam autem eis inducens neceſsitatem.* Nec poteſt diſceptare. *ſcilicet contra Deum in iudicio contendere, aſsignando ei vel præſcientiæ ſuæ peccatum, ſed non ſequitur:*

Si Deus præuidet hoc vel illud, nec poteſt falli eius præſcientia. Neceſſarium eſt ergo hoc ſic fore, quomodo præuiſum eſt.

Reſpond: Eſt fallacia τοῦ ἑπομένου. *Non enim ſequitur hoc* ἐκ τοῦ ἡγουμένου. *Præuiſio enim Dei non coaptatur re-*

bus. Res enim mutabiles ſunt, & præuiſio immutabilis.

VERS. XI.

Sanè res multæ multiplicant vanitatem, & quid ſupereſt homini,

SEcunda βεβαίωσις *, à natura rerum quæ comparantur, quarum plurimæ vanæ ſunt, & poſſeſſori ſuo vanitatem adyciunt, ſæpeq́ in yſdem comparandis, omni ſua ſpe excidit, ita vt etiamſi copioſiſsimè ſint comparatæ: mox tamen multis infortunyſ abſumptæ, non tam ſufficiunt ſuis poſſeſſoribus, quàm potius excruciant. Huiuſmodi autem contingunt, quòd homines animales non cogitent, quàm mirabiliter Dominus impleat omnia, cùm velit benedictione, cumq́ claudit manum omnia egeant. Nec in animum inducunt, quantum numerum*

rum Christus aluerit, quinq; hordeaceis panibus. Sed non ij tantùm huiusmodi ignorant, sed totus mundus lumine vultus Dei carens, putat rerum multiplicationem & augmentum, quæ oculis cernuntur & manibus palpantur, certiora esse Dei prouidentiá. Hinc quotidie hominum ἀπιστίαι & querelæ exaudiuntur, nisi peste aut gladio, hominum multitudo è medio tollatur, annonæ vilitatem nequaquam expectandam. Cùm contrarium clarißimè quotidie Dominus demonstret. Videmus enim in familijs, quæ non numerosæ sunt, festinantes ex nocte in noctem, in re quærenda, tamen semper egêre, mutuò accipere & non reddere. Cernimus rursus alias quæ numerosißimæ, cum silentio & quiete nihil festinent, sed opus suum facientes, curam autem in dominum reijcientes, abundare omnibus rebus,

alijs dare mutuò, & multa largiri pauperibus. Sic quum irascitur dominus, post infinitam, pestilentiali lue consumptam multitudinem, sequitur quandoq; maxima fames, etiam plenis borreis. Sic quoq; subinde contrarium apparet, cùm benedicit dominus, vt quantumuis maxima hominum multitudo supersit, & horrea vacua, nihilominus annona ad extremam vilitatem peruenit. Cùm igitur prouidentia Dei, excubet pro hominibus alendis & sustentandis, quid superest ex nimijs illis curis, nisi afflictio & vanitas? Ac etiamsi quis laboribus suis, integra sibi regna & prouincias subijcere posset: tamen cùm vel paulò post, mortis imperio abripiatur, vanissimæ huiusmodi sunt curæ, pro ijs rebus quæ exiguo temporis momento perdurent. Ac licet multi vixerunt, quorum tanta fuit præstantia, vt non homi-

homines tantùm, sed semidei iudicati sint, qualis Alexander Magnus, qui Iouis Hammonis filius habitus fuit, alijq́ multi heroës similes fuerunt. Verùm cùm æquè ac alij homines mortui sint, apparet, si non alia vt saltem hac vna ratione, illos fuisse homines miseros & calamitosos: Nam etsi multis rebus præclarè gestis, sese nobilitarunt: quòd tandem morti victrici succubuêre, nihil habent, quo se alijs infirmis hominibus ac debilibus præferant.

VERS. XII.

Ecquis enim homo nouit, quid sibi sit commodum in vita, numero dierum suæ vanitatis, quos fecit Deus velut vmbram? quis verò indicabit homini, quid sit futurum post ipsum sub sole?

Conclusio primi libri à consideratione imbecillitatis nostræ.

Si vita

Si vita nostra quasi vmbra pertranseat, & futura incerta sint, nec etiam valet homo iudicio à natura sua, neq; tantùm consecutus est experientia, vt certò poßit statuere, quid sibi aut in præsentia sit bonum, aut in posterum sit futurum stabile, minimè expedit, vt maiora quàm poßimus inquiramus, sed silentium imponamus ori nostro.

Sed talis est vita, & talis nostra conditio.

Vanum ergo vel maiora, nostra capacitate aggredi, vel nimium circa vana ac peritura occupari. Assumptio Salomonis est: Ecquis enim homo nouit, quid sibi sit commodum. *Hæc magna miseria hominis, qui à cœlesti tranquillitate semotior, diuersisq; fortunæ telis obiectus, voluptatum perniciosißimis circumfusus deliramentis, quæ*

aßiduè

aßiduè aduerſus animam, ſtipendia facere ſentiuntur, vt inſcitiæ malum prætercam? quo ab ineunte ætate, tanquam teterrimo cœno obuolutus, & demum ab hoſte vigilantißimo, aggeribus, foſſâ, valloq; circumſeſſus, & nulla non hora pulſatus ariete: hæc inquam ſumma miſeria, quòd nunquam ſuipſius ratione poßit inuenire, quid tibi optimum ſit, etiam ad præſentem vitam, quantò minùs ad vitam æternam? Nam licet propter certum finem multa peragantur, contrarius tamen fini ſubinde reſpondet euentus, ducit quis vxorem, vt caſtè & piè vitam cum ea degat, verùm cui ſatis exploratum eſt, doliturus ne idem ſit, vel in adulterio deprehenſam, aut alias afferentem doloris cauſas? An pecunias habere hunc dices? Atqui pecuniæ Iudam ad laqueum compulerunt? Sic nonnunquã

quis sibi hunc vel illum statum, officium aut negocium, vt sibi commodissimum eliget, quod tauen in diuersum sæpenumero cedit. Philosophi post longam concertationem, inuenerunt nihil vtiliùs esse animæ hominis, quàm virtutem, corpori autem sanitatem, deinde fortitudinem atq; formam, quibus coniunxerunt diuitias & authoritatem. Sed hoc quid obsecro est? Nam etsi multa de virtute scriptitabant: multa etiam volumina de illa replebant: tamen quæ sit vera virtus, quâ etiam ratione ad illam perueniatur, qui docuerit nullus est. Deinde quid prosunt diuitiæ, robur corporis, elegans forma, cùm animus æger sit, & omnibus sceleribus ac peccatis scateat? Non igitur ex ratione nostra, sed ex verbo Dei discamus, quid nobis conducat. Docet autem verbum Dei, fidem omnium maximè

vtilem

vtilem, quia Deum nobis donat & proprium facit, deinde charitatem, quæ omnes homines nobis amicitiæ vinculo conciliet. Numero dierum vanitatis suæ, quos fecit Deus velut vmbram. *Aliud incommodum, quòd nec suam ipsius vitam scit, quanta futura sit. Vt verò etiam concedamus, homini cuncta ad votum in hac vita necessaria esse, illo tamen calculo hunc vrgebimus, qui cum malè vrat & torqueat, numerabiles scilicet positos esse suæ vitæ dies, qui velut vmbra transcurrunt.* Ex *quo planè comprobatur, viuendum esse nobis secundum virtutem, mentis oculos erigentibus ad futuram vitam, mortis & vmbrarum immunem, de qua nobis abundè per Prophetas, Apostolos, & redemptorem mundi est traditum. Quæ enim obuentura nobis in hoc mundo sint, penitus ignoramus. Quæ verò nobis pro-*

posita sunt in futuro seculo, fide iam scimus, quòd tormenta scilicet peccatores, æterna verò gloria iustos excipiet &c. Præsens autem Ecclesiastæ locus, qui adeo perspicuè docet, de cœcitate mentis humanæ, & incertis euentibus futurorum contingentium, omnem funditùs euertit diuinandi superstitionem, vanasq; astrologorum nugas, de hominum coniecturis. Vnde non malè Lactantius & Apuleius, aliiq; multi, confirmare videntur astrologorum auspicia, auguria & oracula, esse dæmonum inuenta, quorum sit tenebras offundere, & veritatem caligine obducere. Quisnam indicabit homini? quid sit futurum post ipsum sub sole? Repetitio est superioris sententiæ ab impoßibili. Si obscurum est, quid futurum sit post horam, & præsentium rerum vsum, multò impoßibiliùs erit, vel præscire quid futurum

sit post

ſit poſt hanc vitam, vel poſt multas exantlatas vitæ moleſtias. Quare vt felicem traducamus vitam, beatitudinisq́ portionem conſequamur tandem, non noſtra vi continget, ſed neceſſarius eſt diuinus ille radius, quem gratiam diuinæ bonitatis nuncupamus & credimus. Nam hic nos attollat oportet, ſurrigat, illuſtret, aliâs fallimur: Eſt enim ſaluatoris præpotentis oraculum: Nemo venit ad me, niſi pater meus traxerit illum. Trahemur autem, ſi Mercurium ita exclamantem audierimus: O viri terrigeni, qui vos ipſos ebrietati & ſomno ignorantiæ mancipaſtis, ſobrij viuite, abſtinete à ventris luxu. Qui irrationali ſomno permulcti eſtis? cur præcipites in mortem ruitis? cùm haudquaquã deſit immortalitatis conſequendæ facultas? Reuocate iam voſmet, qui laboratis inopia, ignorantiæ tenebris

obuoluti, demigrate ab obscuro lumine, asciscite immortalitatem, corruptionem fugite. Quæ autem sint illa vtilia & necessaria, circa quæ debeat homo esse attentus & solicitus, nunc deinceps diuersis propositionibus ostendit.

SECVNDA PARS EC-clesiastæ, continens reliqua sex capita Salomonis.

† † †

P*Rima pars hactenus sex capitibus excussa,* ἐλεγχθικὴ ἢ ἀνασκευαστικὴ *erat. Conabatur enim Salomon, impugnare ac euellere consilia & vanos hominum conatus, ideoq; varias recitauit obiectiones & disputationes, quæ videbantur aduersari prouidentiæ, ac ideo in hac recitatione prolixior fuit, quia magnos & aßiduos tumultus excitant in humanis mentibus, hæ profanæ cogitationes.*

Cùm ergo præcipuum opus huius libri, δογματικὸν ſit, aſſeueratio videlicet de prouidentia contra epicureas, pyrrhonias, ſtoicas & alias cogitationes, quæ labefactant aſſenſionem de prouidentia, nunc igitur hac ſecunda parte, quaſi digreditur à diſputationum labyrinthis: & multis congeſtis Gnomologijs, incipit rurſus ædificare & plantare quæ bona ſunt: Nam hæc duo coniunctiſsima eſſe debent, ἀνασκευάζειν καὶ κατασκευάζειν, deſtruere & ædificare. Commendat autem Salomon in hac parte, ea fermè, quæ rationi ſtulta & contraria videntur, vt intelligamus ſapientiam Dei, & ſapientiam hominum longè lateq́ inter ſe diſcrepare. Sicut ergo hactenus monſtrauit felicitatem falſam, ita nunc inſtituit ad veram.

CAPITIS SEPTIMI ΠΕΡΙΟΧΗ.

EXposita eorum vanitate, è quibus homines se beatos iudicant, facti eorum compotes: pergit eandem ostendere per comparationem, melioribus scilicet rebus propositis. Eæ autem sunt tres, quæ ex ordine rebus istis anteponuntur. Prima est fama, vers. 1. Secunda est mors, quæ non tantùm morientibus, finem imponit vanitatis, sed etiam viuis documentum est ad pietatem, à secundo hemistichio, vers. 1. ad 10. Tertia est sapientia, in ordinatione Dei conquiescens, & ab omni fastidiosa operum Dei, hominumq́ peruestigatione abstinens, inde ad vers. 23. Quæ omnia concludit Salomon, à sua ipsius experientia, ad finem capitis.

VERS.

VERS. I.

Melior eſt homini fama vnguento optimo, ſed dies mortis, die quo ille naſcitur.

Prima comparatio ita concluditur: Id quod habet, ſe, excellentiùs aliquid, non poteſt eſſe ſummum alicuius hominis bonum.

Sed fama præſtat ampliſsimis & gratioſiſsimis bonis corporeis, ſynecdoche:

Ergo corporea bona non poſſunt eſſe ſummum hominis bonum.

Aſſumptio eſt: Melior eſt homini fama vnguento optimo. *Vbi obſerua, quòd famæ diſpendium quanti omninò faciendum ſit, præſertim ſi auctior ea, inq́ hominum animis diu irroborauerit, multa perdocent abundè, ſed exemplum tamen vnum, ex veteri memoria, vim quandam ampliorem mentibus affi-*

gere videtur. Fuit enim inter Indos sagittator eximius, de quo percrebuerat fama, sagittas ab eo tanta peritia dirigi, vti vel per annulum transirent. Fortè vir hic ad Alexandrum captiuus est perductus, ea tempestate, quâ is imperator aduersus eas gentes proferebat imperium. Quumq; hominis gloriã inaudisset, optauit se præsente ostentari artem. Renuit ille. Indignatus Alexander, rapi eum iussit ac interimi. Dum verò ad supplicium duceretur, conuersus ad milites: ego inquit, per multos dies artem excutiendi sagittas desieram, proinde veritus, ne ob insuetudinẽ voto exciderem, recusaui quod iniunxerat imperator. Quum Alexandro nunciata forent ea, mitti hominem euestigio iussit, multisq; etiamnum donis affecit, animi altitudinem miratus, mori præoptantis, quàm videri opinione minor. Id quod & olim veteres Romani quoq; senserunt,

Nec vn-

Nec vnquam magis Roma floruit, quàm cùm nomen bonū, omnibus alijs rebus præferebatur, tunc enim omnes studebant iusticiæ, verùm quum primum pecunia & voluptas, in precio haberi cœperunt, omnis ille nitor Romani floris, paulatim defecit. Est igitur bona fama, optimo cuiq; expetenda, & aduersus improborum hominum sermunculos & susurros constantißimè defendenda, quòd hac omissa, postea nulli sumus. Ac licet quid quisq; loquatur, forti viro non est magnopere curandū: tamen vt ne qua detur ansa querimonijs, diligenter est prouidendū. Imprimisq; in negocijs publicis est enitendum, vt fidem et probitatem nostram non modò nostræ conscientiæ: verumetiam optimis quibusq;, & si res ita postulet, omnibus et singulis approbemus. Notum autē est Augustini dictum: Bona conscientia (inquit) mihi opus est pro me, bona verò

fama propter alios. Sic Ecclesiasticus 41. Curam habeto de bono nomine, hoc enim præstantiùs est mille thesauris. Abdadum Sarracenum, scribunt nonnulli interrogatum: Quid in hac quasi mundana scena, admirandum maximè spectaretur? Nil videri (homine) præcellentiùs respondisse. Cui sententiæ illud Asaph Prophetæ succinere manifestum est, Dij estis & filij exelsi omnes. Cùm ergo proximè accedat ad imaginem Dei, quæ ex veritate & sanctitate constat, vult Deus vt nostram & aliorum famam tueamur, propter has duas causas: I. Quia vult famâ & infamiâ discerni honestos & inhonestos, ideo vt locus sit nobis inter bonos, bona fama defendenda est, rectè scilicet faciendo, non autem inanibus & sophisticis clamoribus. II. Quia vult Deus bonam famam alijs exemplo esse, vt inuitentur

uitentur & ipsi ad virtutem, ideo bona fama dicitur esse ingens bonum, infamia autem malum maius ipsa morte: Κρεῖττον γὰρ καλῶς θανεῖν ἢ ζῆν κακῶς (inquiunt) non pauci in bello fortiter cadentes. Cùm autem vir probus, tegere debeat alterius probra, iuxta dicta: Non sis susurro in populo. Item nolite iudicare, ne iudicemini: Non dicas falsum testimonium: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, &c. Mirum est plerosq; mortalium, ita breuissimos vitæ annos transmittere instituisse, vt ipsis canibus facilè assimilari possint. Nonne multi se ita gerunt, quasi ad venena nati videantur? Qui cùm velut scorpionis ictu, optimum quemq; lancinarint, ac fistulato vulnere (vt Hieronymi verbis vtar) viam apperuerint, mox latiùs veneni pestiferam vim fundunt: atraq; eorum (vt Plinius inquit) ceu serpen-

tum lingua vibrat, tabesq́; animi, contrectata omnia adurit, culpantium omnia, ac dirarum alitum modo, tenebris quoq́; & ipsarum noctium quieti, inuidentium gemitu, quæ sola vox eorum est, vt inauspicatarum animantium vice, obuij quoq́; vetent agere aut prodesse vitæ. Nec vllum aliud abominati spiritus præmium, nouêre, quàm odisse omnia. Verùm maledicos, ac id genus virulentos homines exitiales, caniculasq́;, & sola inuidia ac dicacitate, vel veriùs aspidum linguâ cognobiles, quorumq́; rabiem, non parum & ego his paucis annis sum expertus, mitto. Aliosq́; moneo, cùm se lingua petulantissima conuelli senserint, ne ruant in vltionem præcipites, paria repensuri, sed relinquant illi vindictam, qui inquit, mihi vindictam & ego retribuam, faciantq́; officium vocationis, μὴ εἰς τὴν ὀφθαλμοδουλείαν ἀλλ’

εἰς τ

εἰς τὸ ὄφελος. Memineritq́ Demetrium eleganter olim dicere: Eodem loco sibi esse voces imperitorum & assentatorum, quo ventre editos crepitus siue bombos. Nam quid, inquit, mea refert sursum isti, an deorsum sonent. Notetur etiam Plauti ex pœnulo scita sententia, quæ in maledicos, ac velut Sylleos canes concinnata est. Isthic est thesaurus stultis in lingua situs, vt quæstui habeant malè loqui melioribus. Sed in hoc versu præcipuè notandum, quòd honestam famam, non gemmis & auro, sed vnguento comparauerit. Nam sicut vnguentum aromaticum, latè diffundit odorem, & nonnunq̃ totam domum replet. Iob. 12: Sic bona fama latè se extendit, & dulcis leuatio est cordi anxio. Sed in vnguento, vt dixi, synecdoche est partis.
Dies mortis die quo nascitur. Secundus comparationis gradus, fama præstantior

est omnibus bonis corporeis. Sed famam adhuc longè superat mors. Etenim sicut fama contra vanitatem, consolationem aliquam afferre potest: Sic mortis die, si qua fama est, non solùm constans efficitur, sed etiam corona imponitur homini, beatæ æstimationis, honesta vitâ, partæ. Mors ergo præstantior est fama, & per consequens omnibus bonis corporeis. In membro autem allegato, non instituitur collatio vitæ & mortis, sed calamitatum & liberationis. Quare dicit: Melior est dies mortis, *scilicet in eis, quorum nomina recepta sunt in librum vitæ. In talibus enim dies mortis, est egressus de præsenti miseria, dies autem natiuitatis est ingressus in illam. Mors enim nihil aliud est, quàm exitus de carcere, finis exilij, laboris consummatio, ad portum applicatio, peregrinationis finitio, oneris grauißimi scilicet corporis*

depositio,

depositio, de equo furioso, id est de carne descensio, de ruinosa domo liberatio, breuiter, omnium ægritudinũ terminatio, omnium periculorum euasio, omnium malorum consumptio, omnium vinculorum deruptio, debiti naturalis solutio, reditus ad patriam, ingressus in gloriam. Quod sanè etiam homines non regeniti, attamen factis & dictis perspicui, considerantes, multas egregias ac diuinas orationes suis libris tradiderunt. Socrates venenum sumpturus: Mihi (inquit) hora discedendi iam morituro, vobis autem victuris: vtri autem nostrum venient in rem meliorem, incertum omnibus præterquam Deo. Non enim viuere, sed bene viuere plurimi faciendum, dissoluta iam anima, redit ad locum suum, corpus mutum remanet, nec enim amplius homo. Ciceronis etiam in Tusculanis, hac de re, pulcherrimus extat lo-

cus, atq;

cus, atq; ad verbum ediscendus. Si à Deo enunciatum videtur, vt è vita exeamus læti, & agentes gratias pareamus, emittiq; nos è custodia atq; leuari vinculis arbitremur. Si autem nihil denunciatum fuerit, eo tamen simus animo, vt illum horribilem diem alijs, nobis autem faustum putemus, nihil in malis ducamus, quod vel à Dijs immortalibus, vel à natura parente omnium, constitutum. Non enim temerè, nec fortuitò facti & creati sumus, sed profectò fuit quædam vis, quæ generi consuleret humano, ne id gigneret inter cætera, quod cùm exantlauisset omnes labores, in mortis malum incideret sempiternum: paratum nobis perfugium potiùs putemus, quò vtinam paßis velis tendere licet: Si autem reflantibus ventis reyciamur, tamen eodem paulò tardiùs referri necesse est &c: Hæc

de morte. Cæterùm natiuitas omnium malorum eſt ingreſsio. Quot enim miſeriæ & mala, hominem iam ſtatim natum excipiant, fando quis explicare ſufficit? Homerus Iliad: ω. hæc admiratur, dum canit:

Δοιοὶ γὰρ τε πίθοι κατακείαται ἐν Διὸς οὔδει δώρων &c.

Bina Iouis ſummi, dicunt in limine dudum
Vaſa, quibus ſortem Deus ipſe emittit vtramq́:
Ille miſer cui ſors fati contingit amara. Ac deinceps.

Heu quantos etiam gemitus, quàm dura videbit exilia, atq́ue omnem mixtam mœroribus acris vitam auget, hunc hominem odio ſuperiq́ue ſequentur.

VERS.

VERS. II.

Præstat adire domum luctus, quàm domum conuiuij, eò quòd illa est finis omnium hominum, qui autem viuit inditurus est illud animo suo.

E*Xigesis membri postremi, quomodo mors præstet natiuitati, à duabus circumstantijs, morientium scilicet & astantium.* Præstat ergo adire domum luctus, *id est, vbi lugetur mortuus vel infirmus, vbiq; repræsentatur miseria fragilitatis nostræ, in præsenti cadauere. Vides hoc loco, luctum non esse interdictum, sed moderatum tamen. Nam Paulus ad Thess: immoderatum increpat: Ne doleatis, quemadmodum & cæteri non habentes spem &c: Ac de Herode Sophista narratur, quòd cùm Elpinicen, alteram filiam, exanimem indecorè lugeret, proiectus humi ac vo-*

ciferans:

ciferans: quas inferias faciam tibi filia? quid tecum sepeliam? Ac superueniens Sextus philosophus: maximum inquit, munus dederis filiæ, si moderatè lugeas. Deinde extrema officia, quibus prosequimur mortuos, non hîc damnantur. Nam humare mortuos, semper vel in vetere lege, religiosum fuit. Iacob moriens, vt ad patres suos transferretur, ne inter Ægyptios prauos homines tumularetur, Iosepho filio mandauit. Moses item ex Ægypto fugiens, ipsius Iosephi ossa secum tulit. Laudatur quoq; Tobias, qui sepeliendis mortuis vacabat. Iudas Machabæus, post prælium contra Gorgiam commissum, iussit prostratorum corpora mandari sepulturæ. Iehu Rex Israël, suum hostem iussit sepeliri, eò quòd esset de stirpe regia. Ex his verò qui Deum ignorauerunt, Alexander Dary interfecti corpus, vxori matriq;

liberaliter tumulandum dedit. *Sic etiam laudare defunctos, vetus est consuetudo, cœpitq́; apud Græcos: iam inde à Pericle, qui teste Thucydide, prius defunctos in bello peloponesiaco pro concione laudauit.* Sed hîc mirari non satis possum, hominum animalium fastum ac luxum, quorum multis viuentibus, curæ sepulchri pompa supra modum fuit, vt non satis fuerit marmoris luxuria pendentis: sed etiam æris sumptus requireretur, quum interim Stephani, Laurentij, Petri & Pauli, totq́; aliorum sanctorum, etiam martyrum corpora, legamus humi iacere, & sine vllis sumptibus humo mandata, nullis in ære pendentibus mausoleis. Cæterùm exquisitus iste luxus, qui ab omnibus sine discrimine conquiritur, vnde dimanasse existimemus, nisi ab infidelibus, prorsus aliam quàm hanc ignorantibus vitam?

Horum

Horum memoria vt latiùs extenderetur, ſtabant eorum ſepulchra, lineamentis aſtructa exquiſitiſſimis, non deerat columnarum copia, ſplendebant cruſtationes, niteſcebant ſigna ac tabulæ, ſpectabant ducti ære aut marmore vultus artificio pereleganti. Sed nec cordatiores Reges aut principes, tali faſtu ſemper ſunt delectati. Quare ne hanc luxuriantem pompam, ſupra modum obſtupeſcamus, audiamus quid Cyrus moriens, apud Xenophontem loquatur, meum corpus pueri cùm diceſſero, nolite néque in auro, néque in argento, neq; in aliquo lapide collocare, ſed terræ ſtatim reddite. Quid enim beatiùs quàm terræ commiſceri, quæ tot pulchra nutrit ac parturit? Ego autem cum cæteris viribus homo ſum, libenter nunc quoque mihi

videor cum ea communicare, quæ benemerita sit. Hæc ille. M. Æmilius Lepidus, qui princeps senatus Sextis iam censoribus fuerat, antequam expiraret, præcepit filijs, lecto se strato sine linteis, sine purpura efferrent, in reliquum funus, ne plusquam æris denos consumerent, imaginum specie, non sumptibus nobilitari, maximorum virorum funera solere. Cicero de legibus vetat lapide condi, plusquam capiat laudem defuncti incisam, nec plusquam quatuor versibus elegis. Describitur elegantissima oratione, sepeliendi simplicitas á Diuo Hieronymo, in vita Pauli Eremitæ, in cuius calce, cùm non dissimilia quædam huic argumento tradat, breuiter ea repetam. Huic seni mundo, quid vnquam defuit? vos gemma bibitis, ille naturæ, concauis manibus satisfecit. Vos in tunicis aurum texitis, ille ne vilissimum quidem

quidem indumentum habuit mancipij vestri. Sed econtrariò, illi quidem pauperculo paradisus patet, vos auratos gehenna suscipiet. Paulus vilissimo puluere coopertus iacet, resurrecturus in gloriam: vos operosa saxi sepulchra premunt, cum vestris opibus arsuros. Parcite quæso vobis, parcite saltem diuitijs quas amatis. Cur & mortuos vestros auratis obuoluitis vestibus? cur ambitio inter luctus & lachrymas non cessat? An cadauera diuitum, nisi in serico putrescere nesciunt? Obsecro quicunque hæc legis, vt Hieronymi peccatoris memineris, cui si dominus optionem daret, multò magis eligeret tunicam Pauli cum fide eius, quàm Regum purpuram cum pœnis suis. Hactenus Hieronymus. Sed sequitur altera pars, ἀνταπόδοσις scilicet. Quàm domum conuiuij. *Hæc collatio optimè intelligitur*

ex circumſtantijs enumeratis, de quibus paulò poſt, tum effectis domus conuiuij. Etenim in domo conuiuij, id eſt proſperis, & ad voluntatem noſtram affluentibus, obliuiſcimur Dei, iuxta illud: Exod. 32: Sedit populus manducare & bibere &c: Hierem. 5: Satiati eſtis & mœchati, contrarium autem fit in aduerſis. Deinde in domo conuiuij ſeu proſperis efferammr, non cogitamus debita noſtra, nec pericula in quibus obuoluimur opinione citius, quò fit vt parum ſoliciti ſimus vel de pietate, vel Dei fauore, ſed potiùs confidamus præſentibus rebus, quæ tamen cùm maximè opus ſit, deficiunt à nobis, ceu mali fontes, qui non habent aquam, cùm maximè opus eſt in æſtatis ſiccitate. Sed in domo luctus aliter fit. In illa enim finis cunctorum, id eſt communis conditio humanæ fragilitatis & mortis ne-

ceſſitas

cessitas ad memoriam reducitur. Hac cogitatione aperiuntur mentis oculi, & piæ mentes Deum omnium bonorum largitorem, precibus sollicitant, vt per rectas semitas, dirigat vias vitæ huius ærumnosæ, quæ dubia est, incerta & fallax, singulisq́; horis, immo momentis quasi de filo serico pendens. Quod igitur hunc vitæ tam lubricæ cursum absoluerint mortui, illis meritò gratulamur, & extremo pietatis officio prosequimur, ac dum illos deflemus, reponimus mentibus nostris, eandem fore nostram conditionem, id est vile & putridum cadauer, vermiculis & serpentibus absumendum. Sic etiam fiunt epithaphia: vt quilibet mortem suam in aliena morte, quasi legens dicat: Quod sumus ille fuit, erimus quandoq́; quod hic est.

Hinc Ecclesiasticus 38. Memor esto iudicij mei: Sic enim erit tuum, mihi heri, tibi hodie.

VERS. III.

Præstat ira risui. Nam per malum vultum bonum erit.

TErtia collatio, in qua tenendum est, Salomonem non simpliciter omnem iram commendare. Est itaq; duplex ira. Altera enim promanat ex vicioso pectore, qua pertinaciter fastidimus alios, & in contemptum illorum prorumpimus ac vindictam expetimus, hanc prohibet non tam Salomon, quàm ipse Christus, & tota sacra scriptura, quæ iubet vt irati colligant se, id est palantes dilapsasq; animi vires, reuocent ad signa. Ac etiam hoc τῆ ψυχῆς συμφυτὸν ὅπλον, *id est animæ ingenitum scutum, tanquam nimis nocuum, etiam ipsi*

Ethnici, sæpe sunt detestati: Hinc scitum illud Charilai Lacedæmoniorum Regis, qui quum se ingereret audacius insolentiusq; ex seruis vnus, quos Helotas vocant, νὴ τὼ σιὼ *inquit,* κατέκτανομ τεῦ 'ει μὴ 'οργίζομην *id est, per Sios (hoc est geminos) interemissem te, nisi irascerer. Nec obscurum Athenodori Philosophi documentum, quo (vt à Plutarcho accepimus) ita cæsarem Augustum instruxit: Quum te cæsar ira cœperit, nihil prius dicas vel facias, quàm ipsa quatuor & viginti elementa literarum græcarum, ipse tecum percurreris, memoriaq; recensueris, vt sic concitatio illa, quæ momentanea est, mente aliò traducta, parui temporis interiectu emollita relanguescat. Sic tacitis velut ambagibus obligati, substrictiq; securibus Romanorum magistratuum fasces, præmonebant, lentè ad irrogandam*

pœnam pergendum. Et talium perturbationum victorem, posse Deorum immortalium numero asciscí, de rerum natura lib. 5. Lucretius est auctor.

Hæc igitur qui cuncta subegerit,
ex animoq́;
Expulerit dictis, non armis, nonne
decebit?
Hunc hominem Diuum numero
dignarier esse.

Atq́; hæc de prima specie. Sed alia est ira, qua dolemus mala fieri, irascimur vitijs non personis, corripimus sed non ex vindicta. Hæc veriùs zelus dicitur quàm ira, ac præcipuè tribus hominum generibus conuenit, patri scilicet carnali, patri spirituali & audienti detractores. Oritur autem interdum ex tristicia, interdum verò ex pio zelo, & tunc nomen non vicij, sed

virtutis habet, sicut in versiculis Sosiphanis dicitur:

Νῦν σοὶ πρὸς ὕψιν θυμὸς ἡβάτω γέρων
Νυνὶ δεῖ ὀργὴν ἡνίκ' ἔνδικον λαβεῖν.

Nunc ô senex florescat iracundia,
Iusticiæ namq́ gratiâ irasci decet.

Et alibi dicitur: Zelus domus tuæ comedit me. Hoc affectu Elias & Elizeus occiderunt impios, & Prophetæ maledicunt impijs, Petrus occidit Ananiam. Christus eijcit ementes & vendentes. Et in heroicis viris, similis est quidam impetus defendendæ iusticiæ, puniendæ turpitudinis, tuendæ Reipub: Hunc affectum Philosophi vocarunt Nemesin, quia præcipuè pertinet ad gubernatores, qui debent esse pastores & distributores iusticiæ. Videndum autem est, ne prætextu talis zeli, ira fiat iniusta, vt hodie sæpè fit, vt quando in priuatis causis irascimur, & alios odio

habemus, incensi cupiditate vindictæ, non principaliter propter gloriam Dei, aut amorem iusticiæ, aut odium turpitudinis, sed quia nobis commoda nostra eripiuntur & interturbantur voluptates. Huiusmodi irâ quantoperè flagrarunt Romani antichristi, ipsorum historiæ luculenter docent. Nam quomodo abusi sint Ecclesiæ disciplina, optimos quosq́; fulmine excommunicationis percutientes imperatores, id insolentia Alexandri Papæ ostendit, qui imperans Friderico Barbarossæ in Ecclesiæ vnionem recepto, vt se humi prosterneret, & coram vniuerso populo, veniam peteret, quibus non tantùm contentus fuit, sed collum cæsaris pede in terram pressit, inquiens, scriptum est, zelus domus tuæ comedit &c: Item, super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Hæc ira non

fuit

fuit iusticiæ aut pietatis, vel emendationis, sed impiæ ac sanguinariæ crudelitatis, sed prior illa ira, longè præstat risui, cuius ratio additur: Nam per vultum malum bonum erit, *id est animus delinquentis corrigitur. Quare & finis huius iræ, est emendatio proximi. Sic Deus sæpè quoque irascitur, cùm vt emendentur homines ob scelera, inobedientiam & contumaciam, eos castiget & humiliet, idque vel per iacturam rerum ac fortunæ, vel per sæuos morbos. Hæc ira vtilior est risu, id est prosperis & voluptatem fouentibus rebus. Ad salutem enim expedit. Vnde cùm olim quispiam fratrum tertiano* πυρέτῳ, *id est febri, grauissimè vexaretur, & rogaret hominem Dei, Iohannem monachum vt curaretur, respondit: Rem tibi necessariam cupis abijcere. Vt enim corpora nitro vel alijs huiusmodi lineamentis, à*

sordi-

sordibus purgantur: ita animæ languoribus, alijsq; castigationibus purificantur, & à peccatorum stimulis deterrentur. Historia de Mauricio Imperatore apud Dn̄m Philippum Mel: digna est quæ consideretur, quem Phocas iubet ad se cum coniuge, filiabus & filijs adduci. Hic primum filias, inspectantibus patre Mauricio & honestissima coniuge, interfici mandat, postea filium adolescentem. Aberat autem minimus natu apud nutricem, hunc cùm afferri iusisset, nutricis maritus affert non alumnum, sed filium suum, tanta erat fides in eo amico, sed cùm aspexisset puerum Mauricius, interpellat Phocam, monens hunc alterum esse, nec se velle calamitatem suam in amicum deriuare. Aufertur igitur Mauricij filius ac interficitur, postea misera mater trucidatur. In tanta calamitate, nulla vox impia

ex Mau-

ex Mauricio audita est, sed astitit spectator harum ingentium ærumnarum, & suæ culpæ confeßionem edidit inquiens: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum, postremò & ipse interfectus est. Hoc memorabile dictum & egregiam confeßionem, fortè nunquam Mauricius edidisset, nisi Deus fuisset iratus, & permisisset hostem grassari in eum. Fuit enim Mauricius maximus christianæ religionis cultor, sed etiam habuit suos næuos. Erat enim paulò ad rem attentior, iracundior, & quædam fecerat asperiùs.

VERS. IIII.

Cor sapientum in domo luctus, & cor stultorum in domo stultitiæ.

Q*Varta* σύγκρισις *sapientis & stulti, à diuersis effectis arguentibus*

diuersas

diuersas causas. Quia atrocißimus hostis humani generis est voluptas. Hanc vt summa diligentia declinent & fugiant sapientes, tristiciam quasi clypeum fortißimum, contra eius iacula opponunt, seq; natos de corruptibili carne, & breui ex hac vita migraturos norunt, quare & mortales cæteros, qui eadem sunt nati conditione, affectu pio prosequuntur. Ac breuiter in sapientum animis, graues de humanis calamitatibus cogitationes, aßiduè obuersantur, ne quid aduersi imparatis illis occurrat, neue huius mundi falsißimis illis imaginibus decepti, ab officio discedant. Stulti verò cùm, mentis hebetudine, solida putant esse, quæ sunt in mundo, neq; mutationem eorum intelligunt, ac propterea futuri exitus securi, delicijs diffluunt, voluptatibus indulgent, donec incogitantes tristißimis casibus opprimantur.

VERS.

VERS. V.

Præstat audire increpationem sapientis, quàm si quis audiat cantionem stultorum.

Γνώμη, *cui simile est illud: meliora sunt vulnera amici, quàm fraudulenta oscula inimici. Sed cùm ea sit naturæ nostræ conditio, vt potiùs commendari quàm increpari velimus. Hinc primùm nimia licentia peccandi, tam in magistratu quàm in subditis, ac deinde dissimulatio oritur, qua illi qui debebant animaduertere in scelera, nimium indulgent & conniuent. Nam in peccatis nostris aut tegimus aut abscondimus scelus, aut prætextus quærimus, patrocinantes nostris affectibus, aut resistimus admonitionibus fidelibus, sicut aspides obturant aures ad vocem incantantium, aut prorsus audacter & ad*

omnis generis mala, nudo capite accurrimus. Hoc modo cùm affectæ sint humanæ mentes, non mirum est, tot paßim assentatores reperiri, & potißimum in aulis principum, qui semper obseruant, quæ dominis placent, & se suosq; mores & actiones, accommodant ad dominorum voluntatem, & perinde vt speculum in se imagines quaslibet, & chamæleon omnes colores in se recipit, præter album colorem, sic & illi varias induunt personas. Quicquid dicunt laudo, id rursus, si negant laudo id quoq;, si domini libenter potant, liberales & benefici nominantur. Si domini amant, scortantur & mœchantur, isti omnia perbellè fieri perhibent, dicentes: Heroës eiusmodi non debent esse Monachi, sed sequi vestigia Dauidis & Salomonis, qui vna vxore non fuerunt contenti. Si domini pompas quærunt strenuè,
adula-

adulatores eas adornant. Si domini aliquibus succensent, irascuntur & isti, & calumnijs augent odium, vel si sunt humaniores, prorsus tacent, nec innocentem tuentur. Si domini fauent Euangelio, sunt & ipsi Euangelici. Sin aliter, & ipsi quoq; mutant sententiam. Quemadmodum cùm Georgius dux Saxoniæ, Luthero aduersaretur, pleriq; fuerunt papistæ, cùm verò Henricus Georgio succederet, omnes iam facti fuerant Lutherani. Alexandri Regis familiares ceruicem inflexam, & in dicendo vocis asperitatem reddiderant. Rex enim incesserat tali collo, & vocem habuerat asperiorem. Dionysio Rege cæcutiente, adulatores illius, alius in alium impingentes, & sannas inter cœnandum deijcientes, simulauerant & ipsi cæcutientiam. Huiusmodi adulatores cùm omnium sint nocentißimi, exu

gunt enim ſanguinem ſicut muſcæ, vt Niceſias ad Alexandrum dixerat, ideo præſtat, inquit, & longè optabilius eſt, increpationem & caſtigationem ſapientis vnius ferre, quàm totius chori aſſentatorum, improborum ac infelicium hominum eſſe auditorem. Horum enim cantilena effeminat animum, ſapientis verò correctio, colligit & confirmat eam.

VERS. VI.

Nam qualis eſt ſonitus ſpinarum ſub olla, talis eſt riſus ſtulti, quod eſt quoq; vanitas,

A Comparatione ſimilium oſtendit Salomon, nequaquam diuturnam eſſe hanc lætitiam ſtultorum, ſed citò eos ex ſecuritate & inſolentia ruere in tragicas calamitates, vt Saul, Crœſus, Xerxes, Alexander, Pompeius, Cæſar,

Antonius

Antonius & alij innumerabiles, oppressi sunt tristissimis casibus, vt exempla iræ Dei conspiciantur, & cæteros commonefaciant de pœnitentia, de timore Dei & de inuocatione. Seruat enim regulam Deus, abominatio est coram Deo, quicquid est sublime coram hominibus. Item dispersit superbos mente cordis sui. Itaq; de breuitate lætitiæ stultorum inquit Salomon: similem esse crepitui spinarum plurimarum, lato igne, ardentium & citò conflagrantium. Primò quidem, quia sicut ille fragor ardentium spinarum planè percipitur auditu, quanquam oculis non cernatur, ita & effusa illa insolentia ac lætitia facilè stultos prodit. Deinde sicut à spinarum globo fumus attollitur, resoluitur & citò euanescit: ita stultorum immoderatus ille risus (synecdochicè) id est quoduis voluptuarium

gaudium ſubitò concidens diſsipatur. Ac poſtemò ſicut ollam, ſpinæ ſuccendunt: ita animam, ſtulti riſus peccati ſorde non carens, igni parat æterno, & ſæpe etiam cauſa eſt multarum miſeriarum in hac vita. Hæc quanquam per ſe ſatis ſunt manifeſta, hiſtoriâ veriſsima confirmabo. Recitatur hiſtoria de Conſaga, præſule Mediolanenſi, tum de Carolo Burgundiaco, cuius filiam habuit vxorem Maximilianus imperator. Quidam nobilis cœpit hoſtem ſuum. Vxor captiui ſupplex ad nobilem interceſsit pro marito. Nobilis promiſit liberationem mariti eius, ſi ſecum congredi & rem habere vellet. Mulier honeſtatis amans, & tamen cupiens maritum ex vinculis liberare, accedit ad maritum, qui ſtatim ei permittit, immo rogat eam vt moram gerat nobili, quò & liberetur ipſe, & in viuis maneat. Al-

tero die, cùm nobilis iam expleuiſſet deſiderium ſuum, decollari iubet captiuum, & ita decollatum tradit vxori eius. Mulier rem defert ad Conſagam, qui aduocans nobilem, iubet mulierem ducere in vxorem, celebratis nuptijs, decollari curat nobilem, & vxorem iam ductam, hæredem facit omnium bonorum quæ nobilis reliquerat. Hoc exemplum docet impios, non aliter niſi inſano amore lætari ſine timore Dei, nullumq́ neq́ finem, neq́ modum eſſe illorum iactantiæ, vt illorum ſtrepitus ab omnibus audiatur: Verùm exiguo tempore durat. Exultabant Philiſtæi, capto Sampſone & arca Dei, ſed breui admodum tempore. Exultabant filij Beniamin, fugatis decem tribubus, ſed ad breue tempus. Poſtea enim omnes occiſi ſunt. Ingentia moliebatur Iulianus, ſed nubecula erat & citò tranſiens.

VERS. VII.

Sané oppreſsio (calumnia) inſanire facit ſapientem, & demum corrumpit cor.

Conclusio alterius partis verſ. 2. cùm homo tanta feratur inconſtantia, vt ne ſapientes, ſibi quidem cauere poßint in hac vita, quin perturbentur & corrumpantur ipſorum animi, amore, odio, ſpe, metu, calumnijs, inuidia, obtrectationibus, optabilior est ipſis mors, quàm lubrica hæc & fallax vita &c. Hæc eſt ſententia verſus, quæ docet quòd & ſapientißimi, etiam maximè ſint impatientes iniuriarum & calumniarum. Sunt enim iniuriæ & oppreßiones maiora quàm vt ſapiens ea ſuſtinere poßit Faciunt enim ipſum inſanire. Poteſt enim ſapiens pati aliquid, & interdum conniuere. Verùm iniuria,

iniuria, calumnijs & alijs modis pressus, etiam excandescit sapientissimus quisq́. Etsi autem sapienti non sit difficilè, tegere & occultare cordis ὁρμήματα, id est appetitiones & vitiosas inclinationes, vt Vlyssea ingenia solent: tamen iniuria affectus occultare iam amplius, quod antè diu clausum latuit, non potest. Tunc enim omnibus cordis (vt ita dicam) repagulis quasi effractis, cupiditates erumpunt: tunc tragicæ querelæ exoriuntur, tunc hominum perfidia deploratur, parum etiam abest, quin & ipse Deus in ius vocetur. Omnia reliqua quæ antea vt plurimum nos affecerunt, vt fumus dissipantur. Hæc vna iniuriola angit, mordet, pungit, lacerat & excruciat quoq́ hominis intima. Græcus quidam adolescens, vt Hieronymus scribit, vixit in Ægypto, ei cùm à libidine & carnis cupiditate, tanq̃ immani bellua tantum

negocij exhiberetur, vt neq; vigilijs, neq; ieiunijs, neq; vllis laboribus, illam domare ac coërcere posset: Senex quidam vir integer, cum quo ille cohabitabat, artificiosam, quâ illum ab illo malo liberaret, rationem inueniebat. Nam grauem virum & fide dignum, qui multa ad contumeliam adolescentis ficta spargeret, & deinde primus eum adhibitis testibus accusaret, subornabat. Quod cùm factum esset, quid obsecro ageret adolescens? contumelia erat affectus, falsò item accusatus, nec suam innocentiam probare poterat. Itaq; præ nimia animi ægritudine & dolore lachrymabatur. Quanta enim vis iniuriæ sit, quis est qui ignoret? Anno pòst, is de quo dixi senex quærit, vtrum etiam à libidine adhuc aliquid molestiæ sentiat? Quid inquit ille, libeat mihi veneri seruire, cùm à maleuolis linguis vitam vix

tutam habere poßim? En, iniuriæ, oppreßiones & calumniæ, ita afficiunt homines, vt etiam naturalium appetituum obliuio eos capiat. Quis est ex mundanis hominibus, cui hæc naturalis vita, non omnium sit charißima? & tamen ampliβimæ & totius Græciæ florentißimæ ciuitates, vitam prius profundere non dubitarunt, quàm per oppreßionem & vim dedere se tyrannis, vti veteres historiæ habent. De δωροφαγία *sæpè dictum est. Sed vt tolli mala hæc ex mundo nequeant, non deest tamen remedium, quo sibi vir sapiens caueat, ne propterea in præceps ipse quoq; abripiatur.*

VERS. VIII.

Præstat rei exitus initio ipsius, præstat tardus ad irascendum, quàm elatus spiritu.

Sequitur

Sequitur commonefactio, quæ duo necessaria præcepta continet. Quorum primum docet, meliùs esse finem consilij prospicere, quàm initium, iuxta illud:

Quicquid agis, prudenter age, respice finem.

Digna verò relatu Sophoclis sententia est, ex Electra: Βουλῆς γὰρ οὐδὲν ἐστὶν ἔχθιον κακῆς. *Nil consilio malo inimicitius. Ac econtra ab eodem Polybius, dictum sapientissimè scribit: Consilio sapienti, magnam vinci militum manum, hoc est, vt & græcè dicam* σοφὸν ἓν βούλευμα, τὰς πολλὰς χεῖρας ἔχειν. *Et apud Homerum Agamemnon, si decem affuissent Nestori similes, facilè se vrbe hostica potiturum dicit, Sic alius dixit, Imperatorem senem moribus esse oportere, id est prudentia grassandum & maturitate, ac moderationibus semper in-*

per inhærendum consilijs. Multi θρασύ-δειλοι sunt fortes initio in docendo, in bellis mouendis, in tumultuando, postea leui momento fracti, deserunt aciem &c. Hæc notiora sunt. Postulat igitur Ecclesiastes in bonis consilijs perseuerantiam, ac euentu semper honesta causa melior est. Quanquam enim multa aduersa ferenda sunt, tamen tandem triumphat causa bona. Præstat tardus ad irascendum, quàm elatus spiritu. Altera admonitio de mansuetudiue & tolerantia Tardus ad irascendum præstat. Quia vitijs alienis periculosè irascimur. Dum enim turbatur oculus mentis, periculosè adhibere poteris ignem aut ferrum alienis vulneribus sanandis. Et esse velocem ad irascendum est præcipitari in insaniam. Multa autem incommoda, secum trahit ira nimis præceps, & vt Salomon inquit, argu-

mentum

mentum est stulti hominis. Hæc Alexandrum optimis amicis priuauit, hâc imperator Theodosius concitatus, in Thessalica vrbe seditione oborta, iudices cum quidam á vulgo lapidati sunt, quare imperator furore accensus, vindictam sumens, & nocuos innocuosq; in Circensi ludo interfici iußit, interfectiq; sunt septem millia hominum, re nequaquam iudicata. Hic Theodosius author (vt tradunt) fuit codicis, operis in iure imprimis præclari. Erat vir sapiens, literatus, pacis amans, laniénam illam hominum innocentum, non raro in tota vita ingemuit. Interrogatus cur non vltionem de hostibus sumeret? Respondit: Vtinam viuerent omnes qui meo mandato mortui sunt. Cùm expendo vitæ dotes, & vsum mirabilem humani corporis, non possum non dolere, quòd prorumpentem indignationis

tionis ardorem, ex nimio irarum æstu conceptum, non presserim. Cùm igitur per iram nihil rectè fiat, causis præcipuè ac veluti iræ fomitibus occursandum, quibus tacitè stomachari contingit, ac labris dentes impingere. Quod ipsum insinuauit egregiè, Augusti ingenium perspicax, quum apud Vedium Pollionem cœnaret, cuius seruorum vnus, vbi fortè Chrystallinum allisisset, ad vltimum rapi supplicium Vedius perturbatior iusserat. Verùm quod supplicium? Bone Deus murenis iamiam erat obyciendus, quas in piscina depascebat capacißima. Euasit ad cæsaris pedes dilapsus puer, non quidem mortem deprecaturus, sed mortis genus, hoc est ne esca fieret. Miratus crudelitatis inusitatam speciem cæsar, dimitti euestigio puerum imperauit. Et vasa eius operis conteri vniuersa, imprimis verò

piscinam compleri oblimariq́. Huiusmodi autem animum obiter minutulis sufferuefactum rebus, microlypum græci vocant, qui frænum mordeat nunquam, in fermento semper ferè sit, nec norit deferuescere. Qualis fuit Iulij pontificis eius nominis III. qui rebus nullius momenti exasperatus, non verebatur ipsi Deo maledicere. Delectabatur imprimis hic Antichristus, porcorum & pauonum carnibus, sed cùm medicus admonuisset ne porcinis vesceretur, quod valde inimicæ essent podagræ, quâ Iulius subinde affligebatur, nec tamen vellet Iulius abstinere: Medicus submonuit præfectum conuiuiorum Episcopum Ariminensem, ne porcinas carnes iuberet apponi. Ergo cùm semel non fuissent appositæ, idq́; pontifex animaduertisset, vbi est ferculum porcinarum carnium? inquit. Cumq́; conuiuij præfe-

præfectus respondisset, medicum imperasse ne apponeretur, pontifex in hæc verba prorupit: affer meum ferculum vel per Dei contemptum? Cùm in prandio pauonem vidisset quem non attigerat, serua, inquit, mihi hunc frigidum in cœnam, & para mihi in horto: nam habiturus sum conuiuas aliquot. Cùm igitur in cœna alios pauones calentes vidisset appositos, frigidum pauonem, quem iusserat reseruari, non vidisset, vehementer excandescens, atrocissimam in Deum euomuit blasphemiam. Tunc ex cardinalibus quispiam qui accumbebat: Ne tantopere commoueatur, inquit, sanctitas vestra pro re tantilla. Tum Iulius: Si voluit Deus vsq; adeo propter vnum pomum irasci, vt eyceret primos parentes è paradiso: cur non liceat mihi, qui sum eius vicarius irasci propter pauonem, cùm multò maior res sit

pauo, quàm pomum? En pietatem, en moderationem, en elatum deniq; animum impij Antichristi, qui non dubitat se aßimilare cœlesti numini, ipsiq; palàm conuiciari & illudere.

VERS. IX.

Ne festina spiritu tuo ad irascendum, quia ira in sinu stultorum residet.

REpetitio est eiusdem. Quia affectus & perturbationes, quamdiu in tabernaculo corporis huius habitamus, & fragili carne circumdamur, moderari & regere Dei gratia quodammodo, non autem amputare prorsus possumus, ideo eadem pharmaca sæpiùs instillat & inculcat. Moueat igitur nos ad cohibendum iram. 1. Mandatum Dei: Irascemini & nolite peccare: Sol non occidat super iracundiam vestram.

Irasci

Irasci hominis est, finem autem iracundiæ imponere pœnitentis. II. *Pœnæ corporales & æternæ. Nam debilitantur vires corporis & animi, nimia iracundia, oriuntur inde phreneses, vt in Aiace, apoplexia, subitanea mors, epilepsia, & impediuntur actiones omnium membrorum, augentur peccata & blasphemiæ in Deum & proximum. Nota etiam sunt exempla, & quotidie cernuntur supplicia eorum, qui rapti perturbatione affectuum, aliorum sanguinem fundunt. Memorabilis historia ab Hermanno Mutio recitatur in chronicis Germaniæ, de Iohanne duce & Alberto fratruelibus. Iohannes qui in aula Alberti educatus erat, misit legatos ad imperatorem Albertum, qui illum docerent dominium de Kiburg, ad Iohannem fratruelem suum pertinere, ipsius enim esse matris suæ nomine. Cùm imperator ne-*

garet, nec vllas causas adderet, quare sua hæc essent, malæ cogitationes immissæ sunt in cor iratum Iohannis, qui coniunctis sibi socijs baronibus, Vualthero de Eschelbach, Vlrico de Palma, & Rudolpho de Vuart. Incipit cum ipsis tractare de interficiendo imperatore. Consueuerat autem imperator vbiq; cum vno aut altero colloqui, equitans aut obambulans, nec habebat magnam sui corporis custodiam. Ita ergo cum vno seorsum milite, Albertum equitantem per sata, illi coniurati qui diu captauerant nefandi facinoris perpetrandi occasionem, accedunt. Imperator nihil tale suspicans salutat, rogat comiter, quomodo res se habeat. Vnus ex illis (ferunt Rudolphum fuisse) dixit loco resalutationis: quam diu cadauer istud quitare permittimus? statimq; cum dicto, vno momento, Rudolphus gladio medium

medium transfixit, Iohannes dux, cultrum oblongiorem collo infixit, alter eodem momento, caput medium dissecuit. Sed quid fit? sanè meritas sanguinis effusi & iniquissimæ iræ, omnes pœnas luunt. Nam consanguinei & filij imperatoris, audita miserrima genitoris sui morte, omnibus posthabitis, vnum hoc incœperunt agere, quo vlciscerentur patris mortem. Festinarunt igitur celeriter. Primumq́ Rudolphum fugientem, & Romam ad pœnitentiam agendam euntem, in itinere proditum, comprehenderunt & traxerunt in campum, vbi pater erat occisus, ibi ad caudam equi ligatus Rudolphus & miserabiliter distractus, rotæ impositus est. Baro de Palma obsessus in Altpuren, donec mortuus est tristicia & rerum penuria. Cæterùm Iohannes dux post multiplicem Metamorphosin, in qua

aliquando transfigurabat ſe in mercatorem, ſæpius in mendicum, nonnunquam totum ſemeſtre tempus, paſcebat greges aut armenta, aliquando agebat aratorem, dura enim egeſtas eum omnia docuerat, ac poſtremò in forma mendici, quod opificium callebat meliùs quàm alia, proditus eſt. Vualteri verò caſtra occuparunt filij Alberti, qui fuga elapſus, latens in pagis multis per Germamaniam ſordidiſſimis, ac veſtitus vt opilio, pauit greges annis continuis 35. tandem ſenex, paſtor in comitatu Vuirtembergenſi, moriturus dixit aſtantibus quis eſſet. Iſta fuerunt fata eorum, qui ira præcipite inflammati, imperatorem occiderant. III. *Conſideratio naturæ noſtræ conditæ ad placabilitatem. Quo enim naturæ ſunt præſtantiores, eò ſunt mitiores.* IIII. *Exemplum Chriſti & ſanctorum &c.*

VERS.

VERS. X.

Ne dicito, quid est quòd dies priores fuerunt meliores istis, nec enim ex sapientia de hac re quæsieris.

HActenus de his quæ rationi mala videntur dictum est, nempe de ira siue zelo, luctu, correptione fraterna, quæ tamen quomodo & quatenus bona sunt, rationes subduximus. Sed nunc deinceps refellit blasphemiam eorum, qui de prouidentia Dei, quâ mundus regitur, prauè sentiunt. Finis autem huius documenti duplex est. Primus vt composito & tranquillo animo, acquiescamus voluntati & administrationi Dei, vsq; ad versum 21. Alter vt in aliena facta, dictaué non inquiramus curiosè, versu 21. & 22: Blaterantes autem homines vani, antiqua tempora meliora fuisse quàm præsentia, & in dubium reuocan-

tes Dei prouidentiam interrogant: cur Deus concesßit antiquis patribus tantam affluentiam, tot & tantas diuitias ac delitias temporales: plures vxores & similia multa quæ nobis interdicuntur? Præterea sæpè loquebatur & apparebat eis, protriuit hostes eorum. Quæ cùm iam modo contrario fiunt, diuini iudicij remunerationem negant, & Deum hominis actus non curare, nescireq; eum, quid in occultis geratur, immo iudicium eius nequaquam iustum videri, quandoquidem peccatoribus affluentiam permittat diuitiarum, sanitatem, honores, multitudinem prolis: contrà autem pios degere inopes, inhonores, sine liberis, infirmos corpore, luctu frequenti? Quæ quæstio sanè mediocris non est, cùm tres illi Reges amici Iob, propterea eum peccatorem pronunciabant, quia inopem factum ex diuite, orbatum

batum liberis ex fœcundo parente, perfusum vlceribus, inhorrentemq; vili cibo, ac exaratum deniq; vulneribus à capite vsq; ad pedes videbant &c: Laudatur sanè Plato, quòd in politia sua posuit, eum qui contra iusticiam disputandi partes suscepisset, postulare veniam delictorum quæ non probaret, & veri inueniendi atq; examinandæ disputationis gratia, illam sibi impositam personam dicere. Sic Iob proponit assertionem, ac non eloquentiæ phalerandæ gratia, sed veritatis probandæ ergò, multa adducit quæ contumeliosa in Deum videntur, sed mox ipse capite 21. quæstionem enodem reddidit, subijciens quòd extinguatur lucerna impiorum, & futura sit eorum euersio Non falli Deum authorem sapientiæ & disciplinæ, sed esse veritatis iudicem. Non igitur secundum forensem abundantiam æstimandam

mandam beatitudinem singulorum: sed secundum interiorem conscientiam, quæ innocentum & flagitiosorum merita discernit, vera atq; incorrupta pœnarũ præmiorumq; arbitra. Sic Iob respondit &c. Ecclesiastes autem vt similia quoq; euertat, ac quid de diuina prouidentia sentiendum sit, perspicuum faciat, (inquit) Ne dicito quid est, quòd dies priores, *scilicet, Abrahæ, Isahac, Iacob, Mose & prophetarum, meliores fuerunt hoc seculo? Fuerunt enim illis temporibus, multi quoq; increduli & pauci fideles, sunt enim hodie plures fideles, quàm ea ætate, licet quoq; non desint infiniti diffidentes. Nunc tempus est gratiæ, tunc rigoris & legis. Nunc victus est diabolus, tunc regnabat vt dominus. Nunc aperta est ianua paradisi, tunc erat clausa. Verùm si dicas, quòd fiebant illis priscis patrum nostrorum temporibus,*

plura

plura miracula? Respondeo, opus erat sanè miracula fieri. Causa autem diuersitatis huius, est sola voluntas Dei, & sapientia & potentia eius, quâ cuncta ordinat & moderatur, prout videt suæ reipublicæ expedire: Omnia enim ad gloriam suam & nostram vtilitatem dirigit. Facit enim sicut potentissimum, optimum, sapientissimumq́ decet facere &c: De antiquorum verò felicitate si quis attenderit, quàm bene illa ipsi vsi fuerunt, & nos, quàm malè nostra vtamur felicitate, perspicuè & planè intelliget, nos ipsis omnibus impares esse modis. Nam sicut Bernhardus eleganter poscit: Da mihi vnum Timotheum, & ego cibabo eum auro, & potabo balsamo: Sic & Ecclesiastes inquiet, da mihi vnum Abrahamum & Dauidem, & ego dabo ei omnes mundi diuitias, delicias & gloriam. Præterea imbecillitas huma-

tas humani generis, non fuit deterrenda in principio austeritate, sed quasi edentula pascenda sorbiciunculis, nunc verò populus Dei quasi adultus, non lacte pascendus est, sed ad mensam patris inuitandus, & virili ac magnifica strenuitate exercendus. Ætas enim ista iuuentutis & virilitatis est, & apta bellis, non cunabulis. Qui igitur causatur tempora præterita, meliora fuisse præsentibus, eò quòd ista sint arctioris disciplinæ, illa verò amplioris licentiæ: idem est ac si causaretur: cur non omnia tempora humanæ ætatis deducantur in cunabulis, & cur maiora imponantur prouectis & exercitatis, quàm teneris & nouitijs. Si postremò quærat aliquis, quare modò ita multiplicentur flagella in mundo? Respond. Crescentibus delictis, iustè etiam multiplicari pœnas, ac ideo superfundi aquam tribulationis, vt

nis, vt extinguatur incendium voluptatis & cupiditatis, immo propterea salem tribulationis superaspergi: vt putredo & vermes carnalis concupiscentiæ moriantur &c.

VERS. XI.

Bona eſt ſapientia cum hæreditate, & præſtantia eſt eorum qui vident ſolem.

VERS. XII.

Quia in vmbra ſapientiæ: & in vmbra pecuniæ protegitur homo, ſed excellentia eſt ſapientiæ, quæ viuificat ſuos poſſeſſores.

PRolepsis qua occurrit obiectioni. Cùm enim in primo capite dixerit, sapientiam esse afflictionem, quia sæpè falluntur homines & subinde non respondent euentus bonis consilijs,

videtur

videtur deterrere homines à cura discendi & gubernandi. Immo inquit præcipio vt discatis, gubernetis Ecclesiam, communem societatem, œconomias &c: quod certè absq; sapientia fieri nequit. Ex quo apparet, quantum à possessionibus opum sapientia differat, quæ illis tantò sit clarior, quantò vmbra sua splendidius apparet argentum. Non enim vita nostra diuitiarum subsidio, sed sapientia subsistit. Hæc enim eripit à periculis, exstruit ciuitates, protegit habentem. Habet autem adhuc amplius sapientia, viuificantem scilicet cognitionem siue scientiam, dum persuadet visibilia cuncta contemnere, solam veram suspicere vitam æternam. Egregia sanè hæc commendatio est sapientiæ, quæ non in aulis Regum, sed in scholis traditur, in quibus iuuentus ad pietatem & timorem domini optimè educa-
tur.

tur. Scribunt historici, temporibus Caroli Magni, duos Scotos ex Bedæ discipulis, Claudium & Iohannem venisse ex Hibernia in Galliam, viros in literis sacris & disciplinarum omni genere, supra modum doctos. Qui in ciuitatibus per plateas clamabant: Si quis sapientiæ cupidus est, veniat, loquebantur autem non de humana sapientia, sed de ea quæ à Deo est. Fama de his permanauit ad Carolum Magnum, qui vocauit eos, dicitq; se veræ sapientiæ cupidum esse, venalem ne habeant? Respondent venalem habere, sed ijs, quibus non est pecunia, gratis se dare. Imperator auditis illis per aliquot dies, probauit spiritus eorum, iudicauitq; bonos ac pios esse, quare gratias egit Deo, quòd miserit illos ad se. Rogauit igitur eos, quidnam pro sapientia postularent? Responderunt ingenia & amicos, capaces

doctrinæ cœlestis & vtilium artium. Illorum igitur alterum præfecit pueris nobilißimis, quos putabat ad rerum gubernationem aliquando peruenturos. Magni enim referre iudicauit sapiens imperator, rectè & sapienter institutos eos, qui alios regere deberent. Alterum verò Iohannem, misit in monasterium, vbi scholam Theologiæ ac philosophiæ apperuit. Ex qua non pauci viri docti euaserunt, ex quibus initium habuit Parisiensis schola. Hæc cura Caroli pro sapientiæ propagatione, meritò consideranda est, cuius tempore, insignes doctrina & pietate viri, paßim in monasterijs inueniebantur, ac imprimis doctrinæ & pietati erat honos & præmium apud potentatus, cauebaturq; diligenter, ne ad Ecclesiastica ministeria leues & improbi admitterentur homines. Quod vtinam hodie fieret, rectiùs

fortè

fortè se res humanæ haberent. Quare Deum oramus, vt principum mentes dirigat, & harum ac aliarum rerum cogitationem vtilem, pectoribus eorum instillet. Est enim sapientia, vt Salomon inquit, velut vmbraculum, sub quod, aduersus omnes tempestates est refugiendum: & quamuis externa etiam illa vt pecuniæ & opes, ad quietem, multum in aduersis rebus comparandam conferant: Sapientia tamen ea demùm est, quæ veram vitam suppeditat ijs, qui sunt ea potiti. Hæc autem sapientia, quæ summum & sempiternum bonum, Christum nimirum Iesum prædicat, quid putemus fuisse causæ, cur tot ingenijs philosophorum, totq; temporibus summo studio & labore quæsita, non reperiretur, nisi quòd eam philosophi extra suos fines quæsiuerunt? Qui quoniam peragratis & exploratis omnibus, nusquam illam

sapientiam comprehenderunt, & alicubi esse eam necesse est: apparet illic potissimum esse quærendam, vbi stulticiæ titulus apparet, cuius velamento Deus, ne arcanum diuini sui operis in propatulo esset, thesaurum sapientiæ ac veritatis abscondit. Vnde etiam soleo mirari, quòd cùm Pythagoras & postea Plato, amore indagandæ veritatis accensi, ad Ægyptios, Magos & Persas vsq; penetrassent, vt earum gentium ritus, & sacra cognoscerent (suspicabantur enim sapientiam in religione versari) ad Iudæos tantùm non accesserint, penes quos tunc solos erat: & quò faciliùs ire potuissent. Sed auersos esse veri simile est, diuina prouidentia, ne scire possent veritatem, quia nondum fas erat alienigenis hominibus, religionem Dei veri, iusticiamq; cognoscere. Statuerat enim Deus appropinquante vltimo

tempore

tempore, ducem magnum cœlitus mittere, qui eam perfido ingratoq́ populo ablatam, exteris gentibus reuelaret.

VERS. XIII.

Considera opera Dei, quis enim posit dirigere quod curuauerit?

AB impoßibili definit eam saltem veram esse sapientiam, quæ acquiescit in eo quod Deus exhibet. Quare & contrariam, inutilem & impoßibilem ostendit. Fuerunt permulti, qui videntes enormitates rerum magnas, contingere in vita mortalium, dum nollent authorem malitiæ & iniusticiæ Deum asserere, egregiè se putabant illius partes tueri posse, si in aliud blasphemiæ genus ac stulticiæ laberentur. Dicebant enim neque à Deo mundum creatum esse, neq́ vlla Dei prouidentia gubernari.

Si enim curam gereret Deus rerum humanarum, cur, inquiunt, non omnes æquè diuites statuisset? curué non omnibus vegetam tribuisset ac prosperam corporis sanitatem? Hanc vt radicitùs tollat opinionem noster Ecclesiastes, manifestè asserit esse Deum mundi authorem, nec posse quenquam corrigere quæ sunt prauè obliquata, illo excepto. Quare si velis planè cognoscere, omnia nobis in vtilitatem nostram Deum dispensare, adyce animum ad ea quæ protinus insequuntur, sic enim loquitur.

VERS. XIIII.

Tempore boni versare in bono, tempore autem mali vide, etiam hoc ex diuerso illius facit Deus ipse, ea ratione, vt non possit assequi homo, eorum quæ instant sibi quicquam.

Necessaria admonitio. Nam animales homines, nihil cum discretione faci-

ne faciunt. Arridente siquidem fortuna, insolescunt non curantes nec Deum, nec homines, ac si prorsus sint securi, aut nullam aliquando suborituram tristiciam. Contrà mutata fortuna, despondent animum omnis consolationis expertes, adeo vt interdum seipsos perimant. Cùm igitur euentus vocationis tuæ sint secundi, age Deo gratias, & eo bono vtaris, nec confidito rebus secundis, nec hac stulta fiducia elatus, premito alios aut moueas non mouenda, vt faciunt Xerxes, Pompeius, principes ac multi nobiles olim Heluetici, quorum intolerabilis fuit tyrannis. Nihil enim proprium erat cuiquam, sed quicquid placebat nobilibus, castrorum præfectis, in villis colonorum & rusticorum, rapiebant ceu suum, nec impunè quisquam interrogare audebat cur facerent? Si quis habebat bouem pinguiorem & nitidiorem, aut

aliud pecus, abducebant, si quis butyrum aut caseos reposuerat, abripiebant & mittebant in Rhenanas vrbes, commutabantq́; vino, quo se implebant quotidie. Si quis habebat vxorem aut filiam formâ aliqua, inuitabant in arces, nec marito aut parenti licebat quicquam mali vel suspicari, aut etiam rogare filiam coniugemué quid in arce fecerint, curué tamdiu cessarint? Hæc magna fuit tyrannis, propter quam nobilitas ferè in Heluetia deleta est, colonis sese opponentibus, & iuxta hanc admonitionem Ecclesiastæ gerentibus. Nam postquam hanc paulatim tyrannidem sustulissent, magno cum timore & tremore Deo gratias egerunt, cui dederunt gloriam in ieiunijs & aßiduis orationibus, illum precantes humiliter, vt fortunaret & dirigeret vias suas. Cauent ne quenquam iniquè agendo offendant,

fendant, iniuriam patientes iuuant, vi- ctis ignoscunt, omnia suspecta habent, fortunæ mutationem & instabilitatem perpendunt. Etiam hoc ex aduerso illius facit Deus ipse. *Ratio ad vtramq; par- tem, quasi dicat, noli efferri bonis & prosperis, quia etiam malam diem fecit Deus. Econtrà noli desperare in aduer- sis, quia & bonam diem simul quoq; De- us fecit et habet. Pulchrè autem vtrumq; Deo tribuit, ne quis vel suis viribus bo- nos dies sibi parare, vel malos effugere posse præsumat. Mundus quidem bona suis viribus, mala autem vel dæmoni, vel malis hominibus, vel fortunæ ascribit, sed aliter iudicat scriptura. Sed sequitur.* Ea ratione vt non posit assequi homo. *Causa finalis cur Deus nobis illa occul- tat, ne videlicet cognoscat homo quæ sibi sint euentura. Congruè in Deum atq; ap- positè, quod videtur nobis malū adducit,*

post id quod visum est nobis bonum. Contraq́ nonnunquam bona malis superinducit, exempli gratia, bene quis valet, & hoc fruitur bono, piè viuens, pauloq́ pòst in aduersam incidit valetudinem, vel de opulento pauper efficitur. Et quid ita nobis hæc euentura non præuidemus? curué horum euentuum causas ignoramus? certe ad maiorem nostram commoditatem. Si enim quæ ventura nobis essent præsciremus, nullus Dei nobis inesset metus, nulla religio. Hac autem perutili rerum ignoratione conclusi, cùm ad singula pendeamus, & Deum pio colimus metu, cognoscimus ab eo & quidem solo, nobis malorum omnium finem futurum: Nullus quippe potest, illo excepto, quod peruersum est, in hominibus emendare. Consonum est itaq́ quod esse videtur dissonum, & æquale est quod inæquale videtur.

detur. Vnde omnes eodem pacto communiq; futurorum ignoratione commonentur ad modestiam & timorem Dei. Quare iam subsequitur.

VERS. XV.

Hæc omnia vidi in diebus vanitatis vitæ meæ: Est iustus periens in iusticia sua, & est scelaratus prorogans (dies) in improbitate sua.

Συμπέρασμα *à sua experientia, ita conclusum.*

Si aliquid fuisset nouum in rerum humanarum perturbatissimo statu, ego sanè viuens hanc atq; cæteri vanitati obnoxiam vitam, illud vidissem.

Sed non vidi. Non igitur nouum est, probos videlicet integritatis suæ occasione pereuntes interire, & econtrario sceleratos diutissimè sua ipsorum improbitate florere. Et per consequens non

hoc nouum est aut mirabile, sed iustum & diuinæ iusticiæ consentaneum. Sicut enim aurum exuritur, & contunditur ac luto parcitur: quia de auro purgato fit, vas honorabile, non de luto. Et sicut ferrum quamdiu calidum est & candens, instanter malleis tunditur & dilatatur, ferro autem frigido parcitur: In hunc modum faber mundi, qui fabricatus est auroram & solem, iustos viros igne fidei & charitatis candentes, malleis tentationum, tribulationum & persecutionum instanter contundit, frigidis autem & induratis parcit. Non igitur vel nouum vel mirum est, si victor ad coronam vocatur, si emeritus ad quietem assumitur, si fructus maturus in horreum colligitur, si aurum deniq; probatum aut vas fabricatum reponitur in thesaurum. His de causis non nouum est iustos perire,

de qui-

de quibus testimonia præsentiæ Dei manifestiora habemus. Paulus antea reuocauit mortuos in vitam, fuit igitur curæ Deo, & erit etiamsi interficitur à Nerone. Sed hæc mundus non intelligit, sed vehementer obstupescit & admiratur quòd viri sancti, tam Deo necessarij quàm Ecclesiæ eius vtiles, miseriarum telis adobruantur, excarnificentur, mutilentur, & sæpè crudelissimè trucidentur: Impij autem viuunt sublimati, confortatiq́ diuitijs ac delitijs, semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba & nepotum in conspectu eorum. Hæc sine verbo Dei homines animales non intelligunt. Hinc alij prorsus tollunt prouidentiam Dei, alij autem ita disputant, vt in examinanda prouidentia, suam cæcitatem infeliciter semper prodiderint. Sic nonnulli philosophi prouidentiam in nimis angustum coëgerunt

runt angulum, permittentes quidem Deum omnia ex alto diſpicere, præterea infinitam potentiam adiunctam concedentes, quâ, multa mirabiliter hinc inde fiant, at plenum ius quotidianamq́; adminiſtrationem, ſeu vt craſsiùs loquamur, ipſam contrectationem negotiorum ab eo ſepararunt, neſcio quibus alijs Dijs, ſeu poteſtatibus inferioribus, hæc omnia officia delegantes, quibus quæcunq́; hîc fiunt, accepta ferri debeant. Ariſtoteles & eius ſectatores tribuunt videlicet Deo, adminiſtrationem rerum ſuperarum & cœleſtium, quæ Dei domicilio (quod omnes agnoſcunt cœlum) ſunt proximæ, quod verò vlterius progreditur, deſcendens ad inferiora, vbi terram & res terrenas colluſtret atq́; ordinet, id tanta maieſtate indignum arbitrantur. Breuiter aſſerunt vſq́; ad lunam, eius deſcendere pro-

uidentiam. Plato referente etiam Gregorio Niseno & Iustino, aliter adhuc prouidentiæ functiones est partitus. Primò enim constituit quandam prouidentiam summi Dei, occupatam præcipuè in gubernandis cœlestibus & incorporeis, præterea verò & in vniuersali administratione, primariarum totius mundi partium, vt rerum genera ac species, sempiterna successione conseruarentur. Si hic substitisset Plato, tolerabile hoc dogma videri poterat, vtpote conueniens cum illis, qui Deo vniuersalem prouidentiam attribuunt. Verùm ille quasi diffidens de Dei potentia, aut quasi veritus Deum ægrè laturum, si ei etiam minutiorum rerum cura demandaretur: constituit secundam quandam prouidentiam, nitentem rebus etiam singulis, quæ toto hoc mundo generantur. Hanc prouinciam sentiebat dele-

gatam

gatam Dijs quibusdam inferioribus, cœlestium corporum motus imprimis gubernantibus, deinde vim in inferiora omnia conuenientem infundentibus. Ex quo factum, quòd tutelares Deos plures cæca vetustas finxerit, Saturnum quidem præficiens sationibus, Mercurium negotiationibus, alios aquis, alios deniq; rebus alijs. Postremò constituit & tertiam prouidentiam pro hominibus, eorundemq; actionibus moderandis incubantem, alijs rursum Dijs aßignatam, quos græci dæmones, & ab officio διόπτους id est, ordinatores seu inspectores, nostri Genios & Mediastinos appellarunt. Vnde apud omnes inualuit opinio, suum cuiq; homini statim vt natus est, genium à Deo aßignari, qui actiones gubernet, arcanis consiliorum suggestionibus adiuuet, deniq; omnia ad bonum dirigat. De familiari

genio

genio Socratis item Pythagoræ, apud priſcos multa extant. Aliorum opiniones ſunt penè innumeræ. Cæterùm quantum aberrent hæ opiniones à veritate, quiuis vel tacentibus nobis iudicare poteſt, etiamſi non ex alia re, quàm ex aſſertione fati, ac inducta Deorum pluralitate. Non mirum igitur eſt, Eccleſiaſten tantopere vrgere hanc doctrinam de prouidentia Dei. Nam qui ſapiens eſt, rectéq; inſtitutus in cognitione prouidentiæ diuinæ, is obſeruabit omnia quæ in hoc mundo videt, Domini voluntate peragi, & proculdubio intelliget in omnibus etiam immiſsis calamitatibus, miſericordiam & bonitatem Dei ſingularem elucere: quod profectò eiuſmodi eſt, vt in eo mens tutò poſsit conquieſcere.

VERS. XVI.

Ne ſis

Ne sis iustus nimium, nec sapias nimium, cur enim stolidus comperiaris?

VERS. XVII.

Ne sis sceleratus nimium, neq; sis stultus nimium, ne moriaris in tempore non tuo.

Illatio hortatoria. Cùm virtus ipsa in mediocri quadam norma consistat, vitia vtrinq; aßident per exuperantiam & defectum, hortatur ne simus nimium iusti, hoc est ne exuberanti odio viciorum, omnem abijcias erga delinquentes beneuolentiam, tanquam rigidus & inhumanus. Nam iusticia versatur in medio inter negligentiam & crudelitatem. Nimia seueritas fit crudelitas, vt fuit in Aureliano & sacerdote illo, qui infantem non admisit ad Baptismum, de quo cùm Lutherus legisset literas Viti Theodori, profundo gemitu exclamauit: Heu

Heu quàm furit Satan, & impellit securos homines ad horrenda flagitia, quæ corpus & animam perdunt. Recitatis autem literis illis, casus tragicus fuerat de vidua quadam, quæ grauida ex scholastico facta, cùm infans ad Baptismum delatus, à sacerdote flagitante sibi patrem infantis indicari, domum sine Baptismo ad matrem remissus esset, indignitate rei mota & furijs percita, & infantem occidit, seq; illicò suspendit: quo comperto patre infantis seipsum quoq; confodit: & sacerdos rescíscens quæ tragediæ ex sua culpa & impetuosa flagitatione ortæ essent, se etiam suspendit. Qui igitur nunquam fraternis ignoscere peccatis vult, sed omnia vindicare secundum furorem animi sui, plus iustus est quàm decet: sed nimia quoq; indulgentia, quæ non punit atrocia delicta, confirmat facinorosos. Huc pertinet

 dictum

dictum Eſchinis οὐδὲν ἐστὶν ὄφελος πόλεως, ἥ τις μὴ νεῦρα ἐπὶ τοὺς ἀδικοῦντας ἔχει. *Inſtabilis eſt ciuitas quæ non habet neruos ſuper delinquentes. Nam cùm homines degenerent in eam peruerſitatem, vt verbis & admonitionibus flecti nequeant, neceſſe eſt ad pacem & tranquillitatem communem, publicam & priuatam, vt vi & potentia deducantur à malo & ſceleribus. Vt ſi fur non ceſſat à furto, ſuſpendendus & tollendus eſt. Homicida gladio feriendus. Et in hoc officio magiſtratus non debet eſſe ſegnis & piger, ne auferat Deus ab eo gladium, & ipſe ſit vindex, id quod graue & durum eſt. Sed ſequitur ſecunda* προτροπή. Ne ſis nimium ſapiens, *Hoc de duplici ſapientia intelligi poteſt, politica ſcilicet & diuina, politicam non prohibet, ea enim neceſſaria eſt in externis: Sed tamen monet, ne plus*

æquo nostræ sapientiæ confidamus. Certum enim est, quòd aliquando sapientissimi, cùm plus æquo vellent esse sapientes, magna incommoda intulerint. Vt enim nimia seueritas fit crudelitas: Ita nimia sapientia, id est subtilitas, fit cauillatrix, rixosa & sophistica, leges bonæ sunt vt dicit Menander, sed si quis eas nimis subtiliter interpretatur fit sycophanta, vt Cochlæus adulator interpretabatur decretum: Sacerdos ducens vxorem suspendatur: de patibulo videlicet. Quæ interpretatio sophistica fuit, cùm decretum intelligat suspensionem, vacationem publici officij &c. Si textus intelligatur de sapientia diuinitus reuelata, sensus est: vt quæcunque nostram ad vtilitatem, diuinus sermo nobis voluit esse occulta, ne soliciti simus ea inquirendo. Hæc enim perscrutari, stupor est quidem ac phreneticæ

mentis delirium, sed neq; circa dogma-
ta opinionesq; sectarum, multum commo-
rando sis impius ac superstitiosus, sed ex
oraculis diuinis, studeto quæritare quid
verum est, curatoq; vt salubri pœniten-
tentia tua deleantur delicta. Noliq; esse
durus, hoc est qui emolliri nesciat, quiq;
aduersetur spiritus sancti doctrinæ,
qualis esse solebat impia pertinacia ho-
minum fanaticorum in supplicijs, vt
Serueti & Anabaptistarum. Est autem
Michaël Seruetus, anno 1552. Gene-
uæ combustus, qui vt ad locum supplicij
venit, hortante Vuilhelmo Farello,
Christum æterni Dei filium inuocare
noluit, & cùm pœnitentiæ signum nul-
lum daret, causam tamen ad populum
minimè defendit. Ne moriare in tem-
pore non tuo. *Vt subinde generali*
commonitione concludit, ita nunc facit
ac monet, ne si vel proterué reluctatus
fueris

fueris sanæ doctrinæ, vel negligenter rexeris mores, & nimium laxaueris frænos cupiditatibus, Deus te puniat vel per magistratum, vel immediatè morte subitanea ac immatura, sicut Dathan & Abiron, quos terra viuos absorpsit.

VERS. XVIII.

Bonum est vt istud apprehendas, & etiam ab illo ne retrahas manum tuam. Qui enim Deum reueretur egreditur ab istis omnibus.

CVm proximè de vitio præceperit ac de virtute, nunc appositè occurrit obiectioni: ὑποφορὰ *: Si ergo neq; nimis sapientes, iustos & impios esse non decet, quid obsecro prohibet, quò minùs stulti ac impij simus? Huic obiectioni respondet:* Bonum est vt istud apprehendas, *id est mediocritatem negotijs ceu circumstantijs conuenientem quæ-*

ras. Vt autem iusticiam serues, medium teneto. Sed iusticia quæ medium, vt versatur inter hæc duo extrema, quorum vnum excessus est & πλεονεξία dicitur, cùm videlicet quis plus altero habet & iniustus est, alterum verò μειονεξία, cùm quis minùs habet & iniuria afficitur, vt si quis quinquaginta possideat coronatos, alter centum quinquaginta, medius habens centum, hoc æquabit aufferendo quinquaginta ab eo qui plus possidet, & dando illi qui minùs habet. Sed duplex est hæc iusticia: vna naturalis altera legitima. Naturalem appello superiorem, cùm quis tantùm possidet, quantum alter, quoniam natura quóad potuit iustam se omnibus præbuit, tot artus, tot membra, tot corporis partes omnibus natis distribuendo. Hanc iusticiam naturalem seruare in ciuitatibus difficile esset, quoniam crescit amor nummi, quantum

ipsa pecunia crescit, vt Iuuenalis scripsit. Iusticia verò legitima, est quæ fit, seruatis legibus vt malefici puniātur: Boni viri & qui Reipublicæ prosint, præmijs afficiantur, & vnicuiq; quod suum est reddatur. De hac habetur titulus apud iureconsultos de iusticia & iure. Hanc iusticiam summopere commendauit Hesiodus, & immortali Deo dixit supra modum placere. Hanc fuisse in Aristide Atheniensi legimus, qui vnus post hominum memoriam, cognomento δίκαιος appellatus est. Sed vt ad rem veniamus & repetamus quod sæpè diximus: magnoperè hîc animaduertendum est, nedum nimis iusti cupimus esse videri, transeamus ad id quod speciem vitij præseferat & pro iustis dicamur immites, crudeles & sanguinarij. Nam & municipalia nostra decernunt, si quis fenestras alicuius gladio fregerit, vel fores aut

limina læserit, capitali pœna afficiatur. At fieri poterit vt aliquis non certè malus, sed vel prouocatus, aut ebrius, idem factitet. Vnde illũ lex damnat rei capitalis. Consideratis autem diligenter delictis pro ratione circumstantiarum, inuentum est ab his, qui clementes & humani verè appellari possunt, quod græcè dicitur τὸ ἐπιεικὲς, id est æquum & bonum, quod est quasi legis supplementum & correctio. Lex enim generalis est, æquum & bonum particularia considerat, vt ille pecunia, exilio vel alijs modis mulctetur. Hac mansuetudine & clementia C. Cæsar laudatur & celebratur. Hac meritò laudatur sanctæ memoriæ FRIDERICVS Rex noster, qui sæpenumero lacessitus non nocuit, aut si quando nocere coactus est, graue crimen leuiore pœna condemnauit, imitatus Antonium imperatorem &c. Sed dicat aliquis,

quis, quomodo potest inueniri illa mediocritas seu virtus conueniens circumstantijs? Respondit: Qui enim Deum reueretur, egredietur ex his omnibus, *id est timens Deum intuetur legem diuinam, & simul regitur spiritu sancto. Quare & rectè vtitur sapientia & iusticia, nec hoc, nec illud negligit. Vnde sequitur timere Deum nihil aliud esse, quàm regere suam vitam verbo Dei, & obedire voluntati Dei, in tota vita & omnibus actionibus, & expauescere cogitatione iræ Dei aduersus peccatum, atq; ita se Deo subijcere, & delicta vitare, cùm pietatis amore, tum metu iræ ac iudicij diuini.*

VERS. XIX.

Sapientia roborat sapientem, præ decem sapientibus in ciuitate.

Aliud encomium sapientiæ à dissimilium collatione, nimirum non

tantùm præstare ad ciuitates & regna conseruanda, decem fortißimorum virorum præsidia, quantum sapientiæ beneficium. Talem sapientiam nominamus, non tantùm eam quæ est humani cerebri propria, sed quæ ex verbo Dei percipitur, quam alio nomine veram in Deum fiduciam appellamus. Hac sapientia præditus fuit optimus & pacificus princeps, Fridericus I. horum regnorum moderator sapientißimus, qui audiens Christiernum secundũ, magnum conflasse exercitum, ad repetendum regnum suum, in eo casu ac discrimine constitutus, vera spiritus sancti sapientia illustratus dixit, Regem suum Deum pro se pugnare, cumq́ persuasum haberet, sciretq́, quòd ab illo ad regnum perductus esset, fore etiam non dubitabat, vt idem in regno se conseruaret ac tueretur aduersus omnem vim atq́ potentiam.

tentiam Huiusmodi sapientia consummata est ratio, quæ Deum in omnibus actionibus & consilijs scopum habet, in quem cogitationes omnes & actus dirigat, quo maximè tendere debet omnis conatus humanus. Nam ab illo seiuncti bulla euadimus, & si quid bulla compertum imbecilliùs est. Sicut igitur vitem commendabilem fertilitas facit, sapor vinum, velocitas ceruum, & alia alijs propria: ita hæc sapientia, hominem animumq; excitat, ne vndiq; inscitiæ caligine circumfusa lapsitet. Est quippe imbecillis adeo & hebes prorsum ratio humana, vt nullum nullitatis suæ remedium habeat, nisi quandam diuini luminis portionem desuper influentẽ, absq; qua nihil omninò à nobis diuini perfici potest. Deus enim est omnia, potest omnia ac implet omnia in semetipso & creaturis. Quamobrem idea felicitatis est ipsum sapere,

pere, cui sapientia qui se dederint, atq; legitimè vnionem per sapientiam ad illum fuerint consecuti, ipsi curæ sunt, proteguntur & defenduntur diuinitus, omnesq; eos infestantes punit Deus, quemadmodum puniuit Theodoricum vel Ditricum Veronensem, quem sapientes sapientiæq; studiosos, singulari odio habuisse tradunt historici, quòd idoneos putauit, qui regnum affectarent, quiq; propterea capitis supplicio affecit Boëtium, virum doctissimum in omni philosophiæ genere, & quosdam alios innocentes occidit, sed punitus est, quemadmodum semper iusto Dei iudicio fit, vt tyrañi qui tales viros doctos interficiant, perpetuò infames reddantur omnibus seculis. Nec enim Apollo inultos reliquit suos mystas.

VERS. XX.

Profectò non est vllus iustus in terra, qui faciat bonum & non peccet.

RAtio superioris commendationis ab alio sapientiæ effecto, quæ non tantùm vim humanam superat, sed etiam perpendens humanæ naturæ fragilitatem, non omnia ad amußim & rigorem legum reuocat, sed etiam omittentibus nonnunquam facere quæ deceant, ignoscit. Hoc præceptum valde necessarium est. Qui enim exactiùs omnia ad calculum exigit, nunquam committet vt omnia rectißimè fiant. Si vis viuere in politia, oportet te multa dißimulare & ferre, multa etiam ignorare. Intuere in te ipsum, & videbis quam sæpè etiam iniustè facias. Noli irasci si vides ea fieri quæ te offendunt. Neq; enim tu semper facis quod decet. Fingit Homerus lib. 9. Iliad: Aten validißimo corpore discurrere, & dißidia excitare, sequi verò litas diuinitus missas, quæ hortantur vt redeant homines in mutu-

in mutuam gratiam, & addit Poëta: Litas magna beneficia impertire obtemperantibus, & vicißim eos exaudiri, si quid à Deo petant. Alijs verò qui non obtemperant imprecari, vt Ate de eis pœnas sumat. Hanc Homeri concionem non existimabimus fabulam esse, sed sententiam quam haud dubiè à vetustissimis illis parentibus, quibus vera religio nota fuit, acceptam recensuit, & poëticam addidit picturam. Quid enim vult aliud, quàm quòd toties præcipiunt sacræ literæ, vt simus placabiles & obliuiscamur iniuriarum. Hoc officio ita delectari Deum, vt vicißim nobis rogantibus, det erratorum veniam, & multa largiatur beneficia. Rursus autē implacabilibus placari nolle, & eorum potentiam asperitatemq; animorum punire. Extat in historijs insignis commonefactio Friderici imperatoris,

cùm

cùm fratrem Cunradum, hominem agre-
stem & ferocißimum in ducatum Sue-
uiæ inuestiret, conuocatis proceribus suis,
admonuit eum, vt persuaderet sibi cru-
delitate non stabile esse posse regnum,
sed humanitate & iusticia, præcipuè a-
pud homines altiore ingenio præditos.
Adhortatus quoq; eum est, vt operam
daret quàm charißimus subditis esse,
quoq; sublimiore loco positus sit, hoc mo-
destiorem oportere esse. Et vt studeat
quàm paucißimos lædere, quantum scili-
cet iusticia salua fieri posset, plurimis
autem prodesse, iuuareq; mortales diui-
num esse quiddam, nocere Satanæ pro-
prium &c. Et Agacicles Rex Lace-
dæmoniorum, interrogatus quomodo
quis tutò poßit imperare, grauißimè
respondit: si sic imperet suis, vt pater
filijs. Cæterùm iam non opus est vt com-
mendemus simulationem insidiosam.
Illa

Illa enim vbiq; regnat. Nam vsitatum est in negotijs iniustis, sæpè speciosas causas prætexi, quas vocat Thucydides, σχῆμα πολιτικὸν τοῦ λόγου, id est, vt Philippus interpretatur, **Eine rechte hoff rede.** Et Oedippus apud Sophoclem queritur strui sibi insidias melioribus verbis, id est τὰ σκληρὰ μαλθακῶς λέγεσθαι, **Ein ding eine farb an streichen.** Henrici imperatoris sexti, quidam Italorum, virtutem maiorem esse videntes, quàm vt superari posset, dolo eum inrerficere statuunt, multis in eius necem coniurantibus. Hoc vbi cognouit imperator, sedulò dissimulauit, nec vultu, nec verbis, vllam illis significationem iræ suspicionisq; dedit. Principum frequentibus conuocationibus habitis, semper vnum aut duos coniuratorum adhibuit & dimisit vt reliquos. Sicq; in consuetudinem ducti sunt conuentus, illi,

illi, vt postremò omnibus coniuratis conuocatis, nihil sinistri in mentem venerit. Quos tandem correptos in vinculaq; coniectos, exquisitis memorabilibusq; supplicijs affecit. Quosdam enim cute viuos exuit, alios exoculauit, alios alijs membris mutilatos viuos in exilium ablegauit, alios lento incendio enecauit, quosdam vectibus humo affixos, longis & ingentibus doloribus affecit. Hæc crudelitas fuit necessaria. Sed si non nouisset ad tempus tegere & dissimulare, hoc seminarium rebellionis, vix è medio sustulisset.

VERS. XXI.

Etiam ad omnia verba quæ dicuntur, ne dato cor tuum, nec audito seruum tuum maledicentem tibi.

Alterum documentum secundæ partis de πολυπραγμοσύνῃ, *qua prohibet*

Salomon, ne ſcilicet curioſè, vel quæ de nobis pernicioſè vel alijs dicantur inquiramus. Encomia enim & vituperia noſtra gladius & ignis ſunt, quibus cor confoditur & vritur, & laus hominis ignis eſt. Vnde prouerb: 27: Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum: Sic homo ore laudantium. Prouerb: 16. In labijs impij ignis ardeſcit: Rumores igitur qui de nobis dicuntur inquirere, nihil aliud eſt quàm ignibus & iaculis ſpontè ad comburendum vel confodiendum ſe exponere. Inueſtigare etiam quid de alijs dicatur, penè idem periculum habet. Quoniam aliorum laus nos vrit, quandoq́ inuidia & infamia aliorum nos contaminat conſenſu aut placentia. Vacare ergo talibus, nihil aliud eſt, quàm venena ſitire, & cyniphes aut muſcas venari. Deniq́ cùm infamia fœtor ſit, fama verò

odor

odor qui talia perscrutantur, sunt velut canes, qui omnia sibi occurrentia olfaciunt, & ad singula suas nares applicant, quomodo non fieri potest quin sæpè in fœda & contaminata incurrant. Monet igitur hîc Salomon, nares auertendas à fœtore infamiæ & odore laudis humanæ. Vtrumq; enim animam primum inficit, ac tandem interficit. Monet autem quatuor vitanda hoc versu. Primum ne omnium dicta & nutus aucuperis, quòd multi sanè faciunt, qui plus ex hominum de se existimatione mouentur, quàm vel Dei verbo, vel conscientiæ puritate, quare & hypochritæ sunt, & varias hominum induunt laruas. Philoxeno mortem intentabat Dionysius, quòd eum versus proprios recitantem, absurdos quidem & inconcinnos, laudantibus cunctis solus audiret immobilis. Hæc igitur magna fuit ambitio, quæ perniciosa vitio-

rum eſt altrix. Non malè igitur Ammianus inquit, ea demum laus grata eſſe debet poteſtati excelſæ, quum interdum & vituperationi ſecus geſtorum pateat locus. Siue igitur bene ſiue malè de nobis loquantur homines, non moueamur, & eiuſmodi ſermunculos Vlyßis exemplo, obturatis auribus prætereamus. Vulgus ſanè vt rectè Franciſcus Petrarcha inquit, quicquid cogitat vanum eſt, quicquid loquitur falſum, quicquid improbat bonum, quicquid prædicat infame eſt, quicquid agit ſtultum. Secundò probibet αἰσχρολογίαν ἢ τραπελογίαν, quæ & audientes contaminat & verecundiam paulatim ſurripit. Tertiò monet propria facienda, id eſt ſapientiæ auxilio confortatus, fac quæ diuinitùs præcepta ſunt tibi, & vel ad bona vel ad mala præpara cor tuum, & non cures quid de te loquantur alij. Quartò pro-

hibet

hibet sermonem maledicum & blasphemum, quem Deus minimè permittit inultum, sed diabolum permittit grassari in maledicos. Tempore Lutheri scribitur duos certasse adolescentes, fingendis nouis execrationum modis, quorum alter mortuus est, alter redactus ad insaniam. Ac Dn̄. Philippus narrat se puerum, Tubingæ vidisse adolescenti præscindi linguam, quòd insolitas protulisset blasphemias. Dicit ergo Salomon, etiam ad omnia verba, *quæ dicuntur, scilicet de te vel alijs, in laudem vel vituperium.* Ne dato cor tuum. *Ad inquirendum quid dicitur, credendum vel ad iudicandum. Conuitium persæpè cùm auditur, animū turbat. Si igitur quispiam in quemlibet sibi couitiantem, ira succendatur, in multos cadit labiturq́; descensus, à sublimi sede rationis detractus, in iracundiæ passionem, atq́; ita tristi turbulentia implet*

 cor suum

cor suum. Nec audito seruum tuum maledicentem tibi. *Serui maledictio profundiùs & periculosiùs vulnerat. Nam quatò magis noster est qui maledicit aut detrahit, tantò intolerabilior est detractio eius. Sapiens igitur & humilis, si malum de ipso dicatur, discat illud dici ad bonum suum & ad vindictam peccati sui. Sic Dauid cùm malediceretur à Semei, 2. Sam. 16. dixit: dimitte eum vt maledicat mihi iuxta præceptum domini, si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna.*

VERS. XXII.

Nam etiam sæpè nouit cor tuum, quòd tu quoque aliis maledixeris.

Hypothesi siue quadam comprobatione concludit hanc partem, sumpta à testificatione cuiusque conscientiæ,

per quæ

per quæ quis peccat per eadem & torquetur. Sap. II. Cogita autem, quòd & tu frequenter alijs conuiciatus fueris & imprecatus, atq; ideo in melius resipiscens, amplectere maledictorum omnium & iniuriarum obliuionem. Vnde sequitur quòd paratus vnusquisq; esse debeat ad indulgendum maledicentibus, quia & ipse simili indiget indulgentia.

VERS. XXIII.

Omnia illa probaui in sapientia: cùm dicerem sapio, ipsa longinqua erat à me.

HIc versus est confirmatio vanitatis rerum omnium sub sole, & primum à singulari suipsius experientia, hoc versu, deinde à communium exemplorum obseruatione ad finem capitis. Sed de sua sapientia ita testatur, vt in-

dignantis quasi personam ostendat, ac doleat se vitæ tempus in ijs impendisse, quæ triuialibus, trabali fixæ clauo videntur. Nam cùm cœlestium rerum & sensibilium cognitionem attigisset Ecclesiastes, & ex parte aliqua sapientiæ magna mysteria prospexisset, contemplatus illius patentißimum pelagus, quòd quantò quis vlterius processerit, tanto illi maiora spacia relinquuntur, exclamat & patefacit suam ignorantiam & vitæ errores, vt qui longè inferiores sunt, humiliter de se sentiant, & se quam longißimos à sapientiæ perfectione agnoscant, in cuius indagatione, sapientes mundi stulti facti sunt, quia solo naturali documento secundum elementa & speciem mundi incedentes, exemplarijs gratiæ exuti, cæcutierunt. In quibus & si humilis erat species, manifestior tamen præstabatur veri-

tatis demonstratio. Duo siquidem simulacra cæcis fuerunt mortalibus proposita: quod & superiùs est demonstratum, in quibus hac rerum obuoluti caligine, inuisibilia possent speculari: vnum naturæ, gratiæ alterum. Et simulacrum quidem naturæ, species est mundi huius. Gratiæ verò verbi incarnatio, & in vtroq; monstratur Deus, sed in vtroq; non intelligitur. Quoniam natura quidem specie sua artificem vtiq; nobis præsignificat, sed contemplantis oculos illuminare non potest. At enim saluatoris humanitas & medicina fuit, vt cæci lumen reciperent, & doctrina pariter, vt videntes veritatem agnoscerent: lutum ex sputo fecit, & cæci oculos liuit, lauit & vidit, ac demum videnti sed necdum cognoscenti ait: Ego sum qui loquor tecum, ipse est filius Dei. Prius itaq; illuminauit, deinde demonstra-

monstrauit. Natura quidem demonstrare potuit, sed illuminare non potuit. En sapientiam veram, quam non reuelat caro & sanguis, sed spiritus sanctus inspirat. Hæc sapientia perfecta est, hæc vera item felicitas, quæ ambrosia & nectare animum alit, hoc est diuina replet cognitione, ac inde voluptate perfundit fœcundissima inexplebiliter. Huius sapientiæ non omnes capaces sunt, sed si quis est (vt Nazianzenus ex Mose præcipit) Aaron, sese adiungat & propè adsistat, & boni etiam consulat, si extra nubem ei manendum sit. Si quis autem Nadabus est aut Abiudus, aut senum ex consilio, ascendat ille quidem, sed ita vt pro purgationis modo procul absistat. Quod si quis est vnus ex multis tam arduarum rerum contemplatione indignis, is si planè immundus est, ne quidem accedat, cùm sit
res peri-

res periculo coniuncta. Sin leuiter purgatus, montis ad radices subsistat, tantumq; vocem ac tubam nuda pietatis verba sonantem audiat, montemq; fumantem & fulgure coruscantem aspiciat, rem scilicet malum minantem & stuporis plenam ijs, quibus fas non est ascendere. Vides igitur non omnes dignos esse, qui res diuinas audiant. Atq; idem Paulus significare voluit cùm dixit: ψυχικὸς ἄνθρωπος, id est homo animi sui deditus affectionibus, eorum quæ spiritus sunt, non est capax. Sunt enim ei mera stulticia, sæpè etiam Christus ait, occupationes huius vitæ vnam esse causam, quamobrem nonnulli perfectiorem ad doctrinam non perueniant. Idcirco præcipit his, arcanorum pietatis fores aperiendas non esse. Fiunt enim audaciores & tumidiores, postquam doctrinam sacram perceperunt. Nam

homines

homines quidem rectè iudicantes & quibus mens est, diuinas res sibi patefactas venerantur, stolidi autem, quando igitur à natura sic comparati sunt, vt ad res diuinas intelligendas inepti sint, occultari ad eos debent, vt vel ideo eas venerentur quòd perspectas non habeant. Nescit enim certè porcus, quid sit vnio, quia verò nescit idcircò ne quidem eum aspiciat, ne incognitum pedibus proterat. Nam nihil efficitur quàm quòd malo maiori occasio detur, quum qui hoc pacto sint affecti, sacras res audiant: tractant eas per ludibrium summa cum contumelia, quippe qui prorsus quidnam sint ignorent. Nec hanc impietatem historiæ tacent.

VERS. XXIIII.

Remotum enim est id quod fuit, & quod profundissimum est quis inueniet?

Ratio

Ratio est cur tam procul abfuerit à sapientia, nimirum mentis humanæ caligo, quæ consequi res remotißimas, abstrusißimas & quasi in profundo mersas nequit. Hoc Paulus considerans Rom. II. exclamat: ô altitudinem diuitiarum, sapientiæ ac scientiæ Dei &c: Quis igitur, vt cum Iob loquar, ad extremum sapientiæ eius accesßit? Quis sapiens intelligit hæc, ac non per id quod percipi non potest, quod mensuram omnem excedit, metietur? Sed hanc sapientiam pauci attingunt, quia eam non quærunt, quomodo & vbi quærenda sit. Sed alij eam quærunt in solis libris, alij in longinquis regionibus, sicut Plato, Pythagoras alijq́; innumeri, vnde factum est, vt in multiplici errorum materia, tanquam vertigine correpti hæserint, & superuacanea mundi sapientia delibuti, multa contra Deum & eius administrationem

tionem

tionem disputauerint, dum alij casum atq; fortunam, fortuitò sanè temereq; confictam induxerint: Alij syderum principatum rationis expertem atq; inuiolabilem, res humanas arbitratu suo, immo etiam necessariò contexentem, & inerrantium quarundam atq; fixarum stellarum coitiones & recessiones: Alij quòd cuiq; in mentem venit, ærumnoso hominum generi inuexerint, quicquid nimirum ex ipsa prouidentia comprehendi conspiciq; nequit, in varias opiniones variaq; nomina partientes. Sed talium improbitatem, sapientiam apud Deum non quærentem, egregiè scriptura vlta est. Infatuatum enim est inquit ille, Rom. 1. insipiens cor eorum, dicentes enim se sapientes esse, stulti facti sunt, Deiq; incorruptibilis gloriam immutarunt, figmentis quibusdam atq; vmbris, prouidentiam ad omnia sese porrigentem

tem contumelioſè proſcindentes. Quare ſi quid nobis qui ratione vtimur, ac ſummæ rationis cultum profitemur, ratio curæ eſt, huiuſmodi dogmatum portenta fugiamus. Verùm ſequitur: Et quod profundiſsimum eſt quis inueniet? *Repetitio eiuſdem, non eſſe cuiuſuis attentare ſapientiam ob eius infinitam quantitatem. Sic Eccleſiaſt. 1. Arenam maris & pluuiæ guttas & dies ſeculi quis denumerarat? Altitudinem cœli & latitudinem terræ, quis dimenſus eſt? Sapientiam Dei ſuperantem omnia quis inueſtigabit? quaſi diceret, nullus ſanè. Confugiendum igitur eſt ad ſolidam ſapientiam qui eſt Chriſtus Ieſus, cuius ſimulacrum humana noſcitur aliquo modo ſapientia. Quam ſolam ſi quis perinde ac veram cupiat capeſſere, idem patietur planè quod ille, qui vt à Mythicis proditum eſt: Vmbram captans,*
dum ſæpè

dum ſæpè in aquas merſat, malè perijt. Sapientiam igitur poſtula à Deo, ſicut Dauid Pſalm: 24. Dirige me in veritate tua & doce me &c: ex qua hoc conſequêris:

Vt ſi fractus illabatur orbis
Impauidum feriant ruinæ &c.

VERS. XXV.

Circuiui ego & cor meum, vt ſcirem & inueſtigarem ſapientiam & ratiocinationem, & vt ſcirem impietatem ſtultitiæ & ſtoliditatem inſaniarum.

SEcundus locus confirmationis ab obſeruatione communium exemplorum. Arguit autem Salomon, ſe cum ſtultis & ſapientibus verſatum eſſe, ac nihil non tentaſſe, quò tandem aliquid boni inueniret. Sed inter alia permulta mala, hoc etiam reperijſſe incommodi, quòd mulieres totum mundum, ſapientes

& ſtultos

& stultos, fortes & sanctos in ordinem redigant, suoq; arbitrio regant: sapientes infatuent, stultos omni ratione denudent, & infra pecudum conditionem abyciant, vtq; hoc expreßiùs ponat, letali concupiscentia irretitum, in hoc ipsum volutabrum se incidisse queritur. Qua confeßione indicatur ab hominibus, omnes errores caueri & prospici non posse, sed alios sibi alias calamitatum & ruinarum causas, in tota vita accersere, & imprimis mulierum blandimenta non parùm ad eas impellere. Primò enim mulier, omnium quos sol vidit integerrimum ac sanctißimum virum seduxit, nempe Adamum. Secundò sanctißimum Samsonem. Tertiò prudentißimum Dauidem, Salomonem nostrum, Paridem, & alios innumerabiles. Ac mulieris illecebras esse mundo maiores, inde acutè admodum & scitè, nonnulli sibi

collegisse videntur, quòd Herculem, quem mundi magnitudo vincere non potuit, quiq; monstrorum malleus, prouerbio quodam & plausibili consensu celebratur, libido compresserit, cuius principatum vbi arripuit Omphale, post alias irrogatas molestias, ad operas muliebres eum prostituit, ac sandalijs egregiè domuit, sed possemus multa addere, quæ dum recitamus non bonas laceramus, quas scriptura summis celebrare laudibus non expauescit, sed à malo malos deterrendo, auctuarij vice sit Græcorum hæc particula:

Θησαυρὸς ἐστὶ κακῶν κακὴ γυνή,
Θηρῶν ἁπάντων ἀγριωτέρα κακὴ γυνή,
Θάλασσα καὶ πῦρ καὶ γυνὴ, κακὰ τρία.

Thesaurus est malorum mulier mala,
Feris omnibus immitior mulier mala,
Mare, ignis, mulier, mala tria.

VERS.

VERS. XXVI.

Inueni autem ego amarius quidem morte, nimirum feminam illam, cuius in animo (sunt) retia & plagæ, cuius in manibus vincti, qui bonus videtur coram Deo, ipse liberatur ea, peccator verò capitur ea.

EXigesis contemplationis de improbitate, putabam me finem consecutum esse improbitatis, diligenti perscrutatione facta in mulieribus omnibus, sed infinitam eam esse deprehendi in hoc genere. Comperi enim quiddam ipsa morte acerbius, feminam videlicet. Nam longè superat aculeos mortis mulier. Quia cùm mors tantùm separet animam à corpore, mulier certè separat Deum ab anima, & ita aufert ab anima dulcedinem vitæ spiritualis, quæ in infinitum maior est dulcedine corporali, quæ per mortem aufertur, ac proinde

amarior est morte mulier. Hanc amaritudinem mulieris considerans Cato, exclamauit: Si absq; femina (inquit) posset esse mundus, conuersatio nostra non esset absq; Dijs. Sed & Pacuuius flens, Arrio vicino suo ait: Amice, arborem habeo in horto meo infelicem, de qua prima vxor mea se suspendit, postmodum secunda, iam nunc tertia, cui Arrius: miror te in tot successibus lachrymas inuenisse: & iterum, Dij boni, quot tibi dispendia arbor illa suspendit: & tertiò amice, dede mihi ex arbore illa quos seram surculos? Non malè Arrium pronunciasse, quisquis, qui attentius obseruarit casus magnorum & excellentium virorum, iudicabit. Memorabile pertinacis & superbæ vxoris exemplum recitatur in historia Constantini V. cui fuit vxor Hirene Germana, principis Bauariæ filia. Hæc mulier & imperator ma-

tor maritus propter imagines letaliter inuicem ſe deteſtabantur. Conſtantinus enim, pius & orthodoxus princeps, imaginum oſor, omnia ſimulacra deiecit & fregit, illa aduerſatrix viri, magnis impenſis reſtituit fractas imagines. Quas rurſum confractas combuſsit imperator. Mulier loco vnius ablatæ, reparauit binas imagines. Quod maritus ferre coactus eſt ab vxore ſuperba & faſtu turgida, quæ habuit ſecum ſentientes omnes Romanæ Eccleſiæ principes, eiq́ patrocinantes. Tradunt autem hanc Hirenem, mortuo Conſtantino marito, cadauer eius è ſepulcro eruiſſe, & exuſti cinerem in mare miſiſſe, propterea quòd imagines deiecerit & combuſſerit, ac inſuper mulierem crudelem, oculos filio ſuo quem ipſa genuit euulſiſſe, & æterno carceri mancipaſſe cæcum, nec ſanè vllam ob aliam cauſam, quàm quòd patris

aduersus imagines animum gerebat. Sed hæc crudelis mulier dignas tandem suæ impietatis, præsumptionis & ἀστοργίας, iustasq́; dedit pœnas. Bauariæ princeps Tasillus, & Bohemiæ Rex, propter cæcum erga vxores amorem, & cæcam vxorum iram, in inextricabiles difficultates & vitæ tandem necessitatem inciderunt. Sic Rex Apuliæ anno 1342. qui belli pontificij aduersus Ludouicum, non minimam partem gessit, strangulatus est in vno lecto, dormiens cum coniuge Ioanna sceleris conscia, quæ maritum oderat. Quibus non dissimilia apud nos his annis, aliquoties in pagis euenisse constat. Adeo à mala muliere cauendum est, siue nimium ardeat siue odiat, & magnum malum magnaq́; pestis est femina, quæ videtur sibi prudens, rectè ergo sequitur: Cuius in animo sunt retia & plagæ. *Amplificat il-*

cat illam improbitatem ab efferata mulieris libidine, & paßiua prostituti pudoris nundinatione. Sicut igitur Venus fingitur à Poëtis, cestum conciliandæ gratiæ vim habentem geßisse, quam quidem Iuno apud Homerum, Iliad: 14. à Venere mutuata est, vt Iouem amore sui inflammatum, in fraudem induceret: consimili modo improbæ mulieres, vt nitidorum & salacium virorum oculos ad se conuertant, fucis ac pigmentis exornant genas roseosq; digitos, caputq; excelsum surrigunt, oris situm nescio quas in formas commodant, ac sicut Orpheus olim feras flectebat, ita illæ sapientes & insipientes, quasi sagenis quibusdam & vinculis, tum senes ac iuuenes capere, & funibus peccatorum constringere moliuntur. Quibus illud accidit, quod de insigni quodam pictore commemoratur, qui ligneam iuuencam om-

nibus artis coloribus ita depinxit, ut taurus elusus, ad eam tanq̃ ad veram iuuencam accurrerit. Nam hæc venustas, quæ Adonidis hortus est, citò marcescit, & tanquam Polypi color, literæq; in arena conscriptæ, euanescit. Cùm igitur tantæ sint improbitates obscœnarum mulierum, non solùm castos & pios homines de his cogitare oportet, sed ante legitimum thorum, ab omni earum familiaritate abstinere decet. Nam sicut poëtarum concinunt fabulæ, Mithram & Erichthonium, vel in lapide, vel in terra de solo æstu libidinis esse generatos: ita non fieri non potest, quin huiusmodi Sirenum cantus, nisi obturatis præfractisq; prætereantur auribus, cor feriant & peccandi cupiditatem inijciant. Hæc vera esse ostendit exemplum Dauidis & multorum aliorum, ac imprimis Salomonis, qui & ipse

ipſe in hoc ut dicitur νοσοκομείῳ *laborauit, mulierum ſpecie deceptus, ſed adhuc addit:* Qui bonus coram Deo uidetur, ipſe liberatur ea, peccator verò capitur ea. προτροπῇ *ut donum caſtitatis Deo acceptum feramus, cuius unius ope fit, ut in id proſcœnium non proruamus, cùm peccator à Deo derelictus, per iſta præcipitia violenter rapiatur, neq; poteſt à quoquam, periculis huiusmodi ſubduci, donec ad mortem & infernum deuentum fuerit, unde nulla eſt redemptio.*

VERS. XXVII.

Vide hoc inueni (inquit Eccleſiaſtes, ſemel atq; iterum quærendo) aſſequi ratiocinium.

A*Sſeueratio eiuſdem argumenti de improbitate mulierum, nimirum paßim occurrere, tum eiuſmodi captatrices,*

trices, tum istos qui se capi patiuntur. Rectè ergo Hieronymus scorta publicitus prostantia, libidinum publicarum victimas dicit. Sunt enim diaboli victimæ, velut mentis & corporis illibata integritas, Christo insigniter grata victima. Quare & huiusmodi affectionum titillatus arietes, quibus fides nostra quatitur & Deus offenditur, Euangelij retundendos idem astruit muro. Nos igitur quia affectus & incentiua libidinum, quamdiu in tabernaculo corporis huius habitamus, & fragili carne circumdamur, moderari & regere non possumus, multò minus fomitem amputare, spiritum castitatis inuocabimus & ab eo nos regi petemus.

VERS. XXVIII.

Quo amplius quærit anima mea (ratiocinium) non tamen inuenit: hominem

nem vnum ex mille inueni, mulierem autem inter illas omnes non inueni.

Σχετλιαστικὸν *in quo errantes cupiditates & hallucinantem sapientiam taxat, vt Pericles, Demosthenes, Brutus, Cicero, & alij multi sapientiæ specie labuntur. Et Dauid quanquam habebat suas coniuges forma & virtute præstantes, nihilominus appetit alienam Ex admiratione itaq; inquit, cùm mecum reputare cœpissem & diu inuestigassem, quæsitum tamen minimè nancisci potui: Hominem quidem dignum hominis nomine, & qui ex illis retibus euaserit, sum nactus vnum vix ex mille, feminam autem inter illas improbas, quæ ad bonam frugem se receperit, ne vnam quidem reperi. Hæc grauis est querela de natura nostra, peccato prorsus prostrata & funditùs contaminata. Hinc fit quòd multi ætatis declinio ferè*

decrepiti,

decrepiti, maligno errore amoris abre-
pti, etiam impudicæ anus quòd genitalẽ
thorum aßidua vitæ ſtatione celebraue-
rint, amaritudine & acerbitate vitæ ac
conditionum ingemiſcunt. Et vidiſſe ſe
narrat Hieronymus in oriente, quum
in chartis Eccleſiaſticis iuuaret Dama-
ſum Romanæ vrbis Epiſcopum: duo in-
ter ſe paria viliſsimorum è plebe homi-
num comparata, vnum qui viginti ſe-
peliſſet vxores: alteram quæ vigeſi-
mum ſecundum maritum habuiſſet,
iam extremo ſibi vt ipſi putabant ma-
trimonio copulatos. Quare ſumma
omnium expectatione virorum pariter
& feminarum, poſt tot rudes expeti-
tum fuit, vter alterum prius efferret:
ſed vicit maritus & totius vrbis popu-
lo confluente coronatus, & palmam te-
nens adoranſq́; per ſingulos ſibi accla-
mantes, vxoris multinubæ pheretrum
præcede-

præcedebat. Hæc παρέργα sunt. Sed vt pietati sartum tectum conseruetur, cùm tanta sint lenocinia ad excitandam fœdam libidinem, rectè facit magistratus animaduertens in scorta & adulteros. Et ad hoc scelus seuerè puniendum, obligatur voce diuina magistratus, qui cùm est negligentior, seipsum & culpæ & pœnæ participem facit, & fit tandem quod dicitur: Sæpè integra ciuitas aut regio, vnius mali viri pœnam luit. Minimè igitur magistratus ferre debet publica lenocinia. Et nullo modo existimandus est magistratus iste, affici cura gloriæ Dei & salutis subditorum, vel saltem disciplinæ & honestatis morum, qui fert lenocinia publica, vtcunque sanè excusetur ista turpissima indulgentia. Sed iam, proh dolor, paßim tam hîc quàm alibi, versantur scorta in coſpectu eorum qui peregrè aliundè

undè adueniunt, non sine magno scandalo. Item in conspectum iuuentutis prodeambulantis cateruatim se ingerunt, quæ ad illecebras & captiones istis absentibus minùs fortè moueretur, iuxta dictum omnibus notum: obiecta mouent sensus: item ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίνεται τὸ ἐρᾶν. *Huiusmodi prostituta scortilla superiore æstate ante hæc mœnia, non pauca conspiciebantur, quæ honestatis ac pietatis amantes, dum conspectabant non sine indignatione, nescio quæ mala imprecacabantur, & à Deo pœnas flagitabant.*

VERS. XXIX.

Tantummodo vide, hoc inueni quòd fecit Deus hominem rectum, sed ipsi inquisierunt cogitationes multas.

ANtipophora ne aliquis hanc improbitatem Dei creationi adscribat. Quocirca omissa quæstione, vnde hæc

hæc enormitas tam in mulieribus, quam omnibus alijs hominibus originem ducat, subinfert se inuenisse demùm quòd Deus omnes homines rectos protulerit, carentesq́; prauitate, ipsi verò sua electione, in obliquas viuendi rationes commigrarint dissectiq́; sint: vt alius quidem libidinibus, alius auaritiæ seruiat, alijs alij passionibus sint subiecti. Ac deniq́; alios sibiypsis mala infinita, cogitatus varios & quæstinoes nunquam finiendas accersere, & cùm ad sapientiam indagandam sint nati, in verbositatibus tamen omnem ætatem deterere. Cæterùm exposito textu: Ne aliquis existimet me in reprehensionem status coniugalis hactenus disputasse, paralogismum qui sic confici poterit breuiter refellam. Qui placet Deo effugiet mulierem, ergo qui non fugit illam, sed quærit familiaritatem & consortium eius

eius non placet Deo. Et per consequens thorus coniugalis displicet Deo. Respond: Nego consequentiam, est ἀπάτη τοῦ ἐλέγχου. Non enim termini referuntur πρὸς τὸ αὐτὸ. Antecedens enim loquitur de fuga illegitimi thori. Quare rectè dicitur, qui placet Deo, id est qui præcepti diuini memor, non mœchaberis, effugiat mulierem, id est auersetur stupra, adulteria & omnes illicitas commixtiones. Cuius etiam memor Ioseph, ac spiritu castitatis ornatus, Ægyptiæ tactum reformidauit, ac velut rabidissimi canis morsum refugit, & ne paulisper serperet virus, etiam vestem quam ea tetigerat, perinde ac pestiferum imbibisset succum, confestim abiecit &c. Consequens autem plura connectit, & à distributo colligit non distributum, siuè ab hypothesi thesin, ac nominato innominatum genus, vnde

quatuor conficiuntur termini. Non enim ſequitur: Qui conſortium ſcorti fugerit Deo placet. Ergo qui legitimam duxerit Deo diſplicet. Eſt vnum interdictum, alterum verò inſtitutum & mandatum diuinitus. Gen. 3. Propter quod relinquet homo patrem & matrem ſuam & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Cui Euangelicum ſuccinere illud videtur: Quod Deus coniunxit homo non ſeparet. Item, creſcite & multiplicamini. Accedunt ſanctitate illuſtrium virorum exempla, qui ex matrimonio liberis ſuſceptis, laudi calculum adieciſſe animaduertuntur. Præſtò eſt Apoſtoli quoq; Pauli gentium magiſtri ſententia, quâ honorabiles pronunciantur nuptiæ. Quid quod veteri Romanorum ritu ſancitum ita inuenimus? Flaminem demortua vxore, flaminio ſolitum ab-

ire: Quòd ducentis vxorem οἶκος τέλειος, *id est integra domus est. Eius autem qui ea quæ ducta sit exutus,* οὐκ ἀτελὴς μόνον ἀλλὰ καὶ πεπηρωμένος, *id est non imperfecta solùm, sed decurtata omnino & oblæsa.*

VERS. XXX.

Ecquis est vt sapiens? & quis nouit rerum explicationem? sapientia hominis illustrem reddit vultum eius, & fortitudo vultus eius mutatur.

Conclusio contemplationis de improbitate. Dixit enim vix bonum hominem inueniri posse, quamuis Deus eum rectum & bonum fecerat. Nunc autem concludit ac exponit, quæ bona Deus in eum contulerit, nimirum sapientiam definitam, rationem, arcanorum cognitionem, breuiter, quòd

eum

eum ita exornarit, vt etiam foris reluceat ſplendor eius. Hæc dona quamuis per lapſum obſcurata ſint: tamen manent adhuc ſcintillæ in natura condita, & imprimis ſapientia politica aliqua ſupereſt, quæ excellit vbi regitur ſpiritu Dei, & eſt iudicatio & delectus vbi proſit ſeueritas, vbi proſit lenitas, vbi ſit præliandum, vbi verò cedendum. Hæc ſapientia valde neceſſaria eſt omnibus ijs, quorum intereſt alijs præeſſe, ſiue in ſpiritualibus ſiue in temporalibus, vt diſcant nihil tumido auſu, ſed omnia prudentiâ & modeſtiâ agere. Alioqui concionator, qui omnia temerè & pertinaciter in ordinem redigere velit, non habita infirmorum ratione, plus deſtruet quàm ædificabit, vt Caroloſtadius qui Luthero abſente, diuerſa dogmata propoſuit, & tumultuoſè ſtatuas eiecit,

seditiosus non parum fuit, Ecclesiæq́ Christi turbauit incrementa. Idem contingit in externa mundi administratione.

CAPITIS OCTAVI
ΠΕΡΙΟΧΗ.

CVm superiore capite animos mortalium contra varias vanitates munijsset, & ostendisset quid vitij, cum sapientiæ & pietatis studio coniunctum esset, transit nunc ad res politicas considerandas. Quare exposito ciuili popularium in magistratus, officio, ex abusu administrantium tyrannico, adhuc politicæ gubernationi vanitatem inesse ostendit. Quam à iudicio Dei, morte & præmijs quibus de ea enunciatur redarguens, iudicium rationis cum diuino hoc testimonio comparat.

VERS.

VERS. I.

Ego moneo præſtitutum Regis obſeruandum eſſe, ſed pro ratione iuramenti Dei.,

PRopoſitio, obtemperandum eſt magiſtratui. τὸ διότι. *Qui enim magiſtratui iurat, non homini iurat ſed Deo. Quare & propter Dei mandatum obtemperandum eſt. Hinc Paulus magiſtratum dicit eſſe ordinationem Dei. Rom. 13. Hinc quoq; in ſcripturis dicuntur magiſtratus Dij. vt Exod. 22. & Pſal. 81. Eſt igitur obedientia politica comprehenſa in obedientia Dei, ac propterea tam Eccleſiaſtes quàm Paulus Epheſ. 6. imperant, vt ſerui obediant dominis, non vt hominibus, ſed vt Deo. Fuit autem proculdubio hæc labes ac corruptela veræ doctrinæ, etiam tempore Salomonis paßim in-*

uecta, quæ & tempore Christi & statim post Christum, cùm Iudæi ad occasum suum vergerent, renouata est, teste Iosepho lib. 2. de bello iudaico, cap. 7. nimirum de non agnoscenda & colenda potestate, quàm administrant impij & crudeles. Hoc autem reprehendit Salomon, & ex obligatione iuramenti, ostendit te ad parendum obstrictum. Cùm igitur quæritur cui parendum, non est spectandum qualis sit qui potestatem exercet, nec quo iure vel iniuria quis potestatem inuaserit, quauè ratione eam administret, sed tantùm si potestatem habeat. Hanc autem sine Deo habere non potest. Nam vt Deus finxit ex nihilo omnia, ita sola virtute omnia portat & conseruat. Nulli igitur, quicquam in vllam creaturam potestatis contingere vnquam poterit, quòd non conferat ei Deus cer-

ta sua voluntate & dispositione, sine cuius nimirum certa scientia & prouidentia, non cadit in terram passerculus, vel pilus à capite. Cæterùm quousq; obedientia erga magistratum se extendat, regula Petri indicat: oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Si igitur contra verbum Dei præcipiat, cesset hîc obedientia oportet, & crucem si fortè ita res postulet, æquo animo subeamus, vt verbo Dei sua illibata authoritas conseruetur. Nam impium illud est & minimè committendum, quòd verbo Dei, veræ religioni, & cultibus diuinitùs institutis, sacroq; verbi ministerio, ac ædificationi deniq; Ecclesiæ, contrarium est. Quare & impium hoc mandatum fuit, quo Nebuchadnezar imperat subditis, nimirum aureæ statuæ adorationem. Impium quoq; edictum fuit, quo Darius insidijs

consiliariorum circumuentus, vetat intra triginta dies Deum inuocari, & se solum quasi numen coli ac adorari præcipit. Impium quoq; erat mandatum Antiochi, de religione iudaica abijciendа, & gentilium superstitione suscipienda. Breuiter iniustum erat mandatum Pharaönis, quo obstetrices iubebantur interficere innocentes Iudæorum infantes, & Saulis qui satellitibus imperauit cædem sacerdotum Domini innocentium, & Iesabelis deniq; imperantis, condemnationem & cædem Naboth. His nemo obtemperare debebat, nisi vellet incurrere in Dei iram & offensionem.

VERS. II.

Ne properato discedere ab eius conspectu, neq; persistito in re mala. Nam quicquid voluerit efficiet.

Ἐπεξερ-

Ἐπεξεργασία eiusdem, quâ monet ne detrectemus obedientiam superioribus, quod tamen vt diximus intelligendum est in his rebus, quæ citra fidei & præceptorum Dei iniuriam, præstare possumus. Nam cùm nihil antiquiús sit Deo, nihilq́ ei sublimiùs, certè oportet vt ei per omnia subiecti simus tanquam creatori & opifici, & quidem propter eam, quam creata debent subiectionem. Hac exceptione salua, hortatur: Ne perturbatè à facie eius discedas, neq́ persistas in re mala &c. *Carnali homini durum est superiores tolerare, vnde si magistratus mali sint, difficile est eorum tyrannidem effugere inquiunt. Contra hæc carnis ratiocinia, breuissimis aphorismis docet Salomon, quid agendum tibi sit. Etenim quantumuis crudeles & monstrifici tyranni sint, tamen dum aliquam speciem legitimi im-*

perij retinent, vt eos retinere necesse est, nisi velint interire illico, legibus & imperijs te accommodes oportet. Quare etiamsi quid imperent, quod non allubescat, tui tamen muneris erit, non seditionibus vel molitionibus perturbare rempublicam, & labefactare communem tranquillitatem, sed obedientiam & innocentiam tuam declarare. Sic Ethnici fecerunt, vt Socrates, Anaxagoras, & alij non pauci, taceo sanctos, quibus mori lucrum erat pro innocentia. *Addit igitur:* Nam quicquid voluerit efficiet: *Ex iurisdictione & potestate magistratus ostendit, quam periculosum sit, discedere à magistratu, vel contra eum conspirare. Nibil enim efficies, etiamsi tumultum & seditiones moueas, nisi quòd teipsum maioribus malis inuolues. Qui enim catenas ligneas abijcit, accipiat pro eis ferreas.*

Hiere-

Hierem: 28. Ac nota est eiusdem Salomonis sententia, vbi non est gubernator dissipabitur populus. Et in omnibus profectò, quibus certus aliquis est propositus finis, in quibusq; sic aut aliter procedere contingit, opus esse dirigente aliquo, propemodum constare video, si ad præscriptum modò finem perueniendum. Neq; enim nauis ventorum flatibus exposita diuersis, in portum appellet vnquam, nisi id agat præsidentis industria. Sed esse homini finem quendam propositum, ad quem vita & actiones tanquam scopum dirigantur, non est (opinor) qui ambigat. Etenim per intellectum agit, cuius est ex fine operatio. Diuerso autem calle ad eum ipsum homines perduci, studiorum diuersitate notissimum. Proinde assistat necesse est quispiam, à quo intendatur dirigaturq;

ad finem

ad finem, ad quem insito rationis lumine ferimur. Quod si in solitudine agere possemus, vt bruta pleraq;, minus vtiq; principe aliquo indigere videremur; tunc enim sibi vnusquisq; Rex foret, Deo tantum Regi obnoxius, diuinitusq; nobis lumine contributo, & se & sua dispensaret. Cæterùm iam naturalis necessitas magistratum euocat, cuius gubernaculo cæteri omnes subijciantur. Verùm dum inquit: Quicquid voluerit efficiet. *Non hoc vult Salomon potestati licere quicquid libet & potest. Non enim in hunc finem eis potestas data est, vt ea vti possint ad suam libidinem, sed ad præscriptum verbi diuini. Nam & hoc Ethnici intellexerunt, ac imprimis M. Ciceronis circumfertur sententia, infelices haberi eos, qui omnia sibi licere existimarunt. Quocirca perpendere debet magistratus illud quod in*

Græcorum

Græcorum literis iactatum est: à capite piscem computrescere. Quo significatur obscurius, principem virum insigniter turpem mox dare labem in plures. Hoc considerans Traianus imperator præfectum prætorij designans, tradidit ei ensem inquiens: Hoc ense contra meos hostes vteris, cùm tibi iusta mandauero, verùm quod si me videris iniustè agere, contra meipsum vtitor.

VERS. III.

Vbicunque verbum Regis est, ibi dominatio; ecquis dicat ei, quid facis?

EAdem sententia ab inutili, quòd non expediat litigare cum Rege, propter eius potentiam & authoritatem. Incitat subinde diabolus sua membra ad dißipandum harmoniam publicam, quemadmodum Sergium Catilinam. Et propter ambitionem inter

Iulium

Iulium & GN. Pompeium, maxima certamina seuit, quæ Romanos qui maxima penè totius orbis terrarum parte potiti erant, non mediocriter attriuerunt. Sed Deus defendit legitima imperia, & munit eius magistratus, qui sunt eius vicarij authoritate & potentia, vt facilè resistant motibus insidiosis. Ac ex verißimis & clarißimis sacrarum historiarum monumentis constat, seditionis malum Deo cumprimis inuisum, nunquam ad optatum exitum deuenisse, sed grauißimè punitum fuisse. Nam cùm Core præclara quidem & nobili stirpe satus, insuper & doctrinæ atq; facundiæ laude, maximè conspicuus, sed naturâ malignus & impius, simplicis atque credulæ plebis animis sibi conciliatis, pijßimi Deoq; dilectißimi viri Mosis honori ac fortunæ miserè inuideret, omni dolo
malo

malo, versutiaque utens, quo ipse reiecto & in odium vocato Mose, dominationem omnem in se transferret, Dathan & Abiron Israëlitici populi non postremis, in suas partes pertractis, summorum honorum & diuitiarum pollicitatione. Qui duo spe consequendi honoris & lucri fascinati, coram omni populo terra absorpti, meritas inobedientiæ suæ pœnas persoluerunt. Core verò tantæ impietatis author, cum ducentis & quinquaginta viris sibi adhærentibus, igne cœlesti concrematus subitò interijt. Cumque obstinata & pertinax gens iudaica, ob id dolore concepto murmuraret, & Dei ministro Mosi, insolentius repugnare non vereretur, illorum quatuordecim millia cum septingentis, similiter cum cœlesti fulgure deleti sunt. Et nisi Moses & Aaron precibus ad Dominum suppliciter fusis, iram eius & indigna-

indignationem, ob eam inobedientiam conceptam leniissent, culpamq́ depre- cati fuissent, omnes illâ horâ periis- sent. Sic quoq́ accidit nigris rusti- cis, obedientiam legitimo magistratui detrectantibus, quorum vltra cen- tum millia sunt trucidati. Nihil dico de Dithmarsiis & Anabaptistis. Adeo vera est sententia Syrach: superbiam & arrogantiam nunquam boni quic- quam peperisse, neq́ aliud ex ea quàm omnia pessima sequi solere.

VERS. IIII.

Qui obseruat præceptum, non ex- perietur rem malam, tempus enim ac rationem nouit animus sapientis.

AB vtilitate obsequentium magi- stratui. Cùm enim magistratus non tantùm sit custos legum, sicut Aristoteles voluit, sed à Deo institu- tus tibi

tus tibi ad bonum, quod monet Apostolus, summus honos ipsi meritò deferendus est. Debet enim magistratus sic sentire, se diuinitùs in hoc officio collocatum esse, vt alienæ vtilitati consulat, sicut idem aliâs Aristoteles monet Alexandrum, vt cogitet imperium sibi contigisse ad benefaciendum toti generi humano, non vt in alios petulans & contumeliosus sit πρὸς ἐυεργεσίαν, ὀυ πρὸς ὕβριν inquit &c: Magistratui igitur qui se modestum & obsequentem præbet, cui parere tenetur, is liber est à multis periculis & incommodis. Hæ magnæ sunt vtilitates. Quòd autem pericula à capite tuo multiplicia, per latrones & seditiosos impendentia, propulsentur, debes certè curis & industriæ magistratus, & longè sanè hoc illustrius eius officium est, vt religio Christi rectè habeat, populus Euangelium Christi purè

 docea-

doceatur, consonæ, huic, ceremoniæ seruentur, nullus locus sit falsæ doctrinæ aut superstitionis. Nam sine religione veroq; cultu Dei, nulla regna, nullæq; respublicæ diu saluæ esse possunt. Hoc omnes agnouerunt qui vnquam de reo pub. & legibus scripserunt, etiam inter Ethnicos. Nam nemo non illorum, primam potestatis curam religionibus impendendam docuit. Idem dominus non solùm in lege sua præcepit: Sed etiam spiritu suo effecit in omnibus, quos fide nominis sui donauit, quales in christianismo fuerunt Constantinus & filij eius, Iouinianus, Valentinianus vterq;, Theodosius & alij Romani imperij principes minimè pauci, quibus curæ fuisse, vt ante omnia publica religio ritè constitueretur & obtineret, testantur tot eorum sanctißimæ leges quæ in codice Iustiniano, hac certè de causa omnibus

alijs

alijs constitutionibus præmittuntur. Iustinianus quoq; non vno in loco suarum de Ecclesiasticis rebus constitutionum agnoscit, nihil priùs studendum principi, atq; vt munus suum sacerdotes obeant, atq; sacri canones pro legibus valeant, vt vera Christi religio submotis omnibus offendiculis feliciter promoueatur. Legant studiosi vel solas sextam & centesimam, vigesimam tertiam constitutiones, ex nouellis. Quis igitur qui aliquem Dei sensum habet, dubitet eos qui potestatem à Deo vitæ & necis acceperunt in homines, ad cultum Dei conditos, quibusq; hic finis totius administrationis esse debet, vt subditi eorum bene beateq; viuant, imprimisq; ad cultum Dei probè instituantur & seruentur ab omnibus quæ à vera religione abducere queant. Opportunitatem & iudicium nouit cor sapientis. Ἐξόδιον.

Quemadmodum id temperamentum adhibendum sit principi viro, primùm vt eius persona nec promiscua sit ac vulgaris. Deinde vt deplorata & abscissa ingenia distinguat à sanabilibus, ac postremò vt talem se subditis præstet, cuiusmodi deposcat Deum sibi. Et quòd parentes faciunt, nunc obiurget, nonnunquam blandè quandoq; & minaciter se gerat, ad decretorium autem stylum accedat rarius, sed tum demùm vltima experiatur, cùm cætera ferè sint conclamata. Atq; vt vno claudam verbo: sciat princeps esse se reipub. suæ animam, illam verò corpus. Sic etiam quando & quomodo sit parendum, & quæ deniq; sit recta omnis obedientiæ ratio, sapientia ipsa ex verbo Dei & rerum humanarum experientia concepta, menti sapientis suggerit & demonstrat.

VERS.

VERS. V.

Nam cuiq; voluntati eſt tempus & ratio, homini verò multa mala ſuper ipſum.

Aſſeueratio τοῦ ἐξοδίου, quâ oſtendit improbis illis temporis opportunitatem non conſiderantibus, euenturum malè. Conſideratio enim temporis, id eſt originis ac exitus negociorum, de multis varijsq; rebus admonere poteſt, nimirum de obedientia ſubditorum erga magiſtratus, ſeditionis pœnis propoſitis, quæ eos à ſeditioſis conſilijs & conclamationibus ad arma, deterrent. Deinde & magiſtratum in quamplurimis officij ſui erga ſubditos commonefacit, vt nimirum blaſphemias & externas hæreſes probibeat, veram de Deo doctrinam proponi curet & erudiri populum de veris Dei cultibus, iudicia exer-

 ceat,

ceat, corpora & facultates subditorum contra iniustam violentiam depulsis latrociniјs tueatur, nec eos iniustis & immoderatis exactionibus cruciet atq; deglubat: sed terræ culturam foueat, ac paterno animo de victu subditorum prospiciat &c: Ad quæ & alia similia, Dominus & tempus & modum vnicuiq; rei perficiendæ, rectißimè & sapientißimè præstituit, vnde necessariò dependet eius euentus. Homines autem istud vel ignorantes vel non intuentes, infinitas sibi miserias & calamitates, accersunt. Hæc vtrinq; sunt consideranda.

VERS. VI.

Quia nescit quod futurum est. Enimuero quando id futurum sit, quis ipsi indicabit?

Αἰτιολογία asseuerationis de stupore ac inscitia inobedientis ac improuidi, quæ causa est ingentium calamitatum. Insolens enim & contumax præterita ignorat, & futura nullo nuncio potest scire, id est tantis est ignorantiæ tenebris circumseptus antè & retro, vt nec præterita sua videat, nec futura prouideat, hoc est, pleriq; sua inobebientiâ malum sibi accersunt, quòd non considerent quantum malum sit inobedientia & imprudentia. Cupiunt varia tam per imprudentiam quàm per contumaciam, sperant quoque magna se consequuturos, ac pollicentur sibi impunitatem, sed falluntur, per eam enim inobedientiam se in summam afflictionē conyciunt. Quare modò subditus, magistratus gladium vitare velit, sua est prudentia & fides subdito, sese ad nutum magistratus obe-

dientem præstare, sibiq́ persuadere illum non nisi iusta & salutaria imperare, etiamsi exactionibus vel alijs importunitatibus subinde grauentur. Vtitur enim huiusmodi Deus flagellis in vindictam delictorum & pœnas meritas generi humano infligendas. Quinetiam sua quoq́ prudentia est magistratui, non nisi iusta & salutaria imperare, nec obedientia subditorum abuti. Imprimis autem prudentia magistratus, vltra subditos se longè extendere debet, & potius patientia, lenitate, grauitate, bonitate & salutaribus admonitionibus eos ad faciendum officium flectere, quàm crudelitate & pœnis. Quod Amasis Rex Ægyptiorum fecit, quem, sicut Herodotus narrat in Euterpe, Ægyptij principiò despiciebant, in nulloq́ magno honore habebant, quia antequam ad gradum eum dignitatis peruenisset,

vnus

vnus è multitudine erat, & domus minimè illustris. In officio postea ipsos, Amasis tenuit calliditate sua, non beneuolentiæ vllo genere. Habebat hic in plurimis alijs eximijs bonis, peluim auream, in qua & ipse & cæteri conuiuæ pedes lauabant. Hoc igitur vas cùm fregisset, simulacrum ex ea materia faciendum curauit, quod collocatum in vrbe apto loco, Ægyptij magnoperè venerabantur. Id cùm Amasis accepisset, vocatos illos ad se, admonuit quid fecisset: dixitq́; ex vase simulacrum illud confictum esse, in quod prius & vomere & meiere Ægyptij soliti essent, in eodemq́; pedes abluere, & tamen nunc colerent. Idem igitur sibi quod illi pelui contingere debere. Si namq́; prius humilis homo erat, nunc se Regem eorum esse, decereq́; vt & honore iusto & cultu se afficerent. Ita prudentia & lenitate

Amasis id efficit, quod vix armis & crudelitate obtinere posset.

VERS. VII.

Nullus homo est Dominus anhelitus sui, nullaque est dominatio in die mortis, nullumque missile in eo prælio, denique non liberat conflictatio vtentem ipsa.

EXpressa comminatio & expositio mali, quod inobedientibus suprà denunciatum est. Intelligit autem per anhelitum siue spiritum, naturalem vitam. Hæc enim ex aëre quem attrahimus & exhalamus, magna ex parte constat. Vnde fit vt vita hæc naturalis, anima denominetur, à græco nomine ἄνεμος, *quod significat ventum vel auram. Est itaq; sententia huius loci, hominem videlicet nullum esse, tanta authoritate, dignitate & potentia vel armis,*

armis, agilitate deniq; industriaq; præditum, vt vitam habeat in sua potestate aut mortem, id est neminem posse retinere vitam & arcere mortem, cùm Deus eum pœnis opprimat. Non liberat (inquit) conflictatio vtentem ipsa. *Et nequaquam erit impunita impietas. Hæc dicta non indigent alia expositione, sed assentiamur voci diuinæ, minitanti pœnam omnibus qui non agunt pœnitentiam, sicut inquit Dominus Luc. 13. Nisi pœnitentiam egeritis omnes similiter peribitis. Hæc fulmina nequaquam sciamus esse inanem sonitum, sed verè expauescamus cogitatione & metu præsentium & æternarum pœnarum, & ad Deum conuertamur, frænemus iniustos impetus, & serijs ardentibusq; votis, noctes diesq; oremus regi à DEO.*

VERS. VIII.

Hæc omnia vidi & adieci animum ad omne opus quod fit ſub ſole, vidi tempus, quo dominatur homo homini ad perniciem eius.

SEcunda pars capitis, in qua duo continentur. Vnum eſt rectum iudicium de praua adminiſtratione, ex teſtimonio ſpiritus Dei, vſq; ad verſum 13. Alterum eſt deprauatum iudicium carnis, verſibus reliquis. Sed in priore rediens Salomon ad catalogum ſuum, abuſum humanæ potentiæ & prauam adminiſtrationem, immo confuſionem rerum humanarum luculenter deſcribit, & aſſerit ſe accuratè & diligenter conſideraſſe, quænam ſit ratio & conditio eorum, qui magiſtratum in terris gerunt, quorum multi, dominantur homini ad perniciem, *hoc eſt, iuſto Dei*

iudicio

iudicio ſubinde contingit, vt aliquis eue-
hatur ad faſtigia regni, non ob aliud
quàm in afflictionem aliorum, ſubdito-
rum ſcilicet. Huiuſmodi non fortuitò
aut caſu contingunt, ſed Deo ſic vlci-
ſcente ſe de hominum improbitate, quem-
admodum Oſeæ 13. dicitur: Dabo eis
Regem in furore meo. Et Iob 34. Pro-
pter peccata populi, Deus facit regnare
hypocritam. Sic Aſſyriorum Rex,
dicitur virga furoris Domini. Sic
Nebuchadnezar dicitur ſeruus Dei, in
puniendis videlicet Iudæis. Ac ſem-
per maiores Monarchiæ, Domino virgæ
vice fuerunt, per quas reſpublicæ quam-
plurimæ euerterentur, nulla inſtituere-
tur ſalutariter. Sic ſanè ſe habuit Mo-
narchia Aſſyriorum, Chaldæorum, Per-
ſarum, Macedonum & Romanorum.
Nec tam alijs nocentiſſimi fuerunt ty-
ranni & ſanguinarij principes, quàm
ſibypſis

sibijpsis perniciosissimi. Ac sanè qui legit historicos de vita Romanorum Cæsarum, comperiet vix quartum quemque eorum, naturali morte extinctum esse. Hic confossus est, ille in aquis perijt, alius fulmine tactus concidit, quidam veneno extincti sunt, quidam deniq; postquam velut acerrimæ bestiæ, diuturnis temporibus ac crudelitatibus humanum genus depasti essent, furijs incitati, sibijpsis manus violentas iniecerunt. Ac tyranni plerumq; habent tragicos exitus. Antiochus cùm Iudæis extrema minaretur, ventre vermibus eroso, perijt. 2. Macchab. 9. Herodes magnus, qui pueros Bethlehemiticos occidi mandarat post multa alia tetra facinora, in morbum grauem incidit, teste Iosepho, cumq; nec thermæ, nec pharmaca illi prodessent, tandem vermibus pudibunda erodentibus, cùm pro-

pter fœtorem omnibus intolerabilis esset, sibijpsi manus illaturus, ab amicis prohibitus fuit, ac tandem magno cruciatu, animam infelicem efflauit. Hæc notiora sunt. Cùm igitur tanto dignitatum ac potestatum fastigio calamitates insideant, vbi obsecro optabilis fortuna & quieta viuendi ratio inueniri poterit? Certè penes solùm Deum prospera fortuna est, quæ nusquam alibi quàm apud ipsum solùm reperiri potest.

VERS. IX.

Nam ita (dominatos) animaduerti improbos, sepeliri postquam decesserunt, postquam è loco sancti abierant, obliuioni, tradi in ea ciuitate, in qua sic fecerunt: etiam illud vanitatem esse.

Προκατάληψις, *qua refutat obiectionem, quæ ex superioribus inferri potest. Videmus impios lætari & luxuriari, iustos*

iustos opprimi & interfici. Hæc iniustitia non toleraretur, si scientia Dei & prouidentia eius omnia administraret. Hanc notißimam obiectionem hoc modo anteuertit, nimirum hanc rerum humanarum confusionem Deum non latere, ac licet sæpè florent iniusti, nonnunquam opprimuntur pij: tamen certißimum esse hos iustißimas daturos esse pœnas, & melius fore iustis, licet igitur impij honorentur, colantur & obseruentur, externa quadam sanctitate mirificè se commendent, in omnibus rebus & actionibus primas obtineant, in omnium ore versentur: tamen dicit se vlteriùs considerando, vidisse eos sepultos, hoc est nomen & memoriam eorum simul occubuisse, sicut in Psalm. 36. dicitur: Vidi impium superexaltatum quasi cedros libani, transiui & ecce non erat. Dominatur aliquantisper

Pharao

Pharao qui persequitur populum hebræum. Saul qui pellit Dauidem, interficit sacerdotes, Herodes Baptistam, Nero Paulum, sed aliquantò post hi tyranni in hac vita, manifestis pœnis opprimuntur. Nullus igitur humano fastu turgeat. Veniet enim Dominus qui illuminabit abscondita tenebrarum. Nec quicquam Deum latere potest, qui intra profundum abyssi, & intra hominum mentes non solùm tractata, sed etiam voluenda cognoscit. Nec sanè quicquam tam stolidum quàm putare, quòd Deum quicquam prætereat, cùm sol qui minister luminis est, etiam abdita penetret: & in fundamenta domus vel secreta conclauia, vis caloris eius irrumpat? Si igitur radius solis, fundit lumen suum super omnem terram, & in ea quæ clausa sunt se inserit, nec vectibus ferreis aut grauium valuarum obicibus, quò mi-

nùs penetret, impeditur: quomodo non potest intelligibilis Dei splendor in cogitationes hominum & corda, quæ ipse creauit intueri, nedum res extra hominem positas considerare? Potentes igitur & omnes impij qui in delitijs, qui in luxuria, rapinis, quæstibus, honoribus studia posuerunt sua, habeant sanè lucrum laboris, foueant otium, astutia & improbitate aggerent diuitiarum aceruos, cùm tamen exoluant (seram licet) nequitiarum suarum pœnas. Nam illorum requies in inferno, iustorum verò in cœlo, & horum domus in sepulcro, illorum autem in paradiso &c.

VERS. X.

Quia nullum efficitur decretum, compensatio istius mali citò, idcirco prouehit animus hominum eo audaciæ illos, vt faciant malum.

VERS.

VERS. XI.

Quamuis facienti malum centies etiam prorogaret Deus dies: Quinetiam noui ego fore bonum reuerentibus Deum, qui (inquam) timuerint à facie eius.

Grauissima ἀγανάκτησις et querela, de abusu patientiæ et bonitatis diuinæ. Quia non citò fit decretũ contra mala facta, æstuant hominum corda ad scelleratè faciendum. Hæc magna impietas et cordis humani vesania, vt quòd etiam, ea, in perniciem suam vertit, quæ singulari Dei bonitate ei concedantur. Quid autem homini meliùs, consolationisq́ pleniùs obtingere potuerit, quàm quòd Deus pœnã in ipso facto, vel vt Græci loquuntur ἐπ' αὐτοφώρῳ peccantib⁹ non irroget? Ac vbi mansisset Paulus? peccatrix illa in Euangelio? itemq́ latro in cruce? immo omne genus humanum, si ἐπ' αὐτοφώρῳ Deus opt: max: se vindicasset?

Hinc eſt quod ſcriptura, eam Dei bonitatem miris extollat laudibus, vt Ioh. 2. Conuertimini &c. quia patiens eſt & longanimis. Verùm huiuſmodi patientia Dei & longanimitas, carnali homini venenum eſt. Hinc enim ſecuritatem carnalem ſibi concipit. Sic Adam, cùm vidiſſet Euam comedentem nec ſtatim mori, putauit verbum DEI irritum. Ea igitur longanimitate Dei incitatus, & ipſe peccauit. Sic Iſraëlitæ videntes differri DEI comminationes, irriſoriè dicebant, vbi eſt verbum Domini? Hieremiæ 17. &c. Colligit igitur animalis homo ex hac Dei longanimitate: Deus tolerat & non me punit peccantem. Ergo fabula ſunt quæ dicuntur de pœnis diuinis & vita æterna. Huic cauillo verſ. 11. addit ſolutionem & aſſeuerationem. At, ex hoc non ſequitur quòd effugies, verùm potius quòd

ex hoc

ex hoc grauiùs puniêris. Nam Deus quòd tolerat, & quòd te non punit, sed punitionem differt ac expectat, signum est ineffabilis benignitatis eius quæ te perdere non vult, sed saluare & ad pœnitentiam adducere, tu verò diuitias (sicut Paulus loquitur) bonitatis Dei contemnis, ignorans (quod & ipsa confitetur gentilitas) quòd lento gradu ad vindictam, diuina procedit ira, sed vindictæ tarditatem, supplicij grauitate compensat. Quare etiamsi diu tolerantur scelerati, tamen scio & exploratißimum habeo, quòd erit bonum qui reuerentur Deum, & qui timent à facie eius. Impius verò nihil referre putans, si grauiter & frequenter peccet, confidens se cum innocentibus euasurum: certè non intelligit quòd etiam post multum temporis, malum non latebit inultum, sed tandem detrudet eum in extre-

mam exteriorum tenebrarum miseriam, vbi est stridor dentium, horror, luctus, horrendæ dæmonum laruæ, ac deformitas & flammarum depastio pereñis. Docet igitur Salomon ne offensi illa inæqualitate, in hac vita deficiamus à Deo, sed acquiescamus in verbo Dei quod promittit liberationem & salutem iustis, & in quo pœnæ denunciantur impÿs, & verbis ac exemplis manifestis. Ac de pœnis multa extant dicta etiam apud Ethnicos, vt apud Claudianum:

Iniustos creuisse queror, tolluntur in altum,
Vt lapsu grauiore ruant.

Et quantò altiùs securis extollitur, tantò fortiùs ceruici subditæ impingitur. Sententia autem versus breuiùs comprehendi potest. Continet enim argumentum, quasi à minori simul & à maiori. Si enim bonus est Deus in malos,

los, multò melior erit in bonos. Item quia maius signum bonitatis est Deum benignum esse in malos quàm in bonos: Et Deus facit quod maius est, multò fortiùs faciet quod minus est. Hæc colliguntur in consolationem piorum.

VERS. XII.

Scelerato verò non erit bene, neque prorogabit dies: sed erit velut vmbra qui non reueretur Dei conspectum.

A*Mplificatio grauissima per hypothesin ἀδυνάτου. Impiorum gaudia impossibile est fore diuturna. Euanescunt enim instar vmbræ, quicunque patientissimi Dei minas & iram non fuerint reueriti. Hoc iudicium Dei formidare debent omnes impij, qui postquam anxio & solicito studio sibi comparare studuerint, quæ fluxa & temporaria sint, iamque emensi laborum et occupationum pe-*

 lagus,

lagus, decernunt in otio, fructu laborum & sudorum suorũ quietè frui, ecce adest angelus Domini, qui illos arguit stultitiæ, quæ est summa mundi sapientia. Dicunt enim ô animula mea, parta sunt tibi omnia ad otium fouendum, gloria & facultates, quiesce & fruere bonis partis. Ad quod angelus Domini: stulte vbi quæris quietem & pacem, nulla est illic? difficiles vias vitæ ambulasti, & quæsiuisti nesciens cui? Arrogasti tibi quæ Domini solius sunt? Quod superest, pauculos post dies quibus grauibus morbi doloribus afficiêris, migrabis hinc. Iamq́; incipies cogitare quòd puluis sis, accipiesq́; vitæ tuæ acta opsonium.

VERS. XIII.

Est vanitas quæ fit super terram, quòd sunt iusti quibus contingit secun-

dum opus improborum, & ſunt im-
probi quibus contingit ſecundum opus
iuſtorum, dixeram, hoc quoq; eſſe vani-
tatem.

MImeſis infirmorum & propoſitio animalis hominis. Nam Eccleſiaſtes perſonam eius induit, qui è ſcandalo labitur in errorem. Primùm igitur nominat vanitatem, quæ fit ſuper terram, in cœlo ſiquidem nihil eſt vani. Deinde oſtendit humanæ ratiocinationi valde repugnans, quòd videlicet iuſtorum quidem ſæpè non alia ſors ſit quàm ſi nocentes eſſent: Contrà verò ſceleratis, tam bene fluant res ſecundæ, quàm ſi ſanctè & integrè viuerent. Huiuſmodi iudicia Dei ſtupenda ſunt, quòd illos quidem quos intimè complectitur, videtur quaſi ex alto deſpicere, immo quaſi lernæ malorum ingentium eos ſubycere. Cuius rei veriſſima documen-

ta præbent exempla Abelis, Iacobi, Iosephi, Mose, Dauidis, Iobi & Lazari vlceribus plenißimi. Econtrà impios quos extremè detestatur, videtur omnibus bonis fouere. Ac exemplo sunt omnes impij. Hinc querelæ piorum multæ sunt in scripturis, ac imprimis Iob. 21. vehementer miratur: Quare impij viuunt, sublimati sunt confortatiq́ diuitijs: Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba & nepotum in conspectu eorum, domus eorum securæ sunt & pacatæ, & non est virga Dei super illos. Addit etiam Iob impios hac ratione pijs longè esse beatiores. Quod cùm moriendum fuerit, impij non diuturno morbo vexantur, sed momentanea morte occumbunt. Repentina autem mors à Plinio vt summa felicitas vitæ commendatur. Suetonius, Iulius (inquit) Cæsar, cùm quondam apud Xenophontem

tem legisset, Cyrum vltima valetudine mandasse quædam de funere suo, aspernatus tam lentum mortis genus, subitam sibi celeremq́ optauit, & pridie quàm occideretur in sermone nato super cœnam apud M. Lepidum quisnam esset finis vitæ commodissimus? repentinum inopinatumq́ prætulit. Hæ conditiones sunt piorum & impiorum. Verùm huius diuersitatis causas multas alias aßignauimus alibi. Sicut enim ab eodem medico, alijs ægrotantibus ferrum & ignis, sectio & vstio, alijs refectio & vnctio suauis adhibetur, eodem tempore & eâdem intentione, scilicet acquirendi sanitatem: ita Dominus more medici & bonæ etiam nutricis, alijs amaritudinem absinthij & sulphuris superfundit vberibus vt ablectentur, alijs dulcedinem vt nutriantur. Affligit pios non vt perdat, sed vt eos erudiat, ab infelicitate

& im-

& impijs operibus vindicet, à tyrannide & insultu Satanæ defendat, ne animæ eorum æterno tradantur supplicio, & vita sempiternæ morti. Quis autem omnia crucis commoda, breui oratione complecti sufficit? Namq; crux voluntatis Dei schola, morum disciplina, felicitatis portus, gaudij spiritus sancti officina: breuiter bonorum omnium thesaurus, nunquam enim Dominus pium propiùs complectitur, quàm in cruce. Sed acerba sanè res est ipsa crux. Examinat enim Deus hominem, purgat, ventilat, & per crucem in profunda mala præcipitat, ossa eius & vires ita eneruat, vt cibus ei nausea fiat, caro eius ita præ dolore contabescit, vt pendere putes pectus, & à spinæ tantummodo crate teneri: ita sæpè etiam indurescit cutis, vt per eam spectari viscera possint. Sunt hæ quidem graues molestiæ,

& carni quidem horrendæ, sed momentaneæ tantùm, respectu æternarum pœnarum impiorumq́; qui in medias mortis & inferni fauces præcipitantur. Sapientißimus igitur Salomon, tales rerum euentus prospiciens, rerumq́; confusionem in hoc mundo, tum etiam quæ singulis pro dignitate retribuantur intelligens, iudicat Deum nequaquam hæc permittere casu euenire: sed vt suo tempore iusti maiori præmio coronentur, aperteq́; discant huiusmodi bona quibus abundant impij, non esse vera bona, nec vsq́; adeo affectanda quæ malis communia sint. Impij verò qui quamuis videantur in hoc mundo florere & benedicti esse, sunt tamen reuerâ maledictioni obnoxij, quæ suo tempore reuelatur. Nam vt nunc maxima animi lætitiâ, piorum afflictiones in hoc mundo aspiciunt: ita rursum in iudicio

Dei

Dei risui erunt omnibus creaturis & coram eis confundentur.

VERS. XIIII.

Quapropter laudaueram etiam lætitiam, nullum esse bonum homini sub sole, nisi vt comedat & bibat ac lætetur: hoc enim adiacere ipsi ex labore suo, diebus vitæ suæ, quos dat ei Deus sub sole.

HIc versus vt suprà diximus intercalaris est, ac sæpiùs expositus. Est enim illatio ex superiore contemplatione. Itaq; cùm tam peruersè mundus agat, nihil quod ad hanc vitam quidem & res istas ad eam pertinentes attinet, homini consultiùs est, quàm vt ista deposita non tantùm inutili, verumetiam molestißima curiositate & solicitudine, quieto sit animo, præsentibus cum gratiarum actione vtatur, committat se Dei voluntati, in prosperis cogitet aduersa,

uersa, in aduersis speret prospera. Sic Paulus fecit Philip: 4. Scio (inquit) abundare, & penuriam pati. Sic Dauid: Si dixerit mihi & non places, præstò sum &c: Sic Iob deniq;: Si bona suscepimus de manu Domini &c: mala autem cur non sustineamus.

CAPITIS NONI
ΠΕΡΙΟΧΗ.

TRansit in hoc capite Salomon ad obseruationem administrationis Dei, quam abstrusam esse docet, ut nos ab inutili & uana perquirendi solicitudine abducat, Impias quoq; hominum fanaticorum opiniones exponit, qui euenta omnia non tam personarum, quàm conatuum & consiliorum, casui & fortunæ imputent, ut in scelera licentiùs procumbant.

VERS.

VERS. I.

Cùm autem adhiberem animum meum ad cognoſcendam ſapientiam, & ad perſpiciendum ipſum negocium quod fit ſuper terram, ſi enim interdiu & noctu ſomnum oculis ſuis quis non percipiat:

TRansitio ad alterum adminiſtrationis genus quod ſupra homines eſt, aciemq́; mentis humanæ longè ſuperat, in eo conſideraſſe ſe dicit laborem & occupationes, quibus homines in quærenda ſapientia diſtinentur, fructumq́; quem ab exantlatis laboribus percipiant, perpendiſſe, ſed ecce, erant qui noctes & dies laboribus, meditationibus, lectioni, ſcriptioni & literarum ſtudijs tribuerent, ſed quò diutius his quaſi medijs ſapientiam venabantur, eò minùs inueniebant, & quò diutiùs laborabant propria ratione, eo maiores errorum

rum tenebræ illis offundebantur. Hæc est sententia. Ac quam nihil efficiat labor noster sine Deo, exemplo sunt philosophi, qui per terram & maria sapientiam quæsierunt, verùm nihil effecerunt quod ipsimet confeßi sunt. Pythagoras tot perlustratis regionibus, domum rediens hoc didicerat, vt se non vt antè σοφὸν, hoc est sapientem nominaret, sed τὸ φιλοσόφου, id est sapientiæ studiosi nomen vsurparet. Socrates quoq; ingenuè fassus est, se hoc tantùm scire, quòd nihil sciret. Cùm itaq; nihil vel perparum scirent, & nihilominus sese tanquam dogmaticos iactarent, repræhenduntur sanè Pythagoras, Empedocles & alij, qui aut ænigmatibus, aut fabulosis commentis, quæ à nemine possunt intelligi, sapientiam illam suam inuoluerunt. Cuius tanta propterea est difficultas, vt facilius quis è labyrintho

Ægyptio inexplicabili viarum errore prædito, exire posse videatur, quàm hominum illorum portenta intelligere, sententiarum ambiguitatem distinguere, easq́ ipsas inter se colligare, & ex argumentorum ac dubitationum, quæ in ea exoriuntur nodis sese explicare. Quod argumento maximo esse potest, humanam rationem rerum creatarum perfectionem ac complementum sine spiritu Dei, qui solus cognoscit Deum, qui est plenitudo, vt ita dicam, ὑπόστασις ac firmamentum creaturarum apprehendere non posse, multò minùs suo ingenio & studio inuestigare rationem operum Dei, maximè gubernationis & ordinationis humanarum rerum, vt quare hic pauper sit, ille diues, cur iste cæcus nascatur, ille mancus, cur duorum geminorum vnus statim baptizatus inseritur gremio Ecclesiæ, alter euestigiò extinctus disce-

discedit. Nam quo fine, effectis & meritis huiusmodi fiant, soli Deo patet, & cui ille voluerit reuelare. Hanc infirmitatem nostram considerantes, debemus gratias agere Deo, qui monstrauit nobis aliquam partem sapientiæ suæ, agnoscamus quoq; nos esse homines, & longè inferiores quàm vt sapientiam Dei perscrutemur: Pingitur autem Minerua cum Ægide, in quo est caput Gorgonis, quod qui intuentur, vertuntur in saxa, id est sapientia vera, perterrefacit etiam audacissimos, & monet ne iudicia præcipitent, quod etiam Ethnici nouerunt, qui sine dubio quædam sapientiæ vestigia habuerunt, relicta à primis patribus, quanq̃ postea corruperunt religiones, sicut fit quando homines non reguntur diuinitùs, vbi etiam multi sapientes & sancti horribiliter errant. Vnde iterum dicimus, sine tuo numine nihil est in homine.

VERS. II.

Animaduerti totum opus Dei, non poſſe hominem aſſequi illud opus quod fit ſub ſole, quamuis laborioſè homo quærat, non tamen aſſecuturum eſſe: quin etiam ſi cogitet ſapientiſsimus, cognoſcere, non tamen poſſe aſſequi.

EXigeſis verſus primi. Recondita illa Dei cognitio per quam facta ſunt omnia, ſoli Deo eſt nota. Nos autem mortales quicquid vel ſcribimus vel loquimur, vel de his rebus intelligere nos arbitramur, ex parte cognoſcimus, participatione quadam ſuæ gratiæ illuſtrati. Nullus itaq; neq; humanæ ſcientiæ, neq; diuinæ ſapientiæ vel mediocriter peritus, vel, quantùm homini licet perfectè eruditus, poterit omnium rerum certam habere cognitionem, tantùm abeſt vt intelligat ſubſtantias rerum, aut menſuram cœli, terræ & maris:

ris: aut deniq; quomodo hæc ipsa concreta coaluerint, quibusué adminiculis innixa consistant. Ac sanè etiamsi fortè aliquis ipsarum rationes afferre videatur probabiles, ipsam tamen intimam veritatem inuenire prorsus non poterit, nec vnius quidem operis diuini scientiam assequi perfectam. Sed quia perscrutator maiestatis opprimetur à gloria, iustum est vt in eo puniatur homo in quo delinquit. Delinquit autem in abusione intellectus, id est curiositate: quia vult ea inuestigare & comprehendere ratione, quæ Deus vult humanis mentibus esse inaccessa, nec aliâ, innotescere nisi sua speciali reuelatione, Acto. 1. Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate.

VERS. III.

Veruntã

Veruntamen totum hoc videbam animo meo (quanquam declarat hoc iustos & sapientes) factaque eorum in manu Dei ipsius esse, etiam amorem, etiam odium nesciunt homines, ex omnibus (quæ sunt) in ipsorum conspectu.

PRopositio. Non esse iudicandum ex rerum humanarum euentu, de ipsis personis, electis & reprobatis, pijs ac impijs. Etenim certum est tum iustos ipsos & sapientes, similiter iniustos & insipientes (ecclipsis contrarij) tum quicquid omnibus & singulis his euenit, vnius Dei opt: max: arcana quadam, & incomperta mortalibus ratione, gubernari: adeo quidem vt homo ex ijs quæ ipsi patent & occurrunt, id est ex præsenti huius vitæ statu, de ipsius Dei in se vel amore vel odio statuere non poßit? Non igitur potes ex facie hominis iudicare, an electus quis sit vel non?

Nec

Nec ex prosperitate externa, nec etiam ex aduersitate. Vtrumq; enim pijs & impijs accidit. Et incertum est, vtrum quis εἰς δοκιμασίαν *aduersa sustineat, an ad supplicium. Nemo igitur alium ex rerum externo euentu iudicet, siue prospero siue aduerso. Is enim Deo gratus est, cui solus Deus fauet, & qui vnicè à Deo pendet, siue aduersa siue prospera ei contingant. Econtrà eum Deus odit qui non credit, siue is iniquam vel propitiam ferat fortunam. Hæc est simplex sententia huius loci, quem quomodo scholastici & Papistæ obscurarunt notum est, qui colligunt ex eo (Nescit homo vtrum amore an odio sit dignus) perpetuò dubitandum esse de gratia Dei & remißione peccatorum. Sed nos sciamus dictum hoc esse admonitionem, ne de Dei voluntate eiusq; prouidentia iudicemus ex rebus*

ſecundis aut aduerſis, ſed ex verbo Dei. Pereunt eodem modo Saul & Ionathas, nec diſcernere hos euentus humana ſapientia poteſt, ſed doctrina Eccleſiæ diſcernit. Exitus Saul congruit cum regula: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Exitus Ionathæ habet alias cauſas. Quia Deus antea teſtatus eſt, Ionatham ſibi placere. Vberiorem explicatitionem huius dicti, legant ſtudioſi apud Dñ. Philippum Melancthonem.

VERS. IIII.

His omnibus quemadmodum reliquis omnibus (euenire) euentum eundem eſſe iuſto & improbo, bono ſiue mundo & immundo: tam ſacrificanti quàm ei qui non ſacrificat, ita bono ſicut peccatori iuranti quemadmodum iuramentum reuerenti.

Αἰτιολογία *propoſitionis, quare nemo ex his quæ externè accidunt iudicare poßit*

re poßit de perſonis & rebus. Nam ſi ſolis bonis bona, ſolis verò malis mala ſemper reſponderent, facilè pronunciandum eſſet de harum diſcretione, ſed nunc propter æquales communesq́; caſus, ſecundum externam euentuum ſpeciem vel laruam, rectè vt par eſt de amore vel odio Dei ſtatuere aut iudicare prorſus ἀδύνατον eſt. Nam ſi euentus omnes conferas, omnino apparebit quod eſt ſcripturæ ac Chriſti verbis contrarium. Nam in lege, pio benedicitur in domo, in horreis, in agris, promittitur ei victoria & omnium rerum ſatietas. Contrà maledicitur impio. Deus ei minatur vlcera, paupertatem, carceres & quiduis malorum. Sed contrà ac hæc diuina decreta habent, pleraq́; eueniunt: vt neſciat homo, vtrum amore an odio dignus ſit. Quia beneficia temporalia quæ videntur eſſe ſigna odij, æqualiter

& indifferenter eueniunt bonis & malis. Quæ confusio beneficiorum & flagellorum multos obtenebrat & confundit, ac contra fidem in Deum sinceram, de prouidentia Dei ac cœlesti numine sentire facit, & languefacit voluntatem rectè agendi. Cuncta inquit, consimiliter iustis eueniunt vt cæteris omnibus. Iisdem inquam sunt obnoxij probus ac improbus, bonus seu purus, & sceleribus contaminatus ac impurus. Ac tempore veteris legis, plerumq; nihilo melius habebat frequentius sacrificans & hecatomben faciens, illo, qui nihil prorsus in sacrificia impenderet. Immo tempore iudaicæ politiæ, Ethnicorum qui aut non sacrificabant, aut idolis sacrificabant eadem erat fortuna quæ etiam Iudæorum, qui vero Deo sacrificabant. Dionysius Siciliæ tyrannus post victoriam Græcia potitus,

tus, Deos omnes contempsit, spoliauit, illusit, siquidem & sacrilegia sua iocularibus etiam dictis prosequebatur. Nam cùm Ioui Olympio aureum amiculum detraxisset, laneum iussit imponi dicens: æstate grauem esse aureum, hyeme frigidum, laneum verò vtriq; tempori aptum. Idem auream barbam detrahens Æsculapio, incongruens & iniquum esse ait, cùm Apollo pater eius, imberbis esset adhuc ac læuis, priùs filium quàm patrem, barbatum videri. Item pateras & exuuias, & parua quædam sigilla, quæ simulacrorum protentis manibus tenebantur, detrahebat, & accipere se illa, non auferre dicebat. Per quam enim stultum esse & ingratum, nolle accipere ab his vltrò porrigentibus, à quibus bona sibi homines precarentur. Hæc ille fecit impunè, quia Rex & victor fuit, quin etiam secuta

est eum solita felicitas. Vixit enim vsq; ad senectutem, regnumq; per manus filio tradidit. Sic nunc hodie impij quoq; & hypocritæ, qui cupiditatibus suis laxant frænos, & cuticulam lucianorum in morem lautè pascunt, plerumq; beatiores sunt illis, qui corporis concupiscentias, spiritu Dei ac fide domant ac penitus mortificant, vt Deo suum cultum præstent, qui cultus est puritas, mansuetudo, castitas & id genus aliæ virtutes. Sic deniq; Turcis æquè bene est ac christianis, neq; hic multum discriminis cernere licet. Ac breuiter facilè iuranti, & ei cui magna religio est iurare, eadem vitæ huius sors ac conditio existit.

VERS. V.

Hoc malum esse molestissimum inter omnia quæ fiunt sub sole, quòd etiam sint omnibus, id est, bonis & ma-

lis euenta: & præterea, quòd cor filiorum hominum est plenum miseria, & insaniæ sunt in corde eorum, & postea concedendum est ad mortuos.

Quia indistinctè bona & mala bonis & malis eueniant, eademq́; confusè cunctis obrepunt in hoc mundo, multi inducuntur in errorem circa Dei prouidentiam vt suprà, & ad cumulum erroris hoc accedit, quòd maximè florent hi qui maximè mali sunt, & maximè affliguntur qui optimi iudicantur. Hæc amplificat & dicit molestissimum vel pessimum inter omnia, quòd per eiusmodi confusaneam rerum omnium administrationem, fundamentum fidei, quò ad Dei prouidentiam, labefactatur, quo sublato nihil boni remanet. Nam alij ob id deserunt mundum, nolentes seruire ingrato mundo, quemadmodum philosophi & multi alij fecerunt.

Alij

Alij autem in omnia vitia præcipites eunt, nec sanè ob aliud quàm quòd videant eundem euentum & iusti & impij. Hinc enim putant omnia à fortunæ alea pendere, putantq́ vanum esse seruire Deo, immo cùm videant malos florere & bonos deprimi ac lugere, non timent designare quicquid allubescat. Quinimò subinde exaudiuntur blasphemiæ & indignationes, vsurpantium illud quod legitur Malachiæ 3. Vanus est qui seruit Domino Deo, & quod emolumentum quia custodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus tristes coram Domino exercituum: Ac vt strictim singula dicam. Hinc nullis neq́ promissionibus, nec minis, nec doctrinâ, nec admonitione ad melioris vitæ frugem adduci possunt, nec ad ciuilem quidem honestatem, tantùm abest vt ad christianam illam se adduci sinant. Huius

securitatis hæc causa exprimitur: quòd cor filiorum hominum plenum est miseria, & insaniæ sunt in corde eorum, *id est, impij huc & illuc in circuitu ambulant, neq; desistunt vnquam fallaces ac euanidas spes fouere, donec & illi post tantas totq; calamitates in hac vita exantlatas, & tot stultè gesta, cum alijs omnibus æquantur morte. Nullus est enim qui perpetuam & indeciduam habere poßit cum viuentibus societatem, sed & ipsum quicunq; is demum sit, omnibus communis vitæ terminus excipiet. Non igitur iudicare ex his fluxis & caducis mundi rebus quis debet, de Dei prouidentia & erga se amore, nec propterea susq; deq; omnia facere, quòd modo contrario res humanas videat ferri & rapi, sed pergat potiùs seruire mundo, id est prodesse omnibus & singulis quòd videat patrem cœlestem plus*

ere super

ere super bonos & malos. Nec ideo peccet, quòd vnus omnibus sit euentus, sed finem consideret. Ac interim satis habeat se esse certum res aliquando omnes & propiùs & exactius discussum irì, siue hoc fiat citius siue proteletur longius.

VERS. VI.

Ei etenim qui viuentibus reliquis accensetur, est spes: cani siquidem viuo melius est quám leoni mortuo.

Ὑποφορὰ *carnalium, qui tametsi in aduersis, mortem nonnunquam præferant vitæ, sicut capite quarto, mortuos præ viuis beatos prædicauit. Eos verò qui nunquam nati essent, omnium beatissimos pronunciauit: secundis tamen affluentibus, vitam in immensum laudant. ac mortuos quoscunque quasi in nihi-*

lum

lum cum ipsis animabus resolutos contemnunt, ac proinde quiduis vel obscurißimum & tenuißimum anteponendum esse nobilißimorum animantium cadaueribus, id est, cùm omnia bene habent, & secundum optata nostra fluant, tunc vita nihil nobilius, nihil præstabilius est, tunc vt in prouerbio est, viuus catulus melior est leone mortuo, hoc est omnium abiectißimus & minimè frugi homo viuus, beatior est (κατὰ φρόνημα σαρκὸς) præstantißimo heröe mortuo. Hæc Homerus non ignorauit, qui ita introducit Vlyssem & Achillem colloquentes: Vlysses: Te autem Achille nemo fuit maiorum felicior: nemo posthac futurus est. Dum enim superes, omnes Argiui te vt Deum admirabantur, nunc verò hîc inter mortuos habes imperium. Quamobrem etsi vita functus sis: noli tamen mœrere A-

chille. Cui iterum ille: Noli inquit inclyte Vlysse, mihi vllum de morte adferre solatium. Mallem rusticus, mercenarius, seruus, mendicus victus egens, superstes esse, quàm omnibus mortuis dominari. Hæc vox Epicureorum est, qui mortuos omnino perire existimant, nec aliam expectationem boni, præterquam præsentis haberi posse, de quo sic addit.

VERS. VII.

Viuentes sciunt se morituros esse, mortuos autem nescire quicquam, nec esse amplius eis mercedem, cùm obliuioni tradita fuerit eorum memoria.

Confirmatio proximè præcedentis dicti, ab adiunctis viuentium & mortuorum. Meliùs vtiq; est & optabilius vitam agere quàm mortuum esse. Nam viuentes sciunt, id est possident diuitias, honores, potentiam, gaudium, volup-

voluptates, agitant conuiuia, iucundis confabulationibus se oblectant, subinde audiunt noua, ita vt quotidie magis magisq́ viuere iuuet. Mortuorum autem conditio permiserabilis est, nihil noui ad eos perfertur, nihil sciunt, iacent in obliuione, nemo eos diligit, nemo odit, nemo eis inuidet. Expertes sunt omnium rerum quæ in hac vita aguntur, & vt summatim dicam, omnino de illis conclamatum est. Sic iudicat humana ratio, quando viuentibus mortuos comparat. Ad quæ illustranda pertinent illa verba M. Tull. lib. 1. Tuscul: Qui enim satis viderit id quod est luce clarius, animo & corpore consumpto, totoq́ animante deleto, & facto interim vniuerso, illud animal quod fuerit, factum esse nihil: is planè perspiciet inter Hippocentaurum, qui nunquam fuerit, & Regem Agamemnonem nihil interesse, nec plu-

ris nunc facere M. Camillum hoc ciuile bellum, quàm illo viuo ego fecero Romam captam &c: Et Epicurei, vt licentius sibi adblandiantur in his vitæ delitijs, non tantùm mortuorum animas nihil sentire somniant: sed & illa quæ dicuntur de inferorum pœnis, inania quædam figmenta esse clamitant. Sic Lucretius ea omnia, quæ poëtæ imitati sanctorum vatum scripta, prodiderunt esse apud inferos, nimirum Tantali, Tityi, Sisyphi, Danaidum pœnas, Cerberum, furias, tartarum, figmenta vocat, quæ sunt nobis in hac vita tantùm, nosq; viuos exercent, lacerant, excruciant, exterrent, fodicant. Immo sic concludit idem Antistes Epicuri:

Si anima à corpore seiuncta, sentire potest, ergo erit quinq; sensibus prædita.

At neq; oculi, neq; nares, neq; manus, neq; lingua, neq; aures sine anima esse

eſſe poſſunt, neq́ ſenſus ſine oculis, naribus, lingua, auribus &c.

Ergo anima à corpore ſemota non ſentit. Et per conſequens anima non eſt immortalis. Huiusmodi ſunt cogitationes hominum animalium omnia confundentium. Quos facilè reuincet doctrina ſpiritus ſancti, quæ diſcernit inter ſubſtantias corporales & ſpirituales, & de animæ immortalitate perſpicuè docet, ac teſtatur de præmijs iuſtorum & ſupplicijs damnandorum in æterna vita.

VERS. VIII.

Tum amor eorum, tum odium eorum, tum inuidia eorum, iam abolita ſunt, nec erit eis amplius pars in vlla re quæ fit ſub ſole.

EGregia mortis periphraſis, cuius ſingulæ ferè partes iam expoſitæ

ſunt, nimirum vbi debitum naturæ ſolutum fuerit, finem ſimul habituras inimicitias & amicitias erga defunctos. Nam eorum tam æmulatio defecit, quàm vita diſparuit, & vt breuiter dicam, nihil ex rebus noſtris futurum eſt commune ijs qui hinc migrarint. Ex huius verſus poſtrema clauſula, poſſet aliquis peruerſam connectere opinionem, quaſi vita functi poſt hanc vitam, nihil omnino ſentiant. Ad hoc quanquam ſubijcere poterimus, Salomonem recitatiuè huiusmodi diſputare, & ex impiorum perſona arguere: tamen quia hac poſita hypotheſi, ſancti mortui, peioris eſſent conditionis poſt mortem, quàm in hac vita fuerint. Hic enim poſiti & etiam in carne grauati, nihilominus Deum cognoſcere potuerunt. Si igitur poſt mortem omnino nihil ſcirent, magno hoc bono priuarentur. Et quid

quid opus erat tantoperè exoptare mortem, si post mortem homines peioris essent conditionis. Atqui Paulus mortem non semel exoptauit, vt Rom. 7. Infelix ego homo, quis me liberabit &c. Item Philip. 1 Cupio dissolui & esse cum Christo &c: Quæ cùm ita sese habeant, quæri poterit, an in abiuncta anima supersit memoria vel sensus? hoc est, an anima rationalis è corporeis vinculis auolans, seruet memoriam aliquam, vel quorum hîc fuerat conscia, vel saltem suorum? Hæc quæstio quanquam variè disputetur in scholis Platonicorum & Aristotelicorum: tamen pauca ad eam subijciemus, nimirum, quòd amimus separatus à corporis societate & contagione, recordetur præterita, præsentia cernat, & futura præuideat. Si enim corpus dormientis iacet vt mortui, animus autem & viget

& viuit, sequitur quòd idem multo magis post mortem faciet, cùm omnino corpore excesserit. Hæc breuiter de quæstione. Sed Augustinus in libro de spiritu & vita, propiùs ad præsentem locum accedens, ibi inquit, sunt spiritus defunctorum, vbi non vident, neq; audiunt quæ aguntur aut eueniunt in ista vita hominibus: ita tamen est ijs cura de viuis (quanquam quid agunt omnino nesciant) quemadmodum cura est nobis de mortuis, quamuis quid agunt vtiq; nesciamus. Nesciunt quidem mortui quid hîc agatur. Sed quid hîc agitur, postea audire possunt ab ijs qui hinc moriendo ad eos pergunt, non quidem omnino, sed quantum sinitur ijs indicare, & eos oportet audire. Scire etiam possunt ab angelis qui hîc nobis præstò sunt, & animas nostras ad illos deferunt &c. Breuiter mortui & maximè im-

mè impij, nihil amplius sciunt, hoc est, nullum medium tenent, vel quò ad profectum, vel quomodo possunt ad bonum reuerti. Perijt enim omnis memoria eorum cum sonitu. Psalm. 9. Et ab inferis non est redemptio. Intellige igitur hunc locum κατά τι *de solis impijs, qui omnino sunt sequestrati à consortio Ecclesiæ. Quibus nulla portio est eorum quæ fiunt sub sole. Nam si* ἁπλῶς & καθόλου *intelligatur, sequitur* τὸ ἄτοπον, *nimirum quòd Abraham, omnesq; ante Christi aduentum mortui, nullam habuerint partem, in his quæ Christus super terram gessit, id quod falsissimum. Sanguis enim Christi, nedum præsentibus tunc, sed & præteritis & futuris profuit.*

VERS IX.

Agedum comede cum lætitia cibum tuum, & bibe animo hilari vinum tuum: quandoquidem beneuolè prosequitur Deus ille facta tua.

VERS. X.

Omni tempore sumito vestimenta tua nitida, & vnguentum infusum capiti tuo ne deficito.

VERS. XI.

Fruere vita cum vxore quam amas, omnibus diebus vitæ vanissimæ tuæ, quam dedit tibi (Deus) sub sole, omnibus diebus vanissimis tuis, cùm hoc sit pars tua, in vita & labore tuo quo laboras sub sole.

Sicut solitus est Salomon post commemorationem vanitatis interponere versus intercalares, sic & hoc loco, iisdem

dem ſubijcit Epicureorum vſitatam Mimeſin, in qua enumerat ea opera in quibus conſiſtit externa hæc vita, vt ſunt comedere, bibere, honeſtè lætari, veſtiri mundè, amare &c. Inquit igitur: poſtquam verò homo talium errorum præſtigijs incantatus fuerit, incipit conſultare in hunc modum. Heu quid agis? cur non magis delitijs vacas? cur non epulis expleris omnibus & vino obrueris? Annon vides hæc omnia, ſiue ſint à Deo illo quem prædicant, ſiue aliunde (ironia) conceſſa, vt citra cuiuſquam prohibitionem ijs fruamur? veſtibus induere nuper lotis, hoc eſt curato te molliter (ſynecdoche) vnguento caput perungito. (Nam vt luctui congruit pullata toga, ita candida veſtis lætitiæ ſymbolum eſt, quemadmodum & vnguentum capitis, lætitiam animi notat &c.) Ac deniq; ſi tibi vxor obtigit, ſuaui-

ſuauiter cum illa, vt cum re tibi chariſsima, caducæ huius vitæ dies tibi naturaliter conceſſos exigito: præter hæc enim, tibi reliqui nihil erit tam hîc quàm poſt mortem. Hæ ſunt cogitationes Epicureorum, quas non melius ipſe Epicurus vel Lucretius deſcribere potuiſſet. Ac ſanè talium εἰκὼν cernitur in omnibus ſtatibus. Nec propter Epicureiſmum, luxum & inſolentiam, immeritò olim ſpirituales & animarum curatores reprehendebantur, ſed & iam illuceſcente clara Euangelij luce, paſsim eadem dominantur vitia. Quare laude dignus fuit Carolus quartus, ſapientiſsimus & prudentiſsimus princeps, qui conſiderans ſui temporis Epiſcoporum in docendo negligentiam, luxum & immodicum faſtum, παῤῥησίᾳ principe digna legatos pontificios excepit, & ad eorum poſtulata reſpondens, multa de offi-

de officio clericorum dixit, quòd debeant esse exemplaria gregis, monet quantum malorum, in totam plebem emanet ex corruptis moribus sacerdotum, rursus docet, quantum bona exempla valeant. Prædicat illis quid futurum sit nisi mutent mores, seruiantq; Domino non ventri. Nihil enim stare posse diu, quod non obit functiones suas à Deo & natura institutas, demonstratq; quomodo sanctè & inculpatè vixerint in monasterijs & collegijs primi patres, quibus beneuoli homines facti, tantas facultates in eos contulerunt. Quam orationem cùm finijsset, ad Archiepiscopum Moguntinum conuerso vultu, grauiore voce dixit: Domine Archiepiscope, mandamus qua possumus maxima autoritate, vt clerum vestrum omnem reducatis in viam, quò præsit & ministret Ecclesiæ, vt ædificentur homines eorum

nes eorumq; vita sit illiteratis liber vi-
uus, in quo discant sapientiam & pieta-
tem veram. Præcipimus verò inquit,
vt quàm primùm luxus vestium, comes-
sationum & compotationum tollatur,
& in ieiunijs & orationibus toti sint
&c. Hæc commonefactio illis tempo-
ribus imprimis necessaria fuit, in qui-
bus nefanda docentium vel potius mis-
santium (nam pauci vel nulli prorsus
erant Ecclesiarum doctores) scelera,
prædicationi & bonis institutis Christi
vehementer obstabant. Nec sanè &
hodie dissimilia apud multos, Euangelij
cursum ἀσχημοσύνῃ Ecclesiæ retar-
dant, conuellunt, labefactant, & omnia
in dubium vocant, apud quos Epicureo-
rum secta, haud minus quàm apud illos
fouetur, quorum encomia à mensa inci-
piunt, dum laudatur ciborum & potu-
um affluentia, numeratur ferculorum

varietas, delitiæ epularum magna festiuitate narrantur, conuiuia fiunt circularia, instituuntur, instaurantur & repetuntur. Sed relinquamus procos Penelopeos, eos obtestantes iterum atque iterum, vt cogitent de vitæ huius fugacitate, ac quòd omnem luxum & hominum insolentiam, finiet Dominus, cùm ipsius sapientiæ visum fuerit, cumque tempus aderit euanescet, sicut stipula rapitur à vento vehementi. Cæterùm simpliciter & absque Mimesi intelligendo hunc locum, eundem habet sensum quem & suprà sæpè posuit, nempe nihil meliùs, esse, quàm vt quis læto & pacato animo sit, & rebus præsentibus vtatur cum gratiarum actione. Lætus autem & pacatus animus nusquam acquiritur nisi fide in Christum qui est iusticia, securitas & redemptio. Christo autem per fidem suscepto, statim pacem &

cem & gaudium habemus in conscientia, quâ iustificati per fidem pacem habemus Rom. 5. Quicquid deinde ex fide & corde tranquillo proficiscitur, non potest non placere Deo, vnde & subdit:

VERS. XII.

Quicquid assequitur manus tua vt facias pro facultate tua fac, nam nullum est opus aut ratiocinium aut scientia sapientiaué in sepulcro quo iturus es.

Conclusio superiorum versuum, quam si transfers ad mimesin, ἐπιμελσύνη *est Epicureorum: fruere ergo præsentibus, nam ab inferno tibi non est timendum, in quem omnes proficisci dicimur, expers enim est sapientiæ, sensusq́: ita vt infernus accipiatur pro sepulcro, & anima intereat cum corpore, iuxta eorum opinionem. Cæterùm si refera-*

ſi referatur ad poſteriorem interpretationem quam ſemper retinuimus, προτροπὴ eſt, quâ iubet nos ſtudioſè obtemperare vocationi & euentus Deo commendare, & quidem fidelitatem ac diligentiam poſtulat cùm ait: Quicquid aſſequitur manus tua vt facias: id eſt, primùm etiam atq; etiam diſpicito, vt Deo per fidem placeas, ac deinde munia vocationis audacter & ſine cunctatione perfice, dominus enim tecum eſt. Hæc ſuauiſſima eſt conſolatio, vt pij ſciant talem curſum iuxta vocationem Deo placere & gubernari diuinitùs, quanquam multa incidunt impedimenta & multæ offenſiones. Huc referendæ ſunt dulciſſimæ vitæ regulæ pſalmi 36: Subditus eſto Deo & ora eum. Commenda Deo viam tuam & ſpera in eum, & ipſe faciet. Expecta Dominum & cuſtodi viam eius. Iacta

curam tuam in Dominum, & ipſe te ſuſtentabit. Primùm quærite regnum Dei, & cætera adijcientur vobis. Ne ſitis ſoliciti de craſtino, ſufficit diei afflictio. Fac neceſſaria, & pete ac expecta auxilium à Deo, nec moueas non neceſſaria. Sed intuens in mandata Dei, hanc normam ſequaris, & ſcias ex Euangelio placere obedientiam propter mediatorem, & per eum ac propter eum, labores tuos fore ſalutares, ſicut inquit, ſine me nihil poteſtis facere. Et Paulus inquit, non erit inanis labor veſter in Domino, efficiet ipſe filius Dei vt curſus tuus proſit Eccleſiæ, ſicut ſcriptum eſt, aſcendit dedit dona hominibus &c. Nam nullum eſt opus, aut ratiocinium, aut ſcientia, aut ſapientia in ſepulcro. *Cauſa finalis cur adeo diligenter munia vocationis ſint vrgenda, quòd incertum illud tempus inſtet,*

quo

quo iacens in sepulcro nihil agere, immo ne cogitare quidem poteris, omni tum ad agendum prudentia, tum ad deliberandum sapientia destitutus. In hac igitur vita tempus datur operandi, credendi & charitatem exercendi, scientiam ac sapientiam rectè collocandi, & his in fide ac dilectione perfruendi. Nam vbi hinc demigrauerimus, de nostris operibus, artibus ac scientia actum erit. Nemo enim tuis indigebit operibus, sapientiâ aut scientiâ, sed tum decernentur præmia pijs & impijs. Quare hic tempus est eruditionem, sapientiam, scientiam, diuitias & opes, feliciter impendendi non autem post mortem.

VERS. XIII.

Conuertens me animaduertebam sub sole, non esse leuium cursum, neque

robustorum prælium, nec etiam sapientum cibum, neq; etiam prudentum diuitias, neq; etiam scitorum gratiam: sed tempus & casum accidere omnibus his.

Πρόληψις cuius ὑποφορὰ *talis est. Quid prodest laborare, cùm vincere in cursu, brauiumq; accipere non sit cuiuscunq; leuis ac expediti ad currendum: neq; omnium qui potentes sunt, egregium se ac inuictum præstare in bello: neq; ad prudentes, sapientesq; viros atq; industrios diuitias deuolui, sed neq; eos qui multa nouerunt, gratiam consequi: casus enim omnibus contingunt communes, hoc est incerti rerum euentus. Nihilq; est hominibus vnquam satis, nihilq; vndiq; perfectum, nihil æquale omniaq; ferè dißimili fine terminantur. Transeunt enim omnia & immutantur, inacceßis Dei iudicijs &c. Ad hoc respondet, volo inquit vt labores &*

tamen

tamen volo homines non confidere propria sapientia & fortitudine, non mouere res non necessarias, fiducia propriæ sapientiæ & fortitudinis, sed petere & expectare auxilium à Deo, & qualescunq; sint euentus non deficere à Deo, nec fremere aduersus eum, sed agnoscere suam infirmitatem. Breuiter, non damnat Salomon media, sed docet non confidendum in eis, nec eis ascribendum si quæ bona acquirimus. Prodest quidem interdum velocitas & fuga. Sic enim & Dauid & Paulus plura pericula fugiendo euaserunt. Verùm quòd nemo sua velocitate omnia poßit euadere pericula, hic locus Ecclesiastæ vel euidentiùs illud Hieremiæ 46. indicat. Velox (inquit) non effugiet, & fortem sua non eripiet fortitudo. Si igitur periculum aliquod euaseris, non tuæ velocitati ascribas sed diuinæ protectioni.

Hinc Paulus, Ipse (inquit) eripuit nos, ipse etiam & in posterum vt speramus eripiet, 2. Cor. 1. Nihil igitur ages tua vel fuga vel velocitate, nisi Deus protexerit. Fortis autem vir, impauidus & extrilidus est, animoq́ subnixo eminentiq́. Hinc ratio putat fortitudinem plurimum posse, sed tamen contrarium sæpenumero experitur. Nam Abraham trecentis vernaculis superauit quatuor Reges. Et Iosue ciuitatem Iericho sine vllis humanis adminiculis cœpit. Et Gedeon clangore buccinæ Madianitas prostrauit. Quomodo & Hußitæ iusta Dei indignatione ob sanguinem innocentem Iohannis Hußij & eius socij, vel solo aspectu hostes fugarunt. Nam cùm in Bohemiam maximi exercitus tres ingreßi essent vastandam, confisi multitudine & fortitudine sua, magis quàm brachio Domini.

Domini. Vbi autem in hostis conspe-ctum venerunt, terror eos tantus inua-sit, vt facilè euentum rei videre potue-rint, paulò rerum bellicarum peritiores. Hussitæ autem quamuis pauci erant, ta-men omnibus in vnum collectis, acieq́ instructa, infesta in hostẽ signa ferunt, quod Papistæ vbi viderunt, immo vbi audiuerunt, pauci conspexerunt hostem, sed fugam turpissimam arripiunt, fu-giuntq́ nemine persequente, vnoq́ im-petu fugæ per syluam currunt. Impe-dimenta omnia machinæq́ bellicæ sunt Hussitis relicta prædæ. Hoc aliquo-ties accidit. Et quamuis erant qui fu-gientes adhortati sunt vt manerent, bellum esse contra hæreticos canes, sata-næ traditos (sic enim vocabant Hussi-tas) frustrà tamen concionantur. Surdæ enim erant omnium aures, omnisq́ vis omnium in corporibus partium dilapsa

est in fugaces pedes &c. Res igitur bellica non sita est in robore aut fortitudine humana, sed in auxilio diuino. In cuius solius manu victoria posita est. Quam victoriam Deus aliquando confert medio fortitudinis, vt doceat iusta & bona media non esse aspernanda, nec item spretis medijs fas esse Deum tentare. At aliquando citra medium fortitudinis victoriam dat, vt declaret nihil fiduciæ in media collocandum esse, sed in suas solius manus introspiciendum. Eodem modo iudicandum est de laborum fructibus, victu, amictu, diuitijs fauore & alijs similibus.

VERS. XIIII.

Etiam nescire hominem tempus suum, sicut nesciunt pisces qui capiuntur reti malo (& vt nesciunt) aues quæ capiuntnr laqueo: sicut ista irretiri, filios hominis tempore mali, cùm irruit in eos repentè.

Ἐπανόρθωσις superioris & incrementum non solùm casus communes contingunt, hoc est incerti rerum euentus, sed & ingentes calamitates, quarum eadem est ratio quæ & mortis. Sicut enim mors nos improuisos aggreditur & imparatos. Quocunque enim tempore adsit, semper adhuc aliquid à nobis absoluendum restat, eodem modo omnis calamitas se habet. Nam sensim se insinuat & nostris ceruicibus incumbit, antè quàm quicquam eiusmodi cogitemus. Multi sæpè falsis persuasionibus & stulta spe incitati, somniant bonos euentus, cùm tamen in medio cursu magnis calamitatibus opprimantur, vt accidit Mario, Pompeio, Iulio & alijs erumpentibus extra vocationem. Et sanè si fortunæ cæcæ illius heræ ludum respicias, videbis illi nihil æquè volupe, quàm miserrimum eum facere, qui dudum erat

longè omnium felicißimus. Nonne Dionysius tam potens tyrannus eò, fortunæ ludibrio coactus est, vt Corinthi ludum aperiret, sola videlicet Grammatica in egestate opitulante. Nonne Belisarius clarißimus belli imperator, toties victor, toties triumphator, tandem in triuio tugurium habitauit, stipemq́ mendicans à prætereuntibus dixit, viator, da obulum Belisario, quem virtus extulit cæcauit inuidia. Nonne Pasaïtes potentißimus Turcarum tyrannus, qui tot regiones sibi subiugauit, quot vno spiritu nunquam percurras, is inquam tantus princeps post tot victorias, nonne à Tamerlane ignobili ac plebeio homine & gregario primum milite, prælio fusus est? ac catena vinctus? sub Tamerlanis mensa (res miranda) quasi canis deinceps micas collegit, ac ossa arrosit? eidem equo ascensuro, ceruicem

pro ſcabello inclinauit? Quocirca prudenter Ariſtippus interrogatus, quid ciuibus ſuis renunciatum iri cuperet. Tales (inquit) vt opes prolibus ſuis parent, quæ naufragio etiam paſſos errando ſequantur, ſcientiam enim ac honeſtas artes indicauit. Quibus ego longè precioſiora iudico & ſtabiliora, Dei timorem, ſobrietatem & vigilantiam, quæ nobis conciliant optimum portum, confugium & certiſsimum viaticum Dominum nimirum, & portionem cœleſtis vitæ. Hæ ſunt enim poſſeßiones firmæ, atq; in omne æuum ſtabiles, ex quibus nullum bellum ſpolia ducit. Sed nunc porrò amplificat imprudentiam mentium humanarum & repentinas calamitates, duabus ſimilitudinibus ſumptis à piſcibus qui cibum petunt & hamum vorant, auibus quæ paſtum quærunt, nihil minùs cogitantes quàm laqueum

queum

queum & ecce subitò capiuntur. Sic & homines qui fluitans & instabile huius vitæ pelagus sulcant, varias voluptatum illecebras consectantes, quasi carentes ratione pisciculi, malis retibus implicantur, & cùm sibi videantur excelsi esse atq; aërambuli retiaculis & laqueis attracti, miserè conterendi iustis puniuntur supplicijs.

VERS. XV.

Etiam hanc animaduertebam sapientiam sub sole, quæ magna est apud me.

Alius inductionis locus de humanorum consiliorum euentu, quo damnat mundum, & quòd vanitates sequitur, & sapientiam si quæ inuenitur contemnit. Hîc autem considerandum est, quam inconstans sit humani ratiocinij iudicium, quòd ratio in considerandis rebus, non à Domino aut eius verbo, sed

à suo cerebro aut à fortuitis euentibus consilium petat: sup. 2. dixit: Si vnus idemq́ stulti & sapientis est interitus, quid mihi prodest quòd maiorem dedi operam sapientiæ? Iam verò amplißimis elogijs ornat sapientiam, ac dicit meliorem esse eam fortitudine & cataphracto milite, quòd valde memorando & insigni demonstrat exemplo versus sequentis.

VERS. XVI.

Fuit ciuitas quædam parua, in qua homines pauci erant, & venit aduersus eum Rex magnus qui obsedit eam, & extruxit contra eam munitiones magnas.

VERS XVII.

Est autem in ea inuentus vel pauper sapiens, qui liberauit ciuitatem sapientia sua, nec quisquam est recordatus illius viri. Para-

PArabola ſiue exemplum de ſapien-tiæ vſu. Alijs omnia incerta di-centibus, & ſapientem à ſtulto amplius nihil habere, ego ſapientiam in hoc ma-ximam comprobaui, quòd crebro euenit, vt parua ſit ciuitas & habitatores in ea pauci, & innumerabilium hoſtium cin-gatur exercitu & obſidione, & fame populus intùs necetur, & repentè con-tra omnium ſuſpicionem inueniri virum humilem & pauperem, qui haberet ſa-pientiam maiorem, cunctis diuitibus ma-gnis & potentibus & ſuperbis in peri-culo poſitis, & obſidionem pauentibus, qui cogitat & inquirit vt inueniat quo-modo à malis eruat ciuitatem &c. Hæc ſanè egregia eſt doctrina, quâ oſtendit ſapientiam præſtare fortitudini quàm longiſſimè, ſimulq́; taxat hominum ſtul-titiam, qui ſapientiam plerumq́; contem-nunt propter perſonæ humilitatem.

Hæc

Hæc exemplis notißima sunt, ac imprimis quòd sapientia excellat fortitudinem, declarat gubernatio nauis, in qua gubernator quietus ad clauum sedet, cæteri verò huc illuc operosi cursitant: quorum hic velum expandit, alius contrahit rudentes, est qui exhauriat sentinam, alius deniq; alia curat: sed tamen quieta gubernatio & ductus gubernatoris plus momenti habet, quàm omnia reliquorum operosa negocia. Ac idem in corpore humano cernere licet. Venter quasi quietus est & ociosus, nec vllum laborem, quod quidem videri poßit suscipit, quin potiùs quòd alia membra per laborem acquisierunt, id ociosus consumit: Veruntamen quieta eius operatio vel potiùs ocium, plus vtilitatis habet, quàm omnes reliquorum membrorum labores. Ita quoq; sapientiæ opera quasi tecta silent, immo ocium

omnino

omnino agere ea videtur, sed accidit hîc quod vulgare habet prouerbium: ocium est maximus labor. Deinde quòd pauper & sapiens vtilia efficiat, modò eius consilia à concitata multitudine non fuerint reiecta, plurimis ex historijs patet, nimirum Iudithæ, quæ paruam ciuitatem Bethuliam, contra Holofernem potentißimum liberauit. Ieremias quoq; vir pauper fuit, & nulla ferè authoritate, qui quanquam ei plurimi non obtemperabant: tamen in illa tanta confusione & direptione Hierosolymitana, præcipuè seruauit Ecclesiam. De viris sanctis regna & vrbes sapientia sua conseruantibus, infinita adduci possent exempla, quibus præteritis saltem memorabile ac nobile factum sapientißimi viri Procli proferam. Anastasius Vitellioni Thraci, qui Misis & Schytis sibi conciliatis seditionem

nem

nem mouebat, ex agro Byzantio prædas agebat, classeq; vrbem obsidebat, per Marianum præfectum restitit, naualiq; pugna commissa ex machina quadam à Proclo viro excellentissimo facta, (is enim tum & in philosophia & in mathematicis florebat, neq; Archimedis duntaxat celeberrimi artificis cognorat omnia, sed & ipse noua quædam adinuenerat) classis hostium debellata est. Nam specula ex ære fabricasse vrentia fertur Proclus, eaq; de muro è regione hostilium nauium suspendisse, in quæ cùm solares radij impegissent, ignem inde fulminis instar erumpentem classiarios, ipsasq; naues hostium combusisse, quod olim Archimedem excogitasse, Romanis Syracusas obsidentibus Dion refert. Huic historiæ adiungere meritò possumus Diogneti sapientiam, Rhodium mirabili euentu li-

berãtis, rex Demetrius qui propter animi pertinaciam Poliorcetes est appellatus, contra Rhodium bellum durissimum adornando, comparauit helepolim sumptibus immanibus, industriâ laboreq́ summo. Hæc cùm animaduertissent Rhodij, qui prius Diognetum pauperem, iniuria & contumelia affecerunt, posteaquam viderunt hostem pertinaciter infestum, & machinam ad capiendam vrbem comparatam, periculum seruitutis metuentes, & nil nisi ciuitatis vastitatem expectandam, procubuerunt miserabili vociferatione Diognetum rogantes, vt auxiliaretur patriæ. Is primò negauit se facturum, sed postquam ingenuæ virgines, & ephebi cum sacerdotibus venerunt ad deprecandum, tunc est pollicitus his legibus, vt si eam machinam cœpisset, sua esset. His ita constitutis, quâ, machina accessura erat, ea

regione

regione murum pertudit, & iußit omnes publicè & priuatim, quod quisq; habuisset aquæ, luti & stercoris, per eam fenestram, perq; canales effundere ante murum. Cùm igitur ibi magna vis aquæ, luti, stercoris, nocte, profusa fuisset, postero die helepolis accedens, antequam appropinquaret ad murum, in humida voragine acta consedit, nec progredi, nec regredi postea potuit. Itaq; Demetrius cùm vidisset sapientiâ Diogneti se deceptum esse, cum classe sua discesßit. Ergo tot tantisque, tamque locupletibus testimonijs & historiarum exemplis, facilè comprobatur verißimè esse in hoc versu à Salomone de sapientiæ admirabili vsu pronunciatum, sed eius contemptus nunc sequitur: Nec tamen quisquàm recordatus est viri illius. *Clausula de mundi turgido fastu, qui*

sapientiam æstimat è diuitijs, eandemq́; contemnit propter paupertatem, & simul quoq́; de ingratitudine erga bene merentes. Solent enim plerumq́; homines beneficiorum immemores, consilia pusillorum hominum, quanquam sint perutilia paruifacere, cùm tamen opulentis & potentibus adulentur, eorumq́; sermones laudibus in cœlum vehant. Sic Pharao contempsit consilium Mosis propter humilitatem eius. Exod: 5. Et Achab consilium Michæ. 3. Reg. 22. Sedechias consilium Hieremiæ. Agrippa consilium Pauli: ita homines abripit œstrum ambitionis, vt sapientiam existiment, non nisi cum opibus & potentia coniunctam esse. Verùm omnes hi iam nominati, & alij innumeri pœnas luerunt despecti consilij meritas.

VERS. XVIII.

Tunc

Tunc dixi ego præstantior est sapientia quàm robur, quamuis sapientia pauperis est despecta, & verba eius non audiantur.

Illatio ex antecedenti. Quamuis hæc in paupere, sapientia fuerit ab ingratis despecta, nec celebretur illius insignis facti memoria: nihilominus ego sapientiæ virtutem, quibusuis corporis aut alijs eiusmodi viribus anteponendam censeo. Hic est sensus, ex quo meminerimus donum Dei esse præclarissimum, sapientiam, & donum eiusdem esse singulare, si admirationi sit & expetatur. Ac licet videamus sapientes à fatuis & potentioribus contemni, sicut Simonides interrogatus, diuitem ne præstat esse an sapientem? Sapientes inquit, in diuitum vestibulis hærere video: sciamus tamen sapientiam omnibus Midæ thesauris præferendam

ferendam esse, & vel saltem eius vsum quo homines commonefiant, solùm Deum in conspectu & omnibus actionibus habendum, eumq; mercedem præsidiumq; esse omnium laborum & actionum nostrarum firmißimum, præmium quoq; sufficientißimũ, reliqua autem à sapientia hac sequestrata, caduca esse & fragilia, puerilibusq; consentanea crepundijs. Nam quæ vires atq; opes humanæ vocantur, affluunt subitò, repentè dilabuntur, nullo in loco, nulla in persona: stabilibus nixa radicibus consistunt: sed incertißimo flatu fortunæ, huc atq; illuc acta, quos in sublime extulerunt, improuiso recursu destitutos, in profundum cladium miserabiliter immergunt. Quare cùm sapientia minimè conferenda, quæ inflictorum malorum amaritudinem, desiderio sui duplicant. Hoc tuum robur ô sapientia,

sed

sed te alloquor tu vmbratilis & humana, nonne Alexander ille Magnus præstantiam tuam considerans, ad Aristotelem scribens, asserit sese præoptare, rerum cognitione præstare cæteris quàm imperio? Sed rectiùs tu Robarte Siciliæ Rex clarissime, vtramque coniunctam perpendens, iurasti si alterutro carendum foret, æquanimius te regno, quàm literarum monumentis, in quibus studium sapientiæ comprehenditur, cariturum. Intellexisti proculdubio neglecto sapientiæ studio, contemptum religionis hinc sequi, eius verò contemptum non posse non plurima consequi mala, nimirum agrestes inhumanosque hominum mores, perfidiam, omnis charitatis & mutuæ humanæ affectionis abolitionem, stupra, iuuentutis petulantiam, odia plus quàm serpentina, auaritiam, viperi-

nas & malas cordium cogitationes, magiſtratuum omnisq́ principatus, contemptus, & odium, breuiter lernam malorum, confuſumq́ chaos, quod nulla ratione imperioq́ gubernari poteſt.

VERS. XIX.

Verba igitur ſapientum ſubmiſſorum audienda eſſe, potius quàm clamorem dominantis, cum ſtultis ſuis.

Cauſam reddit vnde tanta proceſſit ingratitudo erga pauperem ſapientem, & cur eius conſilium non audiatur. Quòd corda ſtultorum excæcata ſint ſuis affectibus. Quantumcunq́ enim ſapienter conſulas, nihil tamen efficies, niſi apud eos qui ſedatis ſunt animis. Nam ſicut aqua perturbata non eſt perſpicua, ſed ſi vis videre fundum, oportet vt aqua reſideat: Sic omnes qui conceperint aliquid animo, ſunt imperſuaſibiles, niſi reſederit illa conceptio,

quâ tenentur capti quasi fascino. Verba autem sapientum submissorum, *id est, infirmorum, qui submissè solent apud omnes agere, audiuntur à silentibus, id est non furentibus aliqua cupiditate, sed quærentibus veritatem, & ea quæ sunt salutaria. Apud stultos autem (qualis est communis populus cùm in seditionem vertitur) nullum consilium, nulla orationis θέλγητρα, nec vlla concionum tonitrua, neq; vllus clamor etiam maximorum & sapientißimorum principum quicquam impetrat. Qui igitur principum & summorum virorum consilia respuit, quantò minùs pauperis alicuius, & infimæ fortunæ homuncionis admonitionem audiet? præsertim cùm mundus sapientiam non recipiat, nisi diuitijs vestita, opibus armata ac nobilitate ornata adueniat? Contra hoc peruersum carnis iudicium, armare nos de-*

bemus, & sciamus etiam infimorum ac quasi à mundo reiectorum consilia, nobis vtilia & salutaria. Quare & in huiusmodi agnoscere Dei dona debemus, & sapientiam non esse alligatam ad certas personas, senio, authoritate & opibus præstantes, statuamus, sed sæpenumero iuniorem ætatem contemptam & pauperem, æquè bene vel meliusculè interdum, quàm seniores & potentes aliquid discernere: Siquidem non ætate aut dignitate, sed ingenio inspirationeq́ue prouenit sapientia. Neq́ue enim semper numerus & multitudo dierum, aut nobilitas stirpis dant sapientiam, sed ingenium cœlitùs infusum, ac spiritus Domini sapientiam præstat etiam paruulis. Sic Samuel cùm esset pusillus, accepit etiam spiritum Domini. Salomon quoq́ue & Iosias in iuuentute acceperunt sapientiam. Ac Daniel puer duode-

duodecim annorum ſpiritu ſancto repletus eſt. Et Ignatius ad Magneſianam Eccleſiam ſcribens ait: non longi temporis ſunt ſapientes, neq; ſenes & potentes ſciunt prudentiam, ſed ſpiritus ipſe qui eſt in hominibus &c. Diligenter etiam conſiderandum eſt diſcrimen felicis & infelicis ſapientiæ. Sapientia certè felix eſt, vbi gubernat conſilia verbum Dei. In hac, ſucceſſus proſperi ſunt, & totis gentibus ſalutares & tanaem victrix eſt, etiamſi aliquantiſper magnæ ærumnæ ferendæ ſint: Vt Dauid, Ezechias, Hieremias & aliqui ſimiles fuerunt & ſapientes & felices, & manſerunt intra metas vocationis ſuæ & verbi Dei, & magna certamina ſuſtinuerunt, Alij fuerunt ſapientes, id eſt viderunt artes augendæ ſapientiæ, ſed hæc ſapientia fuit infelix ipſis & ciuibus, quia non regebatur verbo DEI.

Tales

Tales fuerunt Pericles, Demoſthenes, Craſſus, Pompeius. Ac plerumq́; ſunt inſignia errata eorum, qui maximâ excellunt ſapientiâ, quia ſuperbia & πολυπραγμοσύνῃ ſubinde titubant. Sine tuo numine, nihil eſt in homine.

VERS. XX.

Præſtat ſapientia armis bellicis, at peccans vnus, euertit bonum multum.

EPimone eiuſdem de vſu ſapientiæ, à teſtimonio omniū bella gerentium & idem affirmantium: Nihil ſcilicet eſſe arma bellica ſine prudentia & conſilio: & ſapientiam plus efficere in bello, quàm vires. Sic Romani gloriantur, ſe vicisſe orbem, non viribus ſed ſapientia. Egregium ſanè Encomion illud eſt, nimirum magnum in ipſa momentum eſſe, magnamq́; vim poſitam, ad feliciter recteq́; agendum in qualibet re.

Et

Et necesse sanè est sine eius ductu, fluctuare res omnes, & paßim tanquam sine gubernaculo, sine rectore iactari, ad quam solam respicientes, tranquillum & inoffensum dirigimus cursum. Ipsa docet nos consulere rectè, omniaq; prudenter & cum ratione suscipere. Ipsa omni decore modestiaq; nos componit. Ipsa æquabilitatem erga cunctos, iusticiamq; demonstrat. Celebremus aliquem auditione clarum: at sapientia eum instruxit. Veneremur prudentem, Rempubl. rectè gubernantem: at sapientia ipsi monstrauit gubernationis normam? Magna igitur dignitas est & maximus vsus sapientiæ, quæ tam latè quàm hominum vita patet. Nec aliquid nisi hac magistra atq; præmonstrante, publicè aut priuatim, non in ocio aut negocio, pace aut bello, laude dignum gesserit quisquam. Hæc sapientia, non

tam

tam ciuitates & regna conseruat, quàm suis possessoribus mirandum conciliat robur. Hæc persuadet Platoni, & in Siciliam nauigare compellit, nec metuit ipsa iubente, mare, pyratas, tyranni fastum, tyrannoq; ipso grauiora. Hâc confirmatus Socrates, in carcerem properat, & ductorem suum, erecto plenoque gradu præcedit, ac deinde constanti manu, sumit venenum, atq; intrepidus, hilaris, & sitienti similis haurit, collaudato quoq; eo, qui porrexerat: præsentes amicos tanquam alieni exitus spectator adesset solatur atq; confirmat. Sed vnde tanta viris illis constantia? nisi quòd docuerat ipsos sapientia omnia, ad quæ trepidant imperiti, quæq; vanis terroribus implentur, non mala esse, nisi eis, qui quàm verè sint bona, ignorant. De hac sapientia amplius dicturus, commodum mihi videtur vti consilio

Timantis

Timantis, qui Iphigeniæ immolationem pictura expressurus, quum dolorem omnem quantum arte sua assequi posset, in aliorum vultibus consumpsisset, desperans, patris Agamemnonis se lachrymas imitari posse, faciem ipsius velauit, satius putans, prorsus non attingere, quàm parum feliciter tentare: Sic ego cùm sapientiæ perorandæ, imparem me videam, modestißimi credo pudoris silere de ipsa, & maiestatem suam, non aliter, quàm religiosè stupenda taciturnitate mirari. Sed restat: At peccans vnus, euertit multum bonum. *Antithesis superioris. Sicut sapiens vnus, regna & ciuitates cumulat ingentibus beneficijs, studio & vigilantia sua: ita flammis, furibundisq; facibus cupiditatis & stoliditatis, incitatus vnus aliquis primariæ authoritatis vir infinita mala in Rebuspubl. semper dare solet.*

Huius

Huius rei non tam Syllas, Cæsares, Clodios, Verres, Antonios commemorare possumus, quàm quotidiana paßim exempla respublicæ omnes & singulæ suppeditent. Quæ igitur Respubl. sapientem gubernatorem virtutum ducem obtinent, ipsamq́ue sapientiam præfixam habent, ad quam omnia referant, recta ratione ducuntur & omnium sunt florentißimæ: Quæ verò aut opes, aut libertatem excussa sapientia spectant, peruersa ratione feruntur, non sunt diuturnæ. Exempla etiam docent ab ijs, qui sapientia potiùs quàm opibus claruêre, respublicas seruatas, & magnis beneficijs affectas, cuius rei Aristides, Epaminondas & Lycurgus sunt argumento. Contrà à potentibus & stolidis sæpè euersas constat, quod imprimis declarant Iulij Cæsaris secula. Non immeritò igitur scribit Iulius Capitolinus

historiographus elegantissimus, Marcum imperatorem semper in ore habuisse illud diuini Platonis: florere ciuitates, si aut philosophi imperarent, aut imperatores philosopharentur. Et Deus ipse cùm Israeli Regem imponeret, non tam eum legis ac sapientiæ studio, ex cuius præscriptione regeret subiecit: sed & ei prophetas, qui eius libidinem coercerent, tanquam ephoros adiunxit. Et quæ imperia firma vnquam fuerunt, in eis moderandis sapientum semper potior fuit ratio habita, vt documento sunt Hebræorum & Græcorum Respub. Horum exemplo si nostri principes Rempub. orbis christiani gubernent, ei optimè consultum erit. Nam & hi suam quam sequantur sapientiam, suos item quibus obsequi par sit Ephoros, imperij consortes, consiliarios habent. Neq; desunt legis diuinæ interpretes & prophetæ,

qui quæ ex re ſint reipublicæ chriſtia-næ, & quid deceat Reges & princi-pes, ſapienter admonent.

VERS XXI.

Sicut muſcæ mortuæ, fœtere & ſcaturire faciunt vnguentum aro-matarij: Sic eum qui ob ſapientiam & ſplendorem eſt in precio, ſtolidita-tis parum.

PArabola qua declaratur, quod ſupra dixit, ſicut muſca impurum eſt ani-mal, quòd putredines et vlcera inſidendo exugit, appetitq́; laceræ cutis ſciſſuras. Mortificat etiam & corrumpit oleum vnguentarium muſca, cùm in illud te-merè proijcit: nam & ipſa immoritur, & vnguenti vim omnem extinguit: Sic bona conſilia, doctrina & artes rectè conſtitutæ, corrumpuntur per ardeli-

ardeliones, qui faciliùs audiuntur in aulis & populo, quàm homines modeſti & pauperes, rectè docentes aut ſalutaria conſulentes. Huius rei documento ſunt clariſsimi philoſophi, Plato, Zeno Eleates, Apollonius Tyanæus & alij. Ac in populo Dei Iſrael, ſacri vates, qui à ſychophantis traducti ſunt, & vehementer inſimulati propter ſalutaria conſilia, & tandem grauia à tyrannis ſunt paſsi. Sic propter ſalutare conſilium Micheas, ab impio adulatore Sedechia, miſerè vapulat in maxilla, & à crudeliſsimo Achab mittitur in carcerem, vt ſuſtentetur pane tribulationis & aqua anguſtiæ. Rectè igitur Ptolomæus, cui cognomen fuit Philadelphus, dixit, præter alia illud maximè incommodum eſſe in tyrannide,

quòd multos innocentes commodi sui gratiâ, cogantur occidere tyranni. Habet quoq; etiam hoc tempore Ecclesiastica Respub. suos tyrannos, qui quantum interdum sæuiant in sapientes & probos viros, palàm est, vbi hoc Comici licet verum agnoscere: obsequium amicos, veritas odium parit. Sed quo verbi Dei & veritatis iactura grauior est, eò illorum tyrannis perniciosior. Sed talium scelerum duo sunt fontes, ambitio scilicet & pecuniæ cupiditas. Hæ duæ malorum causæ, omnes etiam quæ vnquam perierunt, Respub. labefactarunt. Non igitur malè μισάνθρωπος *ille Timon, duo malorum principia statuit, auaritiam & ambitionem.*

VERS. XXII.

Cor ſapientis eſt ad dexteram eius, cor autem ſtulti ad ſiniſtram eius.

Diſcri-

DIſcrimen inter ſapientem & ſtultum, per metaphoram à gladiatoribus qui dextera aduerſarios petunt, ſiniſtra aduerſariorum ictus eludunt. Sapiens vtitur ſingulari prudentia pro loco & perſonis, ſecundum quod viderit dexteræ vel ſiniſtræ ceſſurum ſuum conſilium &c. Baſilius ille magnus, vir vndiquaq; ſapientiſſimus & prudentìſſimus, ſapientia ſua ſingulari, Valentem illum ſanguiſugam truculentiſſimum, in officio pietatis diu retinuit, & ab Arianiſmo reuocauit. Nam cùm idem Valens ad Cæſaream Cappadociæ veniſſet, vbi Baſilius Epiſcopi munere fungebatur, vt Eccleſias orthodoxorum vaſtaret, ſicut priùs omnes ferè orientis Eccleſias, paſtore nudaſſet, admiratus ſapientiam Baſilij, eum venerari cœpit, vocatumq; in aulam ad ſe, quâ ipſe reſidebat, multa apud

eum de diuinis dogmatibus, verba fecit, & docentem libenter audiuit. Vbi cùm fortè Demosthenes quidam nomine, aulicæ culinæ præfectus adesset, Basiliumq; reprehenderet, subridens Basilius inquit: Vidimus sine literis Demosthenem. Cùmq; idem incitatus vehementiùs minitaretur extrema, fertur Basilius prudenter respondisse: Tuum est de pulmentarijs cogitare, non dogmata diuina decoquere. Ita diu Basilius furorem Valentis cohibuit, & Ecclesiam prudentia sua conseruauit, sed tandem impius Valens totus obsessus ab Arianis, cùm legem de exilio Basilij nolentis accedere ad Arianismum, scribi iußisset, quam subscriptione manus suæ roborare volens, nullum apicem complere valuit. Calamus enim statim contritus est: Cumq; secundus & tertius calamus hoc pertulisset, & ipse adhuc legem impiam

piam firmare contenderet, dextera eius commota eſt, ac tremor ſubitus eum inuaſit, hinc animo terrore concuſſo, ambabus manibus arreptam chartam, fruſtratim diſrupit. In hunc modum Baſilius à Deo defenſus, vſq; ad finem vitæ in hoc mundo ſedem ſuam tranquillè rexit. Similia de Athanaſij & Chryſoſtomi ſapientia commemorari poſſunt. Sed cor ſtulti ad ſiniſtram eius. *Cor vtrinq; pro intellectu ac mente accipi, per metonymiam ſubiecti debet. Materiale enim cor & carneum, omnibus in ea parte corporis ſitum eſt, quam thoracis cratem appellant &c. Sicut igitur ſapientis cogitationes & intellectus, ſemper in dexteras vergit virtutum & laudabilium actionum partes: ita ſtulti mens in ſiniſtra fertur, hoc eſt, ſtultus non compos ſuæ mentis, perrumpit ſecundum ſuos affectus. Qua-*

re sicut sapientes firmiùs tenentur, ne obtemperent iracundiæ, dolori, ambitioni: Sic stulti infirmius tenentur, sed ruunt, quò ira, cupiditas gloriæ, dolor aut alij cæci affectus impellunt. Est itaq; magna res, posse moderari cor suum. Hoc autem nemo potest, nisi qui nouerit mundum & respexerit diuinum iudicium.

VERS. XXIII.

Nam etiam in ipsa via, cum stolidus ambulat, animus eius est demens & prædicat omnibus stolidum se esse.

CONfirmatio alterius antitheti stulti nimirum, in qua regula traditur de proprietate, vniuersaliter coniuncta cum falsa persuasione sapientiæ, videlicet, quòd omnes stulti sint arrogantes, sese admirentur, & alios despiciant ac

iudicent

iudicent fatuos esse, sicut Epicurei & Hypocritæ iudicant insanire apostolos, Et Pompeius iudicat errare dissuasores belli. Sunt igitur tria hæc adiuncta fatui. 1. Non audire, deinde perrumpere, ac postremò quicquid contradixeris irridere. Quare sicut baculus rectus, videtur fractus in aquam positus, propter reflexionem vmbræ, & domus & arbores & cæteræ altitudines quæ videntur super aquam, videntur esse reuersæ propter vmbræ reuersionem, in qua & per quam videntur: & in speculis cauis dextera videntur esse sinistra & econtra: sic à stultis omnia videntur esse peruersa, vnde & omnia aliorum tam dicta quàm facta in peius interpretantur. Hanc stulticiam & linguæ petulantiam plerisq; sciamus mortalium esse ita familiarem gratamq;, vt nullo non momento, Timoni-

anus theoninusúe distringatur dens. Hunc stultorum thesaurum, quem in lingua conditum gerant, festiuitate comica describit Plautus in Penulo.

Istis est thesaurus stultis &c:

Item. *Viam qui nescit quâ deueniat ad mare,*
Eum oportet amnem quærere comitem sibi,
Ly. *Ego malè loquendi vobis, nesciui viam.*
Nunc vos mihi amnes estis, vos certum est sequi.
Si bene dicetis, vestra ripâ vos sequar.
Si male dicetis, vestro gradiar limite.

Hæc de stultitia & sapientia, de quibus cùm hi postremi tres versus egerint, volebam eos includere in caput iam expositum. Interim auctuarium siue super-

superpondium huius lectionis, sit vtilis ad vos commonefactio. O egregij iuuenes, qui in sapientiæ studio versamini, & aßiduos vos hactenus Ecclesiastæ auditores præbuistis. Cùm igitur tanta maiestas, splendor & dignitas sit sapientiæ, vt nec facundiæ Deus Mercurius, nec ipsa Pytho, nec vlli eloquentiæ præsides, aut dij deæq; suffecerint ad eam perorandam, multò verò minus vt mortalium aliquis tam vberi dicendi scaturigine redundet, aut tam vasto Rhetoricæ amplitudinis oceano profluat: vt nobilißimam hanc heroinam, adumbrare laudibus poßit? Nam quanto copiosius, fusius, maioreue apparatu, ac celebri orationis pompa extollitur: tanto vberior veluti seges laudum, inter dicendum succrescit. Proinde optimi iuuenes, cœlestem, sacratißimamq; sapientiam apprehendite. Expergiscimini

mini aliquando ô auditores liberali ingenio præditi, & sapientiæ studium mecum capeßite, vrgete, promouete, nolite diffidere. Inuia virtuti nulla est via, vt monet ille. Vbi intenderitis ingenium, valebit. Mirum, mirum equidem, cur tam negligenter sapientiæ studio, multi operam dare velint: Ego nullam reor esse causam, nisi diffidentiam quandam, quâ non credunt se vnquam ad sapientiæ huius culmen posse peruenire, proponentes sibi sublimitatem Platonis, acumen Aristotelis, eloquentiam Demosthenis, Ciceronis, & aliorum incomparabilium scriptorum præstantiam: Verùm non intelligunt præstare aliquid scire, quàm omnino nihil. Hoc accidit illis, quod sibi accidere Medea lementatur: Video meliora, proboq; deteriora &c. Ita hi iuuenes præstantiam literarum vident, sed lucrandi citò

di citò causa, desertis literis, alia instituta sequuntur. Sed vobis non ita faciendum censeo, iuuenes optimi. Quare fugite ocium, fugite voluptatem escam malorum, non tædeat vos laborare postquam nil sine magno, vita labore dedit. Sapientiæ gratia huc aduenistis iuuenes. Huius gratia hîc multis perseueratis annis, procul à parentibus, procul ab amicis, abdicato & neglecto, quicquid à puerilibus annis, dulce blandumq́ vobis fuit. Omnibus vna & concors stet igitur sententia, velle quàm maximo poßimus studio, ad sapientiam incumbere, eius nos opibus ditare, eius merces in hoc copiosißimo scientiarum emporio, laboribus, vigilijs, sedulitate, commercari. Ac congruum ideo sit, vt quotquot sumus, cuiuscunq́ ordinis, status, gradus, ætatis, omnes alacri vigilantia & vigili alacritate, sapientiam

tiam

tiam sectemur. Si quis nobilis est & vetusta natalium serie illustris, is vel maximè generis claritudinem, studebit egregia literatura illustrare, vt habeat, quo tanquam suo gaudeat.

Nam genus & proauos, & quæ
non fecimus ipsi,
Haud ea nostra voco. exclamat
Ouidius.

Contemnent etiam vulgares, quantumuis illustrem, si sit idiota, si illiteratus, si muta statua, semper de pectore alieno sapiens, vel quod sæpius contingit (de suo desipiens) Ac memorabilis Sigismundi imperatoris responsio, qui interrogatus, cur adeo literas & literatos in precio haberet, eosq́ supra genere nobiles in sua aula eueheret & locaret, ac quasi nobilitatem & illustri natos genere, contemneret. Respondisse fertur, iure ego illos colo, & cæteris morta-

mortalibus præfero, quos natura parens & Deus singulari donauit ingenio. Subijciens illos solos à natura & Deo posse creari: in sua autem potestate situm, vt nobiles titulo & prædijs faceret, quocunq; placeret momento. Ergo verè nobilis conabitur vera cognitione præcellere, & incredibile est quantùm in magnatibus, vel mediocris eruditio splendescat. Et qui vt genere, ac diuitijs, ita virtute quoq; ac insigni doctrina cæteris præstat, hunc demum putant dignum imperio, dignum cui obtemperetur, cuiq; omnes pareant. Cæterùm alius ignobilis est. Hunc etiam Seneca bene sperare iubet. Platonem (inquit) philosophia non accepit nobilem, sed fecit. Hunc Aristoteles consolabitur: Aspectus (ait) à continenti aëre lumen accipit, animus autem à disciplinis liberalibus. Si diues es, non habes tu
quoq;

quoq́, cur à sapientiæ studio abhorreas, sed cogita ac animo reputa, quàm fluxa, quàm caduca, ac quàm momentanea bona sint diuitiæ. Ars autem vna quicquid eueniat, quicquid fortuna moliatur, inopiæ portus est, mortalium vnicum confugium, quod quóuis comitetur, nihil habens ponderis aut sarcinæ. Si pauper es, tanto debes curare enixiùs, omnibusq́ viribus, remis ac velis conari, vt nouercantis fortunæ erga te malignitatem, tuâ industriâ corrigas. Nam quæ compendiosior ad vitæ sustentationem via? quàm per optimarum disciplinarum excellentiam? Ac notius sanè est, quàm vt sit prolixè altiusué repetendum quot viros ex infima sorte, ex ima plebis fece, in summas conditiones, euexit eruditio? Si iuuenili vigore polles, memineris illam ætatem ad omnia aptam, in qua nisi firma

ieceris

ieceris disciplinarum fundamenta, in supereminente ætate frustra moliaris. Sin medio vitæ cursu, pueritiam prætergressus viges, memineris prioribus annis, per pueritiæ lusus, per cæca adolescentiæ vitia, per inconsiderationem, plurimum temporis sine fructu inane vacuumq; præteruolasse. Memineris senectutem instare, stipatam mille malis, mille incommodis, mille morbis, obliuiosam, intractabilem, tardam, morosam, quæ corporis epotet succos animique vigorem hebetet: memineris itaque validam ætatem vnam esse, in qua enixißimè studijs sit incumbendum. Viget corpus quidem teste Aristotele 2. Rhetoricorum cap. 13. à vigesimo ætatis anno, ad trigesimum quintum, anima verò vsq; ad vndequinquagesimum. Dum igitur bona potiaris valetudine, ea, memineris donec perseueret exactè

 vten-

vtendum eamq́; citißimo labi pede, neq́; futuram fortè semper eandem ex sententia, venient morbi, languescet corpus, eneruabuntur vires, emercebit stomachus: omnisq́; studendi alacritas semel eripietur. Nunc postremò, si aduersa premeris valetudine, quâ alia in re morbi lenimen inuenies? quid podagræ dolorem mitigabit? quid diram pleuresin emolliet? quid siticulosam phthisin humectabit? quid fugientibus amicis, soli iugiter aßistet? nisi suauißima in præclaris authoribus grassatio? cum quibus solitarius fabulaberis? Hinc mihi in grauißimis morbis dulcißima solatia, recreationes & cœlestem ambrosiam, omni melle suauiorem semper petiui, perpetuoq́; hac durante misera vita, petam. Quare vos ô egregij iuuenes, iterum atq́; iterum moneo, hortor, & per Deum immortalem obtestor, tam

hâc

hâc quàm omnibus alijs lectionibus, vt studio sapientiæ, omni ingenij conatu, omnibus viribus incumbatis, ne hæreticorum prauitate, ne malignorum iaculis, plusquam oportet sapientium, destruatur maceria eius, & vindemient eam omnes, qui prætergrediuntur eam. Quare vt in his paßionis & resurrectionis CHRISTI ferijs, de his, ac imprimis de filij Dei erga genus humanum φιλανθρωπίᾳ ac æterna & inenarrabili sapientia cogitetis diligenter, breuiter hanc commonefactionem proponere volui.

CAPITIS DECIMI ΠΕΡΙΟΧΗ.

✝✝✝

IN vita piè & iustè transigenda, adhuc instat Ecclesiastes, ac quia in

ter has procellas & mundi ἀταξίαν, *Dei prouidentiam multa labefactare videntur, vtpote administrationis politicæ varia euenta, de quibus capite octauo egit: Proponit hoc capite salutaria pharmaca, ac hortatur vt Deum omnia gubernantem agnoscamus, qui non sine singulari consilio, penes stultos nonnunquam rerum summam esse velit. Quare & diligenter formam modestiæ, quâ subditi erga potentiores vti debeant proponit, & simul incitat ad sanctè cogitandum de magistratu, quò ad eius fieri poterit.*

VERS. I.

Cùm ſpiritus eius qui dominatur ſe effert contra te, locum tuum non deſerito: nam demiſsio deſinere facit peccata magna.

PRopositio, non propter tyrannos, inuidos & sychophantas deserendam esse vocationem. Nam etiamsi aliquantisper vincunt inuidi sycophantæ, & gloriosi Thrasones, modestè tamen in statione tua te contineto, neq; rebellato, sed potius, omnes artes ad curandum sanandumque spiritum eius adhibeto. Nam si animam tuam curaueris, adhibita virtutum diligentia, plurima sedabis. Talis est enim sapientiæ ac virtutum δύναμις, vt cohibere posit spiritum habentis potestatem, ne te superueniat & conculcet, vel si superuenerit, at saltem tua prudentia hoc efficiet, ne te priuatum & loco inferiore collocatum esse obliuiscaris. Sic bonus & fidelis pastor, non fax esse debet tumultuum ac seditionum in Republica, sicut Anabaptistæ & alij furiosi spiritus fuerunt, qui sese magistratui opposuerunt, & gla-

gladium præter vocationem arripuerunt. Sed pastor fidelis, neq; sese immutare, & inflectere ad iniqua iudicia debet, nec Ecclesiam suam deserere. Quia interea multa sanare poterit, sicut Leo pontifex, prudenter se gessit, quando Attila Italiam ingressus, multasq; vrbes Italiæ radicitùs sustulit, omnia incendio, sanguineq; implens. Cui Leo obuiam venit in suis pontificalibus ornamentis, rogauitq; eum vt à suo proposito desisteret, ac exposuit ei potentiam Domini qui gubernet omnia. Quibus verbis Attila commotus, in Vngariam repedauit &c.

VERS. II.

Est malum quod vidi sub sole, secundum errorem, qui procedit à facie imperantis.

Ratio propositionis à Dei occulto iudicio & permissione, quâ fit vt in hac

hac societate humana, nihil occurrat frequentius, quàm vt ab ijs quibus summa est inter homines concessa authoritas, maximè peccetur, à quibus sæpenumero boni opprimuntur, & mali ac indigni ad dignitatum fastigia euehuntur, & modò hoc, modò illud, prout delirant, & humanis infirmitatibus errant Reges decernitur. Quam inæqualitatem rerum vel iniusticiam dum videmus, monet ne propterea existimemus Deum vel dormire, vel in tanta rerum confusione prorsus desipere. Hæc doctrina ac commonefactio necessaria est etiam nostris temporibus in quibus multa inuerso ordine fiunt. Quamuis non desint qui vitam omnium & mores censeant. Sed ô quam non solùm vtilis, verumetiam necessarius hoc tempore huiusmodi magistratus nobis foret, qui vitam nostram & mo-

res, tam deprauatos, in tanta Euangelij luce, seuera animaduersione emendaret. At cùm nec ij ipsi sæpe qui in magistratu sint omnino careant culpa: & qui parent, cuncta pro libidine agant, non ciuilibus, neq; sacris Euangelij legibus obtemperantes, nulla sanè alia censoria potestas expectanda nobis erit, quàm ea quæ scelera nostra gladio, fame, peste repurgabit. Quod extremum Rerumpub. emendandarum remedium semper adhibitum fuit, cùm nulla alia medicina prodesset: exemplo sunt Assyrij, Persæ, Medi, Græci, Romani & qui habitus est populus Dei Israel, qui exemplo gratiæ & iræ diuinæ nobis præit. Non igitur somniemus Deum ad res humanas dormire, cùm huius censoriæ satis seueræ & inclementis castigationis initia iam sentiamus, cuius progressus erunt grauiores, & exitus longe

tus longe grauißimus, ijs qui pergant hunc ſcelerum curſum continuare: Lætißimus autem, qui vita in melius mutata, leges Dei ſequantur, & cenſori Eccleſiaſtæ obſequantur.

VERS. III.

Poni ipſam ſtoliditatem in dignitatibus celſis & amplis, præſtantes autem humiles ſedere.

VERS. IIII.

Vidi ſeruos inſidentes equis, principes autem euntes, tanquam ſeruos ſuper terram.

AMplificatio à dißimilibus euentis, ex quibus homines ſæpe deteſtantur & accuſant iuſtißimam Dei prouidentiam tanquam iniquam cùm viderint, quòd inſipientes ac infimi in ſublimes dignitatum gradus conſpicui efferantur:

rantur: Contrà verò qui honesto loco nati, gentilitijs polleant imaginibus ac opibus, tanquam sub ipsorum pedibus iaceant. Sed pergit: Vidi seruos quoque insidentes equis, principes autem, *id est, principum ac Regum officiales, scribas, consiliarios ac ministros, plerumque suis technis diuites euadere, ipsis principibus subinde ad inopiam redactis. Hanc vitæ mutabilitatem & conuersionem nobis contemplandam proponit, vt à mundanis rebus incertis, ad stabilem illam cœlestemque beatitudinem nos conuertat. Ac etiamsi fatui & mali sæpè regnent, vt gratior est in aula assentator, alludens ad affectus Domini, quàm sapiens & fidelis consiliarius, immo etiamsi stultus vbique regnet, vbique versetur, in senatu, in aulis principum, inter principes ipsos: Non tamen propterea stulti ipsi, sunt seditiosa manu regno exturbandi,*

turbandi vel inuadendi: Hoc enim esset Deo in suum officium irrupisse. Sed Dei ordinatio, qualisqualis ferenda est, interim autem, si huiusmodi obuenerit, orandus Deus, vt peccata nobis condonet, quibus meriti sumus stulti principis imperium ferre, item vt patientiam donet in aduersis, vt ferre poßimus quæ ipse imponit. Huiusmodi media in tali rerum confusione si adhibeamus, ac imprimis innocentiam, certè etiamsi tyranni & fatui in facultates nostras & ipsa corpora pro libidine grassentur: sciamus tamen sapientiæ ac virtuti, id est viro bono mali nihil accidere posse, neq; viuenti, neq; defuncto. Ita Socrates, qui nec Aristophanis illusione, nec Anyti proditione, nec Meleti accusatione, nec iudicum peremtione, ac postremò nec inuidorum omnium conflata calumnia absorptus, sed multò magis sua

morte immortalis factus est, sic ait: ἀποκτεῖναι μὲν δύνανται, βλάψαι δ' οὐ δύνανται. *Viuit igitur in æternum Socrates, & triumphat cum gloria, quando aduersariorum suorum memoria, vel extincta est funditùs, vel scintillat in cinere cum ignominia.*

VERS. V.

Fodiens foueam incidet in eam, & eum qui diripit sepem mordebit serpens.

VERS. VI.

Transferens lapides dolebit per illos, & eum qui diripit sepem, mordebit serpens.

EXigesis mali quod imprudentia creat fatuo, quatuor similitudinibus illustrata, quæ tamen sub vnum & eundem sensum cadunt, ac idem valent quod

quod nos vulgò dicimus: Iniquitas ad suum authorem redit: Vnde docemur malum quod quis alteri machinatur, in authoris caput redundare. Sic enim accidere solet ferè, dum nemine sua sorte contento, sed alij ex aliorum incommodis commoda sua comparent. At nemo magis, quàm ambitiosi isti falluntur. Nam quisquis foueam faciendo alteri casum minatur, ille ipse in eam cadit: & reperiet serpentem à quo mordebitur, quisquis sepem ad inuadendum alterius prædium diffringet. Præterea alienum parietem fodiens, vel terminales lapides transferens, sæpè plus molestiæ habet quàm saxa quæ voluuntur, & sepè etiam damnum ab illis accipiet. Ac deniq; cædens alienas arbores, aliquod in ijs cædendis discrimen, aberrante securi, incurret. Hæc similia monent tristes esse exitus malo-

rum

rum consiliorum, πολυπραγμοσύνης & ambitionis, ac multa nota sunt. Atrocia delicta puniuntur atrocibus pœnis in hac vita. Item, quâ mensura mensi fueritis, eâdem &c: Et congruit hoc prouerbium cum vsitatis dictis ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη: Item, struens alteri malum, suo ipsius epati malum struit: Clodius diu insidiatur Miloni, sed ecce Clodium ab Aricia reducem, Miloniani, exturbata taberna in qua latebat, interemerunt. Hatto Episcopus Moguntinus insignis proditor, Henricum aucupem ficto vultu excipit inuitatum, ac ei insidias struens, in conuiuio donat illi torquem auream, quæ venenato auro erat illita, ita vt cùm semel in collum inijceret, veneni vis penetraret per vestes etiam ad penetralia cordis. Sed Hattonis proditio manifestata (ita Deo disponente) quare mœro-

mœrore & tristitia confectus, animi ægritudine moritur, cuius non modò animam Satan, sed & corpus à morte tractauit. Astiages Rex Medorum, Cyrum nepotem suum exponi iubet, & Harpago filiolum apponit vt ederet, sed & ille ipse à Cyro postea debellatus & regno priuatus est. Tarquinius superbus, septimus Romanorum Rex, interfecit socerum suum, Seruium Tullium, sextum Regem Romanorum. Et coniunx eius, filia Tullij, egit carpentum per cadauer interfecti patris: verùm paulò post Tarquinius, cum filijs & vxore miserè eiectus est ex vrbe. Sic Aman cùm Mardocheo, viro integro & innocenti patibulum parasset, ipse de eo suspensus strangulatur. Ex quibus & alijs multis, quæ quotidiana suppeditat vita, commonefiamus, ne in alios contumeliosi & iniurij simus.

Nam

Nam si nobis persuasum fuerit, tale esse Dei iudicium, vt quæ alteri parata est calamitas, eam in ipsum authorem retorqueat diuina excandescentia, non minus graue nobis erit atq; molestum alijs inferre iniuriam, quàm ab alijs accipere.

VERS. VII.

Si postquam obtusum fuerit ferramentum, & cuius non detersa sit acies, robur quoq; roborabit, sapientia verò est excellentia directionis.

ALia similitudine sapientiæ vtilitatem commendat, & imprudentiæ malum exaggerat. Sicut operam omnem ludit qui quippiam cæsurus, hebes ferramentum adhibet, cuius aciem irrito labore sese defatigaturus, non exacuerit: Sic minus rectè quidpiam aggreditur aliquis, non præeunte ipsi sapien

ſapientia, quæ ſola eſt excellentia dire-
ctionis, *id eſt tum rectum rerum agen-
darum finem præmonſtrat, tum inſtru-
menta oſtendit, quibus illæ perfici poſ-
ſint ac debeant. Hæc etiam commenda-
tio ſapientiæ, quòd ſit* excellentia dire-
ctionis, *non obturatis nobis prætereun-
da eſt auribus. Eſt enim hæc ſola,
ad res præclarè gerendas accommoda-
ta. Rectè ergo rogatus Taſſus Her-
mioneus, qua in re, ſapientia, antecelle-
ret cæteris rebus? reſpondiſſe fertur,
peritiâ ac experientiâ. Hæc ſapientia
ſola, palantes initio mortales, ac ferarum
more, in ſyluis, in luſtris, in ſpecubus
vitam immitem degentes, ſine cultioris
animi inſtitutis, ſine manſuetis proba-
tiſq; moribus, niues, grandines, plu-
uias, ventos, tempeſtateſq; ſonoras,
folijs & beſtiarum pellibus, non tam
arcentes quàm tolerantes: eiuſmodi di-*

 co bo-

co homines, sapientia mansuetè suauiter-
que composuit, rectum politicæ vitæ or-
dinem monstrauit, humanitatem, comita-
tem, ac indiuiduam vitæ societatem, pie-
tatem erga Deum, erga parentes, iusti-
ciam erga omnes, ac deniq; cæterarum
virtutum agmen vniuersum inuexit.
Ac postremò cum serpente malo fasci-
nati homines, ad virtutes obsurduissent,
nec ad honesta flecterentur, ibi san-
ctissimas leges non Regum (vt quidam
garriunt) arbitrio, sed iusticiæ trutina
expensas constituit. Nequaquam pro-
fanum vulgus, aut in delitijs enutriti
principes: Sed sapientiæ antistites, le-
ges ciuiles præscripserunt. Pythago-
ras primùm, post illum & Socrates, &
Plato, & Aristoteles, prætereo Lycur-
gum, Solonem, Draconem & alios plu-
rimos, non sapientes modò (humano
more loquendo) sed sapientiæ thesau-
ros,

ros, sapientiæ promos ac condos, qui inexhausto studio legibus dictandis incubuerunt. Quid autem? nonne septem illi Græciæ, vel Deorum responsis sapientißimi pronunciati, omnes legum (vt Plutarchus est author) fuère conditores. Et quid vita humana erat futura, si non sapientiæ certißima lance dirigeretur, si non in ea, cardo rerum humanarum verteretur? Expeditum igitur est, & infinita commemorando expediri posset, rectißimè à Salomone dictum, sapientiam esse excellentiam discretionis, Sed de alys paulò post.

VERS. VIII.

Si momorderit serpens, nondum adhibita incantatione, tum nullum est emolumentum (incantationis) tenenti verba eius.

SEquitur alia amplificatio mali ex imprudentia proficiscentis, nimirum de immedicabili malo linguæ virulentæ, quod quidem veneno serpentis comparat. Sicut enim serpens, qui viatorem ex insidijs & nullo sibilo præmonitum mordet, ac corpus, licet, vnam tantum eius partem morsu vlcerarit, tamen totum inficit, ac propterea modis omnibus fugiendus: Sic non minus est noxius, ac metuendus qui sibi licere vult quiduis de quouis effutire. Hoc præceptum valde est nobis necessarium, & etiam obseruatum in scientißimorum libris, serpentes eleganter, linguâ prurientes & auribus adulatores dici: Qui igitur tum alijs detrahunt virulentiæ suæ inspergentes virus, tum id agentibus libenter sese accommodant, omnino sunt serpentes & ipsis deteriores. Quare & rectè de ijs Salomon cum

cum detrahentibus, inquit, ne miscea-ris, quoniam repentè perditio eorum & ruinam vtriusq; quis nouit? Fuit Medus quidam ex Alexandri adulatoribus, ac velut Hexarchus & Sophistes Coriphæus in optimum quemq;. Hic alios hortabatur, calumnias in quemuis audacter conflarent. Nam etiamsi, inquit, vulnus persanarit in quem morsum infixeris, nihilominus cicatricosus conuisetur locus. Quare ne lingua nostra sit gladius acutus, dum sale multo hunc illumq; defricamus, meminerimus Archilochi libros ob dicacitatem solam, & ingenij virulentiam à Lacedæmonijs vrbe sua interdictos, ne illorum lectione quippiam de veneno, honestis illorum moribus instillaretur, quando ad benedicendum natus est homo, non ad infigendum atrocis linguæ vibrantem aculeum optimo cuiq;, nec ad

inspergendum factis alienis labem. Hæc vtinam ponderent illi, qui non tam viperinis orbibus punicatisq; dentibus, libros hoc nostro seculo edunt, continentes dogmatici nihil vtilitatisué, sed tantum plaustra synonimorum, nil nisi mera conuicia exprimentium: Sed etiam libellis famosis optimum quemq; proscindunt. Quæ conuiciandi libido cùm Augusti tempore inualuisset, non immeritò tradunt Augustum principem, omnium de famosis libellis cognitionem legis, specie maiestatis tractauisse, commotum Caßij Seueri libidine, quâ viros feminasué illustres procacibus scriptis diffamauerat. Meminerimus igitur modis omnibus abstinendum esse ab obtrectationis vitio. Est enim omnino contrarium christiano nomini, cuius est benedicere non maledicere. Et est omnino

sæua

sæua pestis calumnia, ac fax magnarum dissentionum, vnde postea confusiones religionum, bella & vastitates oriuntur.

VERS. IX.

Verba oris sapientis eius sunt ipsa gratia; labia verò stulti ipsum absorbent

PErseuerat in Encomio sapientiæ, ab eius vtili & eius antitheto. Sapiens quidem ita sermonem componit, vt ipsum loquentem, omnibus audientibus sua prudentia meritò commendet: Stultus verò contrà, suo sibimet sermone exitium varijs modis accersit. Hæc etiam est insignis magnificentia sapientis, qui cauet ne quid loquatur quod non sit gratum & cum vtilitate coniunctum: nec minor sanè ipsius eloquentis, cuius ipsa verba oris sunt ipsa gratia? *Nonne hac sapientia ac eloquentia fretus*

 Marcus

Marcus Antonius, orator ille locupletissimus, milites in suum caput coniuratos, suum sanguinem æstuante ira sitientes, ita sermonis placabilitate mitigauit, vt mucrones in eius iugulum districtos, attoniti, & quasi extra sese positi reconderent? Gorgias item Leontinus, quum à patria bellorum faces auersurus, Athenas concessisset, nonne tam incredibili est vsus eloquentiæ apparatu? nonne tam vehementi doctæ orationis stupore doctas affecit Athenas, vt disserenti, noctis bonam partem impenderent, toto die non satiati, non fastidio correpti? Iam verò Pericles tanta dicendi violentia inuasit Athenienses, vt eos veluti paruo digitulo quouis versaret, dictus ab Aristophane fulgurare, tonare, cuncta loquendo perturbare ac miscere. Sed mirificissimum est, quod Egesia oratore, vitæ hu-

tæ humanæ calamitates copiosissimè deplorante, multi mortem sibi consciuerint, consciuissentq́ quotquot audiebant, nisi Ptolomæus rei nouitate ac periculo perculsus, scholas claudi iussisset. Sed quid moramur Marcum Tullium in hunc catalogum producere? cui adolescenti, Athenis græcam eandemq́ extemporalem orationem dicenti, cùm omnes manibus pedibusq́ applauderent, omnes laudibus in cœlum ferrent. Ibi Apollonius Molo, Rhetorum sui temporis celeberrimus, primum admirabundus, mox illachrymatus. Ego verò te (inquit) quum Cicero laudo tum admiror, sed fortunam Græcorum doleo, quòd eloquentiæ ornamenta: quæ nobis sola restabant, ea, per te Romanis (vt video) arrogantur. Hâc igitur postea Cicero consulatum impetrauit. Hac Catilinæ furorem restinxit. Hac

Antonium proſcripſit. Hâc immortale nomen ac decus conquiſiuit. Taceo, quot innocentes homines, in orci familia propemodum aſcriptos, è cerberi faucibus (vti alter Hercules) eripuerit? Taceo quòd in Ligarium, contra Cæſaris decretum ille dixerat? orationis flagrantia multos liberauerit? quòd Cæſaris vultum varijs coloribus tranſmutauerit? quòd libellos è manibus, ſola verborum vi, citra contactum excuſſerit? vt tandem Iulius exclamaret. Vim amici patimur. Ac poſtremò quis ignorat vehementiam dicendi in Luthero, quis gratiam verborum Philippi. Et vt de noſtris dicam, quis non ad Catholmium noſtrum (ſanctæ memoriæ) vernacula lingua perorantem obſtupuerit? quem eloquentiæ neruos intendentem, furere, ardere, tonare crederes, cuius ſuauiſſima vox, non tantum auribus

inſo-

insonuit, sed etiam sua vehementia, ipsa penetralia fregit, vitia compescuit, sanctumq́; Dei timorem instillauit, ac vt vno verbo dicam, nihil erat quod non Pytho illa flexamina eloquentiæq́; torrens, illo sancto viro efficeret. Proinde iterum te ô studiosa cohors compello, vt sapientiæ studeas, quò verba oris *tui, sint* ipsa gratia.

VERS. X.

Initium verborum eius, stoliditatis est, & finis verborum oris eius, insaniæ pessimæ.

NUnc sequitur amplificatio antitheti stulti nimirum, à tribus eius adiunctis, hoc, & sequentibus duobus versibus, quibus gradatìm ostenditur stultum neq́; se intelligere, neq́; apud alios sapere, neq́; labore proficere, aut consequi aliud nisi defatigationem suypsius. Sed

de priori

de priori inquit, quòd ſtulti garrulitas, ſæpe ſit pernicioſa non tam ipſi, quàm integris Rebuſpub. Quare licet interdum os aperiat, ſtultè tamen orditur, ac peßimè finem facit, id eſt planè nugatur, non intelligens res humanas aut rerum euenta. *Hæc* optimè intelliguntur ex inflato Rechabeami filij Salomonis ad ſubditorum petitionem reſponſo, qui ſua imprudentia & fatuo ſermone, decem tribus populi Iſraelitici à ſuo imperio abalienauit. Simile quoq; ſcribit Paulus Æmilius, videlicet Saracenos militaſſe Heraclio contra Perſas, cumq; veſtem militarem poſcerent, addit eunuchum fiſco præfectum hominem fatuum ac ſtolidum dixiſſe: Quid reliqui eſt Romano militi, quod dari canibus his poßit? eam effeminati ac ſtulti hominis petulantiam, eos tam indignè tuliſſe, vt domum agminatim ſe ſurri-

pientes,

pientes, coniunctus suis quisq; populari- bus, Arabiaq; omni & finitimis gentibus concitatis, propinquas Romani imperij vrbes Ægyptumq; cœperint: Persasq; nuper à Romanis & Heraclio deuictos, & cladibus fessos superantes, coëgerint & ipsos, Saracenos vocari, ac Mahumetis religionem profiteri. Quod cùm factum sit, quid verisimilius quàm quòd Salomon dixerit: Et finis verborum eius insaniæ pessimæ.

VERS. XI.

Vt stolidus ipse multis vtatur verbis: nescit iste homo quid sit quod dicat, aut quid futurum sit postea, quis indicaret ei?

ALterum adiunctum fatui. Stultus non considerat animi cuiusque naturam & propensionem, non obseruat locum & (quod primum est om-

nium rerum, tempus, ne quid importu-nè ne quid præposterè ac perperam di-catur, non negotiorum qualitates, ac conditionem perpendit. Breuiter ὃς ᾔδη τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα. *Sed semper stridet, clamat ad rauim, non alios audit. Tales certè sunt Sophistæ in disciplinis, qui in scholis, in templis, in conuiuijs, in publico & priuato, ac deniq; omni loco & tempore rixosi sunt & con-tentiosi, qui se contra veritatem armant, qui veritati tenebras offundunt, pietati plagam infligunt, latam & diuinam vi-am egrediuntur, ac in deuijs tramitibus impedimenta atq; offendicula quærunt, quos admodum facetè irrisit poëta:*

Si forsitan lis est de lana exorta
caprina:
Stentorea obtundunt clamantes vo-
ce Sophistæ.
Dum leuibus nugis, tempora va-
na terunt.

Huius-

Huiusmodi fatui in re pulcherrima & omnium vtilissima, nullum alium fructum esse putant, quàm nunquam tacere, fortiter asseuerare quicquid in buccam venerit: aduersario non cedere, eum vel aggredi, vel sustinere, vel scire, quo artificio, fallacijs, clamoribus, telis, veneno, incantamentis sit feriendus & subuertendus. Talium hominum clamores, non tam audiuntur, quàm chartis & libris illinuntur, quas sordes potiùs quàm vt legantur satius esset, Vulcano epularum loco obijci, vti memoriæ mandatum legimus: Sophismatum Chrysippi aceruos, publico Atheniensium edicto exustos fuisse. Censuerunt enim prudentes viri, vtpote Areopagitæ, insanas illas cauillorum meditationes, pestem, perniciem ac cladem esse adolescentium, fieri enim vt illis ætatem transigant, illis consenescant, illis immorian-

moriantur, ſemper pueri, ſemper rixoſi, nunquam digna viris aſſequantur, & ad Rempub. tam euadant idonei, quàm veteres ad lora canes, id quod Plato doctiſsimus in Gorgia non ſubticuit. Nec præterijt Pythagoras, qui tales hirundines præcepit, ne in tecta recipiamus. Et quæ (malum) inſania eſt, illorum perferre regnum, qui multa mercede latrare quidem, ſed nihil ſcire docent. Explodite procul & eliminate hanc hydram peſtiferam ô iuuenes & auditores dilectiſsimi, quæ mentis oculum excæcat eiusq; lumen extinguit. Neruis omnibus elaborate, ne in eorum albo aſcribamini, qui nunquam ſapiunt, ſemper garriunt, lapidem verberant, in aëre piſcantur. Abſtinete ab ijs, qui grauiſsimos authores, delirijs quibuſdam nouis infatuati, tanquam ſenes à caſtris & vrbe obſeſſa eijciunt: qui la-

befactatis bonorum consilijs, illorum diminuta & fracta authoritate & oppugnata veritate, fortunas ad omnes, aditum posse fieri putant, cùm tamen à veterum fonte velut oceano quicquid vsquam per Græcorum & Latinorum alueos fluxit, vbertim manauit. Cogitate quòd non immeritò Periander Cypselli filius alios admonere solebat: τοῖς μὲν νόμοις παλαιοῖς χρῶ, τοῖς δὲ ὄψοις προσφάτοις, *id est legibus quidem antiquis vtere, cibis verò recentibus. Et Diuus Marcus imperator, ad præfectum suum scribens, versum illum boni poëtæ allegauit: Moribus antiquis, res stat Romana virisq́. Et nos quoq́ vetera ædificia admiramur, ac veteres gemmarum sculpturas maiore precio comparamus, veteresq́ amicos arctius complectimur. Ac postremò, modestiam erga omnes & singulos declarate,*

ac memineritis non frustra monuisse Aristotelem 2. Rhet. 1. Ne quis sententias dicat, nisi ætate prouectus neué de rebus, quarum vsum non habuerit.

VERS. XII.

Labor stolidorum fatigat ipsorum quemq;, vt qui nesciat ire in ciuitatem.

Tertium stulti adiunctum à simili, fatui frustra se defatigant, nunquam rectum finem assequentes, haud secus quàm qui à recta via, in obliqua diuerticula, modò huc modò illuc aberrãtes nunquam in vrbem perueniunt &c. Hic versus monet, nulli labori, nulli diligentiæ suum fructum constare, si quis legitimum laboris finem ignoret. Vt imperitus villicus multum molestiarum habet ex suis laboribus, fructus verò nihil, aut certé perparum, si parta bona non in suos vsus confert, nec ea venum in vrbem transportat. Sic enim ratio &
confue-

consuetudo villicorum fert, vt bona sua, lac, oua, caseum, butyrum, frumenta & alia similia in oppida portent. Similis ratio quoq; est in omnibus artificijs, ac imprimis in studijs nostris, in quibus nobis finem quendam esse propositum, ad quem vita & actiones tanq; scopum diriguntur, non est (opinor) qui ambigat. Pius igitur studiosus eruditionem omnem confert ad Christi gloriam & Ecclesiæ vtilitatem, contrà faciunt fatui, homines nimirum non renati, qui ad ostentationem, vt alia, sic hoc naturæ donum conuertunt. Quare vt nos commodè in ciuitatem eamus, per hunc finem proficiscamur oportet. Proinde aßistat necesse est quispiam, à quo intendatur dirigaturq; ad finem insitum rationis lumen, qui sanè alius esse non potest, quàm Deus ipse, optimè ex sua 'ευδοκια, omnia confingens ac conformans.

VERS. XIII.

Væ tibi terra cuius rex est puer, & cuius optimates manè comedunt.

SEcunda pars capitis docens euentum, quem regna & vrbes ex administratione magistratus consequuntur, in qua perspicuè pronunciat de causa euersionis regnorum ac Rerumpubl. quæ non alia est, quàm Domini excandescentia ob delicta generis humani. Quibus cœleste numen subinde prouocatum, regna ac populos euersurum, principes ac Reges fatuos rerum gubernaculis præficit. Quos pueros vocat Ecclesiastes. Quòd nihil corruptioni & mutabilitati paratius ætate puerili, quæ pro piro vel pomo omnia concedere vel negare, offendi vel placari paratissima est. Possem huius rei non paucas recitare historias, sed quia rerum omnium series

series ac experientia ex ipsa ætate concepta notior sit: quàm vt indigeat exemplis, saltem mentionem faciam Henrici Quarti strenui imperatoris. Is quinq; annorum regnare cœpit, cui pater moriens commendauit matrem mulierem prudentem & timentem Deum, admonuitq; vt consilijs eius vteretur etiam in magnis imperij rebus. Primò piè obsecutus patris voluntati vsus est matris consilijs, & bene successerunt omnia. Sed breuî per adulatores & corruptos nebulones, seductus mollis puerilis animus matrem contemnens, secutus est eos qui suadebant, quicquid videbant illi arridere. Quare Henricus puer, puerilia magis curans, omnia maiora concedebat. Facilior erat ad donandum magnas ciuitates, & remittenda tributa, quàm ad amittendam quampiam coloribus variegatam sono-

ram auiculam. Vnde diu consecutum est, vt omnia literis & sigillo nomine imperatorio corroborarentur. Quæ effrenata licentia, vbiq; viguit in omni genere scelerum, donec diffluentem licentiam peßimorum morum compreßit maturior ætas, & iusticiam exulantem quantum licuit, reuocauit &c. Adeo vera est comminatio diuina, quâ Dominus quasi plagam grauißimam, comminatur populo Iudæorum: Dabo inquit pueros principes eorum, & effeminati dominabuntur eis. Hæc mala vt Deus optimus maximus ab hac nostra patria auertat, oremus omnes patrem Domini nostri Iesu Christi in vera fide, nec dubitemus vota nostra eum exaudíturum propter suam bonitatem. Sed nunc ad causas calamitatum & regnorum euersiones addit amplius : Et cuius principes manè comedunt: *Hæc sanè*

causa

causa finalis est ruinarum in Repub. nimirũ comessationes, venationes, lusus, alea. Nam cùm principes vacare deberent causis subditorum examinandis, & negocijs expediendis, aut certè vel lectioni, vel orationi, splendor autem & affluentia epularum, intellectum humanum obruit penitus & obturat: certè sequitur negociorum confusio, subditorum dispendium, iudiciorum subuersio, iusticiæ periclitatio. Tradit Aristoteles in 7. politicorum, climata & cœli situm causam esse felicitatis & infelicitatis, mutationis ac stabilitatis in imperijs: At nos qui versamur in Scripturæ sacræ oraculis, causas regnorum mundi, non ex situ orbis terrarum & ex cœli habitu rimamur, sed ex sacra scriptura, quæ docet, DEVM regnis euertendis subministrare Reges pueros &c. (puerum intellige, non ratione æta-

tis, sed sapientiæ & prudentiæ, vt vox pueri hic accipiatur pro fatuo principe, siue sit iuuenis, siue ætate grandis). Et quòd propter scelera auferat populis regna, & det alijs quibus velit. Sic Græcorum natio, quæ olim ingenij literarum, ac imperandi artibus valde claruit, luxu & libidine principum perijt, vt vix hodie vlla istius vestigia laudis extent. Successere Romani, gens ingeniorum, virtutum, artium gloria, propagandiq; imperij scientiâ olim nobilis. At hos neq; terræ situs, neq; cœli benignè fulgentis clementia iuuit, quò minus eorum dignitatem atq; amplitudinem, tot atq; tam horrenda flagitia obscurarint, imminuerintq;. Germani qui olim ingenij cultu, & regendi disciplina claruerunt, à cœlo & terra, à moribus rudes, imperiti, squalidi: iam aliquot seculis ci-

uili scientia & omnium artium exercitatione floruerunt : & quæ eorum excellens laus est, hodie omnibus terræ populis, religionis veræ cognitione præstant atq; antecellunt. Idem de nostra patria, beneficio diuino nos dicere possumus & suo loco diximus. Sed vt suæ vices sunt iudiciorum Dei, qua certè tam nos quàm alij ingratitudine sumus erga Dei beneficia, periculum est fore, nisi resipiscamus, vt beneficia Dei in nos vberrimè collata amittamus, & alijs fruenda relinquamus. Certum igitur est, vt Moses minatur, vnà cum sceleribus cœlum, terram, imperium, artes, ingenia & omnia illustria atq; præclara ex arbitrio diuinæ vltionis mutari, transferriq;, vt verè sacer Dei spiritus per Danielem Nebuchadnezari denunciauit : Donec scias quòd dominetur excelsus in regno hominum,

& cuicunq; voluerit det illud. Item: ipse mutat tempora & ætates, transfert regna & constituit sapientes, ordinat principes & fatuos.

VERS. XIIII.

O te beatam regionem, cuius rex natus est ex clarissimis, & cuius principes suo tempore comedunt ad robur, non autem ad compotationem.

EXplicatio superioris ex loco contrariorum. Cùm vnum aliquem esse oporteat in regnis & imperijs, cuius consilio & prudentiæ reliqua subijciatur multitudo. Nam alioqui multis cohabitantibus, & vnoquoq; sua commoda procurante nullo negocio dilaberentur res, ni princeps aliquis præsideret, qui publico bono tanquam mitis parens consuleret. Quod cùm sit, sicut superius pronunciauimus eam regionem infeli-

inſelicem, cui rex dominatur, ſiue ætate, ſiue mente ſenſus & vſus rerum experte puer, & cuius principes à voluptate diem inchoant: ſic econtrà dicimus eam ditionem beatam, cui Rex contingit generoſa ſtirpe, hoc eſt, non qui vetuſtis tantùm ſtemmatibus, aut nobili ſanguine ſatus eſt multò minus eum, qui ſuperbia, ſæuitia, oppreßione aliorum, ſe nobilem reddit, quomodo olim latrones nobiles dicti ſunt. Sed generoſa ſtirpe eum ſignificamus, qui virtutibus clarus eſt, quæ ſunt fides erga Deum, charitas erga proximum, ſapientia, prudentia &c. Habemus hoc verſu ſuccinctam & aſtrictam boni principis deſcriptionem, ſed tamen breuiaria narratione complectentem, qualis princeps eſſe debeat, in quo Marcus Cicero Gn. Pompei laudes in oratione tractans, quatuor requirit, nimirum

ſcientiam

ſcientiam rei militaris, virtutem, *au-ctoritatem & felicitatem. Sed noſter Eccleſiaſtes tantum requirit*, vt *ſit* ex clariſsimis, *hoc eſt piè ac liberaliter educatus, ſapientiam, prudentiam, pie-tatem, in toto gubernationis curſu con-ſeruet, ſit temperans, continens, ſobrius, frugi ac tenuis* victus, *comedat ad* ro-bur, *laborum patiens, acer ingenio, non auarus, non puer, non ſtolidus, qui ad dicendum idoneus ſit, exiſtimationeq́; ac authoritate prædıtus. Quæ* virtutes, *quia maximè requiruntur in principi-bus, ideo plurima regna ad huiuſmodi reſpicientes, eligunt ſibi Reges, non ge-neris & maiorum, nec fortunarum & opum habita ratione, ſed* virtutum. *Quomodo ad germanos delatum impe-rium, diuturnius factum eſt, quòd ad-iunctos tanquam Ephoros electores principes habet, qui nemini mandant*
impe-

imperatorium munus, nisi in certas, quas seruet leges, iuret. Neq; in hac nostra patria, nisi electione reges admittuntur. Nec Galliarum aut Poloniæ Rex, suis legibus quibus pareat, suis item regni Ephoris, quibus imperium eius, nisi vis superet coerceatur, caret. Sed virtutes enumeratas & earum τὸ διόλου breuiter & quasi penicillo hoc loco delineabimus. Nisi fortè noui rerum censores ταυτολογίας me insimulabunt, quòd de iisdem iam aliquoties dixerim, qua in re, si dicacitatis suæ virus in me iaciant, in spiritum sanctum quoq; violenti erunt, qui eadem quoq; sæpius repetat. &c. Sit igitur princeps temperans ne voluptate abductus, curam maximarum rerum abiiciat. Sobrius vt rebus maximis inuigilare possit. Victu frugi & tenui, quia delitiis deditum, viuendi cultus, & exquisita

quisita ciborum cura fatigat & mergit animum: laboris patiens, quia vltimum esse oportet imperatorem, qui defatigetur atq; lassescat, acer ingenio, quòd celerem & (vt inquit Homerus) volucrem esse oportet, qui pernix cogitatione omnia percurrat, atq; futura conijciat animo longeq; prospiciat. Et prudenter Agathon dixit: Oportere bonum principem trium meminisse: Primùm quòd imperet hominibus. Alterum, quòd ex legum præscriptione. Tertium, quòd non perpetuum teneat imperium &c: Præterea non sit auarus & lucri cupidus, pleriq; enim etsi fortitudine, & robore aduersus arma & hostium copias interriti perstare poßint: auro tamen illecti mollescunt: idq; telum efficax est ad extorquendam victoriam accomodatum. Nec iuuenem nimis nec decrepitum esse oportet prin-

tet principem, quòd alter credulus nimis & audax, imbecillus alter & timidus. Non sit tyrannus, durus & difficilis, sed meminerit sapienter à Pittaco dictum esse, felicem esse Regem, si ij qui pareant non ipsum metuant sed pro ipso. Ac prudentißimé Alphonsus Rex Arrogonum, cùm aliquando interrogatus esset, quos è ciuibus haberet charißimos, respondit: Qui magis pro me metuunt, quàm me, qui sciret metum cum odio coniunctum esse. Vltimò iusticiam vbiq; exerceat, quæ finis est legum. Quare & potestatem cohercendi malos habeat coniunctam cum dilectione Reipub. Igitur sapienter poëta vtramq; hanc partem complexus est.

Τοῖς μὲν δικαίοις ἔνδικος, τοῖς δ' αὖ κακοῖς
Πάντων μέγιστος πολέμιος κατὰ χθόνα.

Hæc

Hoc munus à Deo accepit Magistratus, vt terrori sit flagitiosis. Ideo Apostolus: Nam Dei minister est, vltor ad iram ei qui quod malum est, fecerit. Rectè ergo veteres tribus rebus conseruari Remp: et societatem humanã dixêre, εὐεργεσίᾳ τιμῇ & τιμωρίᾳ. id est beneficientia, & bonorum retributione, & puniendi malos studio. Et Solon duabus rebus Rempub. contineri dixit: præmio & pœna &c. Adime metum legis & gladij, actum fuerit de Republica. Sed quantum fieri poterit, clementia vbiq; & erga omnes ac singulos vtatur, cogitans de imbecillitate generis humani. Et præclarè Esaias proprium Dei opus prodesse & consulere rebus nostris esse dicit: alienum autem affligere & punire. Quò proculdubio respexit Bias, qui damnaturus quendam, lachrymatus esse dicitur, & cùm inter-

rogaſſet quidam, cur fleret: reſpondiſſe fertur, ſe naturæ condolere, legi autem ἀποδοῦναι τὴν ψῆφον, hinc hebræorum ſapientes dicunt, maiorem eſſe clementiam Dei quàm ſeueritatem iudicandi. Hæc in tertiam & quartam generationem ſe extendit, illa verò in mille ſecula, Exodi 20. Adhæc ſit quoq; præditus eloquentia ac facundia princeps, qui militem oratione cohortando, facilè perſuadebit pericula contemnere, claris inſeruire facinoribus, & ſtudio gloriæ ac virtutis amore incendet. Hæc breuiter de virtutibus quæ requiruntur in magiſtratu, in quæ tanquam in ſpeculum intueantur, qui hodie moderantur orbem chriſtianum principes. Si his virtutibus nitantur, res bene habet, & eſt vnde gratias agamus Deo: Sin ſecus, illorum fuerit diligenter circumſpicere, quo fungantur munere: & noſtrum

tam inclementes potestates æquè ferre, dum hi meliores efficiantur, quod non fiet antea, quàm vita nostra tot sceleribus tam fœdè contaminata, in meliùs commutata sit. Cõuenit enim omnino in nos illud prophetæ: sicut populus ita sacerdos &c.

VERS. XV.

Pigritia ambarum attenuatur contignatio, & demissione manuum perstillat domus.

COmparatio rei priuatæ cum publica. Sicut paterfamilias iners ac piger, magnam rei familiaris iacturam facit, vbi fracturam vel disiuncturam in contignatione domus deprehenderit, nec statim eam reparat aut reiungit, sed premente pigritia, eo vsq; differt donec contignatio ligaturis solutis ab altitudine sua, aut humilietur aut corruat: Sic Respub. citò labefactatur, in qua principes profusi & ad omne scelus libidi-

libidinemq́ proiecti sunt. Vnde perspicuum est, omnem fructum, vsumq́ prudentiæ domesticæ & ciuilis, ad quem educandi sunt homines, luxum perdere. Et cùm triplici bonorum genere, regnorum ac vrbium felicitas contineatur, corporis, fortunæ & animi iuxta philosophos. Hæc omnia dissipat nimia illa profusio, ebrietas scilicet & libido. Quo magis lamentandum sit, in ijs Rebuspublicis, quæ se christianas profitentur, non esse malum magis tritum, quàm ebrietatem & venerem, quæ ita passim inualuerunt, vt tanta vitia liceat magis hodie lamentari, quàm vlla disciplina sanare, quibus student pariter principes & subditi, sacri et profani homines &c. ἀναγωγὴ autem huius versus ad animam referri potest: vt nimirum omni contentione elaboremus, ne spiritualis nostræ domus, hoc est, animæ conti-

gnatio id est, firmæ ac connexæ rationes humilientur ac corruant: ita vt domus ipsa perstillet, difluentibus vndiq; vitijs conturbata, atq; ita, si quas habebamus prius virtutes, ex desidia & inertia amittamus. Oportet ergo assiduè inspicere hanc nostram domum, neq; solum ea respectare quæ bene hactenus gessimus, sed oculos ad contignationem, hoc est, supremum finem erigere. Nam qui segniùs sese habent ad capessendas virtutes, ad solam voluptatem oculos animumq; conuertunt, occupanturq; circa id, quod hominum quàm plurimi suaue lætumq; opinantur, iacturam facient earum rerum, quæ inæstimabili pondere, res fugaces excedunt.

VERS. XVI.

Cùm ad læticiam parant conuiuium, & vinum lætificat viuentes,

pecu-

pecuniaq; ipsa facit vt ista omnia respondeant.

AMplificat adhuc gubernationis ciuilis incommoda, à luxu & amplis familijs, quibus alendis facilè consequitur, quòd magistratus subinde peruertant iudicia ac leges, propter munerum aucupia. Luculentum sanè luxus ac auaritiæ instrumentum & hodie plus satis in vsu, magnâ rerum publicarum iacturâ, cùm eam ij etiam exerceant, qui magistratum gerunt, quorum præuaricatio quòd impunè abit, non potest non perniciocißima esse. Christus, cui iudicium huius mundi à patre traditum est, hoc vitium cum cæteris, quæ miserè labefactant Respublicas sceleribus, securi ad hanc vitiosam arborem iam apposita, proculdubio suo tempore expurgabit, nulla hominum industria, quam

omnem vincit improbitas nostra. Damnat igitur Ecclesiastes abusum donorum Dei, & illicitum quærendi opes studium in magistratu & subditis, non habita ratione finis parandarum opum. Panis & vinum non vtiq; condita sunt ad gulam explendam & ebrietatem, sicuti improbi his abuti solent, sed ad necessitatem. Neq; etiam pecunia data est principibus à Deo, vt ad quod animi cupiditates eos instigant, id per eam efficiant: Sed vt oppressis succurrant, suas ditiones tueantur, & subditos ab iniurijs defendant. Sed Salomon considerans infinitas cupiditates principum, eos taxat qui vbiq; spectant argentum, siue fiat Reipub. commodo siue incommodo, & saltem inhiant in opes & facultates subditorũ expilandas, ne aliquid desit suo luxui & splendori. Hæc innuit dum addit: Pecuniaq; ipsa facit, vt ista omnia

nia respondeant. *Non simpliciter damnat honestum studium parandi ea quæ pertinent ad vitæ necessitatem, hoc enim tam in magistratu quàm subditis requirit, sed φιλαυτίαν nimiam. Quare vt teneamus quantum in hæc bona fluxa, salua conscientia contendere liceat, tenendum bipartitam esse dilectionem: Vnam quâ se quisq; natura duce diligit, ea sequens quæ profutura, & declinans quæ nocitura videantur. Quem sanè amorem sui, neq; natura, neq; lex diuina damnat. Non enim saxa & stipites geniti sumus, vt nullos motus, nullasq; cupiditates & στοργὰς id est, affectiones sentire debeamus naturales, quæ nobis Dei beneficio tributæ sint ad amplectenda ea, quæ ad conseruandos nos commoda, & ad deuitanda quæ incommoda esse cognoscantur: qua affectione qui carent aut simulant*

se carere per prauitatem naturæ, ἄστοργοι dicuntur, & ab apostolo in epistola ad Romanos damnantur. Alter verò amor est, quo nos ita amamus, vt præ nobis proximum non curemus: contraquàm natura nos docet, & lex Dei mandat, & quò eas res quæ ad viuendum commodæ sunt, nimis cupidè & secus ac deceat expetimus. Hoc vitium, hancq́ labem aspersit nobis morbus ille originis, à primò homine in nos fœda contagione propagatus, quem quidem morbum etiam philosophi sentire potuerunt, causam autem eius explicare non poterant, qui in naturæ schola, non in illo sacri spiritus ludo quem Christus aperit versati sunt. Breuiter, cupere pecunias, vinum & cibum malum non est, sed cupere nimiùm. Rectè igitur dixit ille, μέτρον δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον. Exemplum in nostro Ecclesiaste habes. Is eas fa-

culta-

cultates rogauit à Domino, quæ ſatis eſſent ad comparanda præſidia vitæ: Similiter & nos in oratione quam nos Chriſtus docuit, precamur, vt pater cœleſtis velit dare nobis panem quotidianum: in quo comprehenduntur, pecuniæ, veſtes, alimenta, & quicquid ad victum pertinet. Itaq; vt verè iudicemus de rebus, natura eſt ſemper à vitijs ſeparanda, & de vtriſq; ſeorſim diſſerendum. Sed hæc fortè nimis generaliùs, cùm ſaltem de magiſtratus improbitate diſſerat Eccleſiaſtes.

VERS. XVII.

Ne quidem in conſcientia tua Regi maledicito, & in conclauibus cubilis tui, non maledicito potenti, nam vel auis cœlorum, perferret vocem illam, & ales indicaret verbum.

Προκατάληψις, *in qua cùm hactenus magistratus taxauerit, & ostenderit in ciuili administratione, multa indecenter & contra* ἐυσχημοσύνην *fieri, nunc ne quis hoc velit imitari, & ipsis detrahere prohibet, graui addita causa. Nam licet Deus in suo verbo poßit principes corripere, non tamen vult vt tu eum imiteris, & aliter de eo loquaris, quàm eius dignitas postulet, vtpote quem tibi Deus præfecit, & cuius potestas à Domino Deo est. Sed propositio versus est: ne Regi neué potenti impreceris, ac ne in penetralibus quidem. Ratio propositionis,* Quia aues cœli portabunt vocem tuam, *hoc est, non latebit, sed innotescet ac sic punieris. Tua namq; maledicta excurrens fama, deferet ad illius aures cui tu malum imprecatus fueris. Ira etiam Regis mors est. Et habent reges ac principes suas aues, cuius-*

modi

modi ſunt quas, ſatrapas nominamus, per quos à rege explorantur omnia, quos aliâs dici ſcimus βασιλέως ὦτα *id eſt, aures Regis. Reuerentiam igitur & obedientiam ſummam deferendam eſſe ciuili magiſtratui, quamuis non ſemper expectationi noſtræ reſpondenti facilè intelligetur, ſi perpendatur quàm neceſſaria ſit poteſtas ciuilis. Quod haud difficulter cognoſcimus, ſi explicetur cauſa inſtituens Deus: & materia in qua verſatur, quæ eſt defenſio iuſticiæ ciuilis & punitio iniuſticiæ: & finis, qui eſt conſeruatio tranquillitatis ſocietatis humanæ. Quapropter non immeritò (vt ſacra prætermittam) poeta Ioui peculiariter curæ eſſe Reges terræ dicit:*

Καλλιόπη τ᾽ εἴδει προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων
ἡ μὲν γὰρ βασιλεῦσιν ἅμ᾽ αἰδοίοισιν
ὀπηδεῖ &c.

Qui igitur detrahunt eis, qui magnis curis & laboribus pro eorum salute vexantur, in Dei institutionem impingunt. Quomodo etiam illi iudicium Dei non effugient, quicunq; execrationes cordis occultas, aut vlla maleficia Deum latere existimant. Nam etsi hominum sensus stupidiores sint, quàm vt possint eiusmodi execrationes intus residentes odorari, tamen odor earum vel potius fœtor nubes transit, & ad ipsum vsq; Deum ascendit, nec quicquam occultum manet, etiamsi in densissima ac obscura sylua fiat. Nam ita hominum actus Deo patefiunt, vt aues potius ei sint anunciaturæ, quàm quicquam tacitum relinquatur. Huc facit quod de Poëta Ibyco fertur. Is cùm à latronibus trucidaretur, ac qui opem ferret, neminem videret, grues fortè supra se volantes, indignissimæ suæ cædis

cædis tanq̃ vindices implorabat. Latrones securi eum deridebant, vtpote quibus impoßibile videbatur, grues aliquando tanti sceleris proditrices fore. Verùm cùm aliquantò pòst in ciuitate sederent, ac gruibus aliquot præteruolantibus, alter per iocum diceret: En tibi vindices Ibyci, idq́; alij eius loci homines, qui Ibycum virum adeo doctum, non sine gemitu aliquandiu desiderant, audirent, suspicabanturq́; duos istos, quid de Ibyco actum esset, benè sibi conscios esse: itaq; comprehensos eos in carcerem condebant, & quæstione per tormenta habita, facinus vt erat cognoscebant. Quod & similia multa, quæ eodem modo in nostra patria, præter maleficorum expectationem subinde euenerunt ac detecta sunt, perspicuè declarant quàm verè à Salomone dictum sit, caue ne quid mali facias,

etenim

etenim priusquam occultum maneat, aues illud patefecerint.

CAPITIS VNDECIMI ΠΕΡΙΟΧΗ.

✝✝✝

QVæ hactenus Salomon dixit, erant quasi στηλιτευτικὰ id est inuectiua in fatuos. Nunc autem cùm duo sint effecta salutarium admonitionum, scilicet declinare à malo & facere bonum, de priore cùm hactenus egerit, nunc hortatur ad secundum, quia non satis est declinare à malo & contemnere mundum, nisi & fiat bonum. Quare nunc deinceps vsque ad finem libri, hominem ad beneficentiam, fidemque in promissiones Dei exhortatur, asserens infinitam administrationem eius cui obsecundare oporteat, ac negligentiores ad cogitationem mortis vanitatisque præsentis reuocat.

VERS. I.

Proijce panem tuum secundum aquas. Nam multiplicantibus diebus inuenturus es eum.

Contra postremum vanitatis genus, quo animalis homo oppugnat administrationem Dei, transitio est ad confirmationem sententiæ de prouidentia Dei, & refutationem argumentorum, quibus homines natura mouentur, vt dubitent de prouidentia & remuneratione beneficiorum in egentes. Cùm autem hactenus damnauerit inutilia studia & opera hominum, expressè nunc indicat in quibus vtiliter te occupare poßis. Quare et initium facit ab operibus caritatis & misericordiæ. Et quum nihil tantoperè cōmendet pietatem, quàm charitas & pia affectio erga proximū, ideo in hoc & sequenti versu ad eandem adhortatur, addita ratione ab vtili siue fine.

Mitte

Mitte siue proijce panem tuum secun-
dum aquas. προτροπὴ *ab exemplo semi-
nantis. Sicut bonus agricola, loca ir-
rigua conserit certa cum fiducia & ex-
pectatione benedictionum Dei: Sic
te in hac vita memento agricolam esse
& operarium Dei, & de tuo commu-
nices: certißimè tibi applicans illud, Ie-
houæ seri quod benefit, & irrigari bene-
dictione eius. Prouerb. 19. Et Iesai. 58.
Hæc doctrina de operibus charitatis,
ac imprimis eleemosyna ac beneficentia
valde necessaria est, in qua tutißimum
erit sanctorum niti exemplis, ne vel in
dando manus erret, vel in supputando
mens vacillet, vel in elargiendo inani
ostentatione elatus animus liberalitatis
amittat mercedem, dum hominibus ma-
gis quàm Deo placere studet. Neq; enim
immeritò Cratonem philosophum, dum
Ephesi contemnendarum opum ederet
spectacu-*

spectaculum, gemmas immodicæ æstimationis contundentem à Iohanne Apostolo reprehensum ferunt. Nam si pietati magis quàm gloriæ studuisset, nunquam illas profectò contriuisset, sed potiùs venditarum pretio indigentibus succurrisset. Quam quidem sententiam & ipse postea est secutus, lapillis quippe ab Apostolo pristinæ integritati restitutis, miraculo ad fidem Christi conuersus, quod ad suam ipse iactantiam instituerat, ad proximorum vertit vsum, iam satis edoctus sapientiam huius mundi stultitiam esse coram Deo. Est igitur verus finis donorum Dei non alius, quàm pauperum & tenuiorum, in calamitatibus & necessitatibus opitulatio & συμπάθεια, & sanè multa dare locupletiorum est, pauca tenuiorum, nec tamen ideo non par meritum, quorum æqualis affectus. Animum

enim largientis pensat Deus non donum. Nec quantum oblatum est inspicit, sed quanto. Vidua paupercula duo æra minuta misit in Gazophilatium, & diuitibus præfertur. Vidua etiam illa cui nihil aliud erat præter pugillum farinæ in hydria, & paululum olei in lechito, totum id quod habuit, petenti Eliæ prophetæ concedere non dubitauit. Et ex illa die hydria ei farinæ non defecit, nec lechitus olei fuit imminutus, donec pluuiam dedit Dominus super terram. Deniq; paruulum filium quem mors abstulerat, pietas viuum in sinum matris restituit, annuente Domino precibus prophetæ, quem illa & cibo pauerat & fouerat hospitio, hoc est quod sequitur. Nam multiplicantibus diebus inuenturus es eum &c. *Ratio ab vtili. Nam qui* proiecerit panem suum, *id est, clementer respexerit &*
fouerit

fouerit pauperes, egentes, esurientes, sitientes, peregrinantes, nudos, ægrotos, in carcere constitutos, multiplicantibus diebus, inuenturus est eum. *id est, qui miserorum miseretur, & ipse misericordiam consecuturus est à Domino, sicut Christus testatur Math. 5. Beati misericordes, quoniam & ipsi misericordiam consequentur. Hæc fusiùs explicantur in pulcherrimo psalmo 41. Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die malo liberabit eum Dominus. Iehoua custodiet eum, & viuificabit eum, felix erit in terra, & non dabit eum desiderio inimicorum eius. Dominus sustentabit eum super lecto doloris &c: Quare cùm hæc ita sint, quis mentis compos non iam excussa tenacis auaritiæ compede, ad liberalitatem ac beneficentiam gradum feret? & de ijs saltem aliquid, quæ suæ supersunt ne-*

cessitati, aliorum indulgebit inopiæ, cùm post dies multos omnino remunerabitur quod confertur in pauperes. Si aliquid fuisset collatum in miserum Lazarum, sanè in vita altera fuisset recompensatum. At contrà diues ille purpuratus, quia luxuriæ suæ deditus, Lazari pro foribus iacentis non respexit ærumnas, impietatis pœnas tulit, sepultus in inferno. Et qui dudum panis micas de mensa cadentes non concesserat mendicanti, nec ipse postea positus in igne, vel vnam aquæ guttulam quâ linguam refrigeraret, valuit impetrare. Quoniam sine misericordia iudicium fiet illi, qui non facit misericordiam. Et qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit & non exaudietur.

VERS. II.

Da partem ſeptenis aut etiam octo-nis, quia neſcis quid futurum ſit mali ſuper terram.

Alia περιστοπὴ *ab incertitudine & inſtabilitate opum ac aliarum rerum fluxarum. Hortor immo iterum atq́ iterum moneo, vt non vni tantum, ſed* ſeptenis, *vel etiam* octonis, *ſi res ſic tulerit, id eſt, quàm plurimis poterit (vt ſit numerus finitus pro infinito) hilariter quiſq́ opituletur. Breuiter, da liberaliter, & diuide pluribus, ſua tamen cuiq́. Vtinam obſeruarent opulentiores hanc commonefactionem & quæ ſequuntur, fortè non tanta hominum tenuiorum preſſura, vndiq́ exaudiretur. Olim fuit conſuetudo, vt in medijs oppidis haberent ciuitates, templa gratiarum, id eſt, ſignificatum eſt inter homines oportere eſſe mutua officia, debita obligatione naturali & ciuili,*

quas dudum expiraſſe videmus, cùm homines non Dei verbo, nedum gratijs ad benefaciendum perſuadeantur. Sed nihilominus dicam ex Seneca & alijs, quomodo antiqui benefaciendi ſtudium, tribus gratijs repræſentauerint, & quare in beneuolentia exprimenda, has gratias pinxerint manibus implexis, quare ridentes, quare iuuenes & quare virgines, ſoluta ac perlucida veſte &c. Volunt quidem alij videri vnam eſſe, quæ det beneficium, alteram quæ accipiat, tertiam quæ reddat. Alij autem tria beneficiorum genera recenſent, promerentium, reddentium, ſimul & accipientium reddentiumq́. Sed hoc 'ουδὲν πρὸς 'έπος forte. Cæterùm quid ille conſertis manibus in ſe reddentium chorus? Ob hoc quia ordo beneficij per manum transeuntis, nihilominus ad dantem reuertitur, & totius ſpeciem perdit,

perdit, si vnquam interruptus est. Pulcherrimus si cohæserit & vices seruauerit. Sed cur ridentes? quia promerentium vultus hilares sunt, quales solent esse qui dant & qui accipiunt beneficia. Iuuenes quia non debet beneficiorum memoria senescere. Virgines quia incorrupta sunt & syncera, & omnibus sancta, in quibus nihil esse alligati debet nec astricti. Solutis itaq; tunicis vtuntur perlucidis autem, quia beneficia conspici volunt. Ex hac fortè pictura Hesiodus nomina illis imposuit. Ac'αγλαΐαν maximam natu appellauit, id est serenitatem siue honestatem, quòd principium benefaciendi debet esse honestum. Non debemus rapere de aliorum facultatibus & benefacere alijs. Mediam ευφροσύνην læticiam. Nam hilarem datorem diligit Deus. Et maximè differunt beneficia

 data

data ſyncera beneuolentia ac candore, & data ex inſidijs & adulatione. 3. θαλλία, id eſt germinans, hoc eſt gratitudo reddens beneficium, vel declarans piam voluntatem. Ac gratitudo eſt virtus compoſita ex duabus primis virtutibus, veritate & iuſticia. Veritas profitetur vnde ſit acceptum beneficium. Iuſticia obligat ad reddenda mutua quædam officia. Omnis igitur ingratus eſt mendax, quia non fatetur vnde acceperit beneficium, deinde eſt iniuſtus, quia non reddit debitas gratias. Cogitate hîc vos adoleſcentes de noſtra ingratitudine. Quis ſatis cogitauit vnde acceperit ſua dona? & quis noſtrum ſatis Deo pro ſuis donis gratias egit? Retinete hac lectione dictum Alphonſi qui fuit Rex Neapolitanus, tempore Friderici imperatoris, eius præceptor fuit Pontanus, ac fuit ipſe Alphonſus

phonsus valde eruditus in doctrina Ecclesiæ & philosophiæ. Quando dictum est ei quòd defecerit ab eo aliquis princeps, vel alius cui ipse benefecerat, vehementer initio fuit commotus, sicut est consentaneum: postea tamen repressit se & dixit: Ah quid irascar ei? ego multis maioribus beneficijs ornatus sum à Deo, & tamen sum ingratus &c. Sed nunc sequitur: Quia nescis quid futurum sit mali super terram. *Ratio cur benefaciendum sit ab ipsis donorum Dei adiunctis, instabilitate nimirum & fluxa earum conditione. Quòd ignoremus quid superueniens dies allaturus sit, id est, bona fortuita incertissima sunt, & omnibus momentis infesta malis quàm plurimis. Huc sanè si cogitationes nostras erigeremus, ac mentes nostras excitaremus, multò certè beniгniores afflictis Christi membris, sem-*

per ac vbiq; essemus, quòd videlicet omnia illa longo tempore, longisq; molestijs (ne dicam sordibus) acquisita, breui momento veluti quædam rapida procellæ tempestas tollit euertitq;. Quot creditis ô auditores, locupletißima olim regna isto modo ad aridum & vix respondentem necesitati victum redacta? quasi euidentißimè per has fortunarum vices & ærumnarum recursus, arguente Deo ac dicente illiberalibus istis: date & dabitur vobis: hunc item finem benefaciendi si prætereatis & terrenas vobis diuitias, susq; deq; cumulatis: ecce ego vicißim super vos bellum & gladium, & quæ rursu omnia inuitis extorqueant, inducam.

VERS. III.

Si completæ fuerint nubes pluuia, super terram effundet eam, & si ceciderit arbor ad austrum siue aquilonem, quemcunque in locum ceciderit, ibi erit.

Para-

Parabola à rebus naturalibus, quâ ostenditur non posse rectiùs collocari bona fortuita, quàm conferendo eleemosynam & beneficentiam in indigentes. Nam (inquit) sicut sementem benedictione aspergit Deus & sator eam ibidem recipit cum fœnore, id ipsum quoq; fore constat in beneficentia tua. Imitare igitur grauidas illas nubes quæ terras profusa sine discrimine pluuia irrigant: & beneficas illas arbores quarum fructus & meridiem & aquilonem versus, id est in quãcunq; partem inciderint, hos & illos alunt &c. Hoc etiam versu perspicuè docet, cumulatè beneficia redire ad eos qui plurimum conferunt. Quo plus dat aliquis eò magis experitur sibi diuinitùs reddi plura, vt Germani piè dicunt:

Almosen geben/armet nicht/
Kirchen gehen/saumt nicht etc.

Item

Item fœneratur à Domino qui dat egenti. Et fructus eleemosynæ sunt infiniti. Nam nec talem pietatis cultum, in Ethnicis quidem marcescere passa est diuina clementia. Cornelij namque Italicæ cohortis Centurionis eleemosynæ (ut in actis Apostolorum legimus) ascenderant in memoriam ac conspectum Dei, atque ad illum adhùc gentilem, angelum de cœlo, Simonem Petrum ab Ioppe Cæsaream usque euocarunt, dignum utique reddentes, qui cum angelo colloqueretur, ab Apostolo baptizaretur, à spiritu sancto priusquam baptizatus sit, visibiliter illustraretur: Adeo ut & qui aderant ex circumcisione fideles mirati sint spiritus sancti gratiam, etiam in nationibus esse effusam, & Petrus se comperisse dixerit, quia non est προσωπολήπτης *Deus, sed in omni gente qui timet Deum & operatur iustitiam,*

acceptus

acceptus est illi. Qua de causa etiam tradunt beatum Eustachium, ex gentili christianum factum, & ex christiano martyrem, palmam immortalitatis consecutum. Cæsaris enim Traiani & Plinij secundi temporibus, magister equitum super cornua cerui quem venando insecutus fuerat, Christum in cruce fulgentem viderat. Qui dum ob ipsius erga inopes beneficia, ei se apparuisse diceret, & mysteria veritatis reseraret, credentem baptizari iussit. Hoc fortè quis mythologicon existimet, ego tamen ex temporum consecutione verissimum iudico, ac scimus Deum mirabilem esse in omnibus operibus suis, & longè plura stupenda & admiranda in incrementis fidei christianæ fecisse, quæ si in dubium vocentur, multa alia quoq; eâdem incredulitate labefactantur.

VERS. IIII.

Qui obſeruat ventum non ſeminabit : & qui reſpicit ad denſas nubes, non metet.

Προκατάληψις, *quâ remouet quoddam impedimentum. Impeditur autem homo ab operibus pietatis ex nimia dilatione, cogitans quòd veniet tempus magis opportunum ad diſtribuendum pauperibus bona ſua, & interim adimuntur ei bona vel vita, & ſic priuatur ſua intentione. Hoc illuſtrat ſimili. Eſt enim hæc beneficentia inſtar ſationis, quam meßis conſequitur, & ſemper eſt benefaciendi tempus. Vide igitur ne vlla cunctatio prudentiæ nomen ementita, ab hoc officio te abducat eos imitatum, qui ventos obſeruant ſationi minus incumbunt. Nam plerumq; contingit, vt qui hodie perflat ventus craſtina die ſit quieturus, aut*

contrà

contrà bacchaturus sit die crastina, qui hodie conquiescit: hodie cùm pluat, cras erit aër serenus. Hæc enim sunt ex eorum genere, quæ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ nominamus. Non oportet ergo sementes ventos obseruare, sed spe bona sationem facere, Deo confidentes authori bonorum omnium. Nam si præ obseruatione nubium ac ventorum, differamus sationis tempus, irritam deinde messem experiemur. Eodem modo ne diffidentia vtitor, vt manum à benefaciendo retrahas, neué has aut illas excusationes obtendas, sed Dei administrationi confidens, fac citò quicquid facto opus est. Hæc conueniunt cum doctrina CHristi, operamini donec dies est. Nec desunt scripturarum testimonia, quæ te charitatis fraternæ atq; eleemosynæ commonefaciunt, atq; ad eam te excitant. Admoneat quoq; te eiusdem rei

baptismus

baptiſmus tuus. Pauper igitur acceſſit? in mentem tibi veniat, ex quàm graui paupertate, ad quantas diuitias prouectus es. Pane carens & potu atq; etiam fortaſſe Lazarus quiſpiam ad domus tuæ fores prouolutus? moneat te myſtica menſa, ad quam acceſſiſti: moneat te panis iſte, cuius particeps factus es, calix ille quem accepiſti, cùm Christi paßionibus initiareris. Peregrinus ad genua tua procubuit, domo carens, aduena, facultatibus naufragium paſſus, ſpoliatus pecunijs, genere, amicis, morbis & alijs calamitatibus miſerè deformatus ac confectus? per hunc excipe illum, qui peregrè propter te vitam egit, paupertatem & dirum mortis ſupplicium ſuſtinuit, idq; in ſuis regionibus hoc eſt, in hoc mundo, qui ab ipſo creatus eſt ac deniq; qui per gratiam ad te immigrauit, teq; ad cœleſte domicilium

lium pertraxit. Adhæc si debitorem nactus sis tibi ad pedes procidentem: syngrapham omnem tam iustam quàm iniustam concerpe: ac decem illa talentorum millia in memoria habe, quæ tibi Christus remisit. Noli te acerbum minoris debiti exactorem præbere, & quidem conseruis: cùm tibi à Domino maior summa condonata sit: ne ob humanitatem quoq; illius & misericordiam, quam tibi in exemplum propositam nequaq̃ es imitatus, pœnæ à te expetantur.

VERS. V.

Quemadmodum ignoras quæ sit via venti, & sicut ossa ignoras in vtero grauidæ: ita ignoras opus ipsius Dei, quâ viâ faciat hæc omnia.

EXigesis admirabilitatis quæ est in operibus Dei à comparatione minoris ad maius. Si tuam ipsius compo-

sitionem ignoras, multò magis occulta Dei. Sed verum prius, ergo & posterius. Antecedens profert Ecclesiastes. Primùm enim etiamsi maximè velimus obseruare: tamen præscire non possumus aëris qualitates, aut scire viam ipsius spiritus, quod etiam saluator noster Iohan. 3. apertè testatur: spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, & quò vadat. Deinde non aliter nouimus opera Dei, consilia & dispensationes, quàm & ossa quæ compinguntur & gestantur in ventre pregnantis. Quis enim nouit masculus ne ibi delitescat an femina? integrum ne ibi gignatur, an parte aliqua corporis imperfectum? Quod si ignoramus qualenam sit quod in vtero genitricis compingitur, multò ignorabimus magis, quâ nam ratione, offula illa quam Embryonem vocant in

corpus

corpus animalis coalescat & conformetur, quo etiam pacto ossa componantur, quoué totius corporis sibi congruat harmonia? Si igitur in terrenis rebus ita caligat & hallucinatur humana mens, quanta obsecro erit eius cæcitas in cognoscendis cœlestibus operibus? Scribit sanè Aristoteles, Anaximander, Metrodorus, Plinius, Seneca, & alij non pauci de origine & natura ventorum. Scribunt etiam Physici & Medici, quomodo ossa fœtus in vtero matris perficiantur: sed tamen tantâ sententiarum repugnantiâ & contradictionum digladiationibus, vt nunquam omni sublata ἀπορίᾳ, certa eius rei & minimè fluctuans constet noticia. Ergo cùm imperuestigabilia sint arcana Dei, nec etiam tu tantopere sis sollicitus, curiosè quærendo, cui sis eleemosynam daturus, cui non daturus, vtpote, fidelis ne sit

ille an infidelis, iustusné an iniustus. Sed tu sine vlla dilatione temporis, in simplicitate cordis tui eleemosynam confer: neq́ enim scis an spiritus eum viuificet, quem tu fortasse iniustum putas, contraq́ illum à se repellat, quem tu iustum existimas.

VERS. VI.

Manè sere semen tuum, & vespere ne remittito manum tuam: nam ignoras quidnam rectum sit, hoc ne, an illud, an verò ambo hæc vna sint.

REpetitio superiorum admonitionum & vsitatæ parabolæ seminantis. Sed quid est illud: Manè sere semen tuum, & vespere ne remittito manum tuam? *Quis enim semper & manè & vesperi seminare potest, maximè cùm glaciali tempore nullus audeat seminare? Respond. Semen hoc loco*

non

non intelligendum est frumenti, vel alterius cuiuslibet grani, sed semen boni operis ex quo nascitur fructus iusticiæ & portus æternæ beatitudinis. Docet igitur hac parabola Salomon, vt nullo tempore, nulla ætate à bonis cessemus, & nostram matutinam iusticiam vesper inueniat, & vespertinam misericordiam iterum sol ortus accumulet. In adolescentia pariter ac senectute, virtutum copia nos Deo semper commendet. Manè ergo & vespere seminato semen tuum, id est, redimito tempus, vt Paulus inquit: Quia dies mali sunt, id est, cùm sint magna impedimenta, vos sitis intenti in occasiones bene merendi, succurrendi egenis, iuuandæ Ecclesiæ, propagandæ doctrinæ. Hæc etiam vtinam ponderent opulentiores ac mundi magnates, non ad extremum vitæ halitum bene merendi studium

differrent, ad quorum fores pauperes iacent quotidie fracti fameq́ confecti, & ita quidem, vt interdum ne petitionis quidem instrumenta corpore suppeditante, priuati vocibus ad lugendum, manibus ad suppliciter protendendum, pedibus ad locupletes adeundum, spiritibus ad luctuosi cantus intentionem. Quibus calamitatibus nihil mouemur, sed semper differentes opera charitatis, potius res nostas arculis recondimus à tineis exedendas, atq́; à tempore quod omnia conficit absumendas: quàm vt Christo aliquid proijciamus. O diffidentiam nostram. O grauem illorum afflictionem. Sed ne cuiquam tam fructuosum opus, tum demum exercendum differatur, cùm aut nihil aut parum profuturum sit, documento nobis sit Lucia virgo. Quæ cùm matrem Euticiam, ad irrogandas pauperibus facultates

cultates hortaretur, illaq́ diceret, vti vitæ suæ finem expectaret, ipsa postea quod vellet, de opibus suis factura. Non est, inquit, admodum grata ô mater Deo munus, quod qui offert, ideo offert, quia illius vsum suprema sibi interdicit dies. Da dum sana es, ne si moriens dederis, inuita dedisse arguaris, rem vtiq́ quam velis nolis relinquere cogeris &c.

VERS. VII.

Est quidem dulcis hæc lux, & bonum hisce oculis aspicere hunc solem.

VERS. VIII.

Sed si annos multos viuens homo, in eis omnibus lætetur, attamen recordari eum oportet dies tenebrarum, quamuis illi multi sint, quicquid euenerit vanitatem esse.

Pro-

Πρόληψις ex consideratione vitæ præsentis, obijciat enim aliquis, cur tam diu laboribus me conficerem vt alijs largirer? At ego laboraui studiosiùs, vberiùs seminaui, diligentiùs excolui, bonos collegi prouentus, solicitiùs recondi, seruaui fideliter, prouidè custodiui, quia non ignoraui quàm pulcher sit sol, quàm suauis hæc vita, quàm iucundum in summa felicitate longæuum fieri. Ad hoc, versu vltimo subijcit Ecclesiastes. Etiamsi tibi omnia suppeterent, ac vita tibi tota difflueret delitijs, duo tamen cogitanda sunt: Vnum, mortem aliquando tibi obeundam esse: Alterum ea quæ huic vitæ conceduntur, esse vanißima. Hæc indicat dum addit: recordari eum oportet dies tenebrarum *(Periphrasis mortis)* quamuis illi multi sint, quicquid euenerit vanitatem esse. *Verißima sententia. Magnum quid vide-*

videbatur esse potentia Alexandri, Cyri, Iulij, dum viuerent: Mors autem eorum, omnia præterita arguit vanitatis. Idem quoq; nobis continget. Hinc Esaias vitam præsentem somnio comparat. Sicut (inquit) somniat esuriens se comedere, & cùm euigilauerit vacua est anima eius, sic nobis continget &c: Deinde quòd huius vitæ vanissima sint cuncta subinde diximus, ac sufficiens huius argumentum est, ipsarum rerum miræ mutationes. Ac ipsa natura docet, quòd nihil est in rebus humanis firmum, æquabile & durabile, atq; eodem statu constanter manens: verùm res nostræ velut orbe quodam voluuntur, alias alio tempore, sæpe etiam vno eodemq; die, atq; interdum hora mutationes aduehente: ita vt incertis ventis ac nauis mare percurrentis vestigijs, fallacibusq; noctis insomnijs breuem vo-

luptatem afferentibus, iisq́; figuris, quas pueri per ludum in arena fingunt, certior fides haberi poßit, quàm hominum felicitati. Quò sapientiores habendi sunt, qui quoniam præsentibus rebus minimè fidunt, futuras opes sibi coaceruant, ac propter humanæ prosperitatis incertitudinem & inconstantiam, benignitatis nunquam collapsuræ studium amplexantur. Non igitur glorietur in sapientia sua sapiens, nec diues in opibus suis, verùm qui gloriatur, hac vna in re glorietur, quòd Deum cognoscat atq́; requirat, calamitosisq́; condolescat, atq́; ad futuram vitam boni quidpiam sibi recondat. Cætera omnia fluxa sunt & tempore peritura, ac velut in calculorum ludo, alia ad alios iactantur transeuntq́;, nec quicquam est ita poßidentis proprium, quod non vel temporis diuturnitate deleatur,

vel li-

vel liuore ad alios non migret: Hæc verò certa & fixa sunt, nec vnquam discedunt ac dilabuntur, nec spes eorum qui fiduciam in Deum collocarunt frustrantur. Cæterùm dum hæc propono, humanitatem & singularem clementiæ beneuolentiam Magnanimi viri Christopheri Vualchendorphij in mentem & memoriam reuoco. Is hanc admonitionem Ecclesiastæ perpendens, ac sciens quòd nos homines tantùm hemerobij flosculi sumus, non immemor fragilitatis humanæ, nec in prosperis vt ferè multis euenit sui oblitus, sed ad futuram potius vitam, omne studium cogitationesq; extendens, sodalitatem literatorum hoc anno 1588. non parum auxit. Extructis enim ædibus longe amplissimis atq; ornatissimis, prudentissimus ac discentium amantissimus hic nobilissimus vir, cùm intelligeret se vel

nominis sui laudem titulumq́ imaginum suarum non posse rectiùs ad posteritatem propagare, vel de Ecclesia Dei præclariùs mereri, quàm si religioni inopiæq́ discentium de suis facultatibus publicè succurreret. Quare prono pietatis ac honestæ beneuolentiæ studio, in vsum studiosi cœtus, ac honorem patriæ, splendidißimas ac recens proprijs facultatibus extructas amplißimas ædes destinauit. Hoc præclari facti decus etsi crebra hominum memoria in seipso reuirescat, eius tamen commemorationi hoc loco vacare volui, vt vos omnes inflammem ad considerationem tam ingentium beneficiorum & gratitudinem erga Deum. Meritò itaq́ æterno Deo nostro, immortales habemus & agimus, pro immensis quæ in nos abundè confert & effundit beneficijs gratias: ipsumq́ per Christum in spiritu

toto rogamus pectore, vt nobilissimum hunc virum, & alios similes literarum patronos & mecœnates, suo nomini, Ecclesiæ suæ, scholis, rebuspublicis & omni honestæ societati in his regionibus, diu incolumes & in pia consensione ac concordia florentes, cum ipsa regia domo, benignissimè conseruet, regat & tueatur. Amen. Ac nunc postremò sit coronidis vice, dictum M. Antonij, qui apud Rabirium poëtam, quum fortunam suam ad alios emigrantem ingemisceret, exclamauisse dicitur: Hoc saltem habeo quodcunque dedi. *Illud (inquit Seneca) quod suspicis, quo te diuitem quoque ac potentem putas, quàm diu possides, sub nomine sordido iacet, quum donasti beneficium est.*

†⁺†

CAP.

CAPITIS DUODECIMI ΠΕΡΙΟΧΗ.

✝✝✝

SALOMON in hoc capite repetit commonefactionem de iudicio, & addit mentionem senectæ & mortis, vt hoc argumento confirmet asseuerationem de prouidentia, & hortetur nos ad timorem Dei: ad fidem & obedientiam, ne securus contemnas Deum, quia morbi & mors ostendunt nostram infirmitatem, atq; ita concludit totum opus à confirmatione rerum istarum omnium, atq; hortatione ad studia salutaria in reuerentia & timore DEI.

VERS. I.

Lætare iuuenis in iuuenta tua, & exhilaret te animus tuus diebus iuuentutis tuæ: deniq; perges in vijs animi

tui & aspectibus oculorum tuorum: sed cognosce fore, vt propter omnia hæc adducat te Deus in ipse iudicium.

Conclusio doctrinæ de administratione Dei, ex cuius consideratione à malis retrahi & in bonis exerceri debet homo. Sed quia iuuenes freti ætate sua, rarò aut nunquam de morte & iudicio Dei cogitant, sed quasi ebrij indulgentia fortunæ magnas spes fouent, ac in delitijs huius mundi exultant: Ideo initio præmittitur ad eos apostrophe per concessionem ironicam, quomodo nonnunquam parentes liberos compellant: tantum festina in tabernas, exporrige frontem, bibe, lude, at postea dolebit. Eodem modo & adolescentes, quos præcipuè fallax huius vitæ imago decipit compellans, inquit: Ite nunc igitur ô adolescentes, & eia dicite, adolescentiam nostram breui desiturã lætitiæ demus:

mus: istius iuuentutis spacium hilariter & arbitrio nostro decurramus, quicquid oculis nostris allibuerit illud appetamus, clarißimas domos omnigenis lapidibus exornatas, atq; auri & argenti splendore oculorum aciem perstringentes, ac tenuißimi lapilli dispositione picturæq; varietate, oculos veluti illecebris quibusdam inescante ac decipiente, partim incolamus, partim extruamus: Deinde mollibus & circumfluentibus vestibus, pannisq; ex tenuißimo lino ac serico contextis deliciemur, partim in eis superbiamus, partim eas arculis recondamus. Ad hæc ministros alamus, ac imprimis pueros, in ornatu & ordine, coma solutos & effeminatos, cæsarieq; ad vultus elegantiam, accuratiùs quàm expediat elaboratos & expolitos, petulantibus & impudicis oculis adornatos, partim pocula extremis

digitis

digitis tenentes, quàm fieri potest decentißimè simul ac tutißimè, partim alia voluptatum munia obeuntes. Præterea coquorum & conditorum artificijs lenocinijsq; vtamur, qui vt ciborum fastidia excutiant palato, in coquendis alitibus & alijs, pinguedinem norunt retinere labentem, vt spirulas & botulos faciant, isicia, castellamenta lucanica, suminatam cum his carnem & glaciali conditione tucetas, per hæc inquam ventrem demulceamus, tum vini ac ceruisiarum pocula vsq; ad temulentiam hauriamus, immo etiam vltra temulentiam, atq; ex pluribus vinorum & ceruisiarum generibus alia reijciamus, alia vt suauia & grata eligamus, de alijs etiam pholosophemur detrimentoq; existimemus, nisi ad patrios liquores etiam externi accedant, ac deniq; per diem noctemq; Veneris ludicra exer-

ceamus, incompoſitos corporum diſſoluamur in motus, ſaltitemus, ſambuciſtrias, pſaltrias, in lupanaribus promptas, in fornicibus obuinctas admittamus. Hæc & alia ſunt ratiocinia iuuenilis ætatis, ad quæ ita ſubijcit noſter Eccleſiaſtes: Sed cognoſce fore vt propter omnia hæc adducat te, Deus ipſe in iudicium. Λύσις ἢ ἔλεγχος ἀκριβής. *Quanquam tibi donauerim libens, vt gaudeas & iucundè viuas. Item vt creaturis vtaris. Item vt edas & bibas: inſipienter tamen agis ô tu quiſquis es, tranſiliens præceptorum Dei ſepta, & non expectans futurum in his omnibus Dei iudicium. Mala res eſt intemperantia, libido etiam & ſpurcitia damnum & iniuriam corporibus noſtris afferunt. Præclara ſanè huius loci documenta, quæ ſunt nobis ab ipſa adoleſcentia ſpectanda, vt cum ætate ſimul*

te ſimul accreſcant ſtudia honeſtarum actionum. Eſt igitur, bonorum adoleſcentium timorem Dei habere, deferre parentibus honorem, ſenioribus reuerentiam, caſtitatem tueri, non aſpernari humilitatem, diligere clementiam ac verecundiam quæ ornamento ſunt minori ætati, ac in omnibus cogitare de Dei iudicio. Sic erat Iſahac Deum timens, vtpote Abrahæ indoles, deferens patri honorem, vſq; eò, vt aduerſus paternam voluntatem, nec mortem recuſaret. Ioſeph quoq; cùm ſomniaſſet, quòd ſol, luna, & ſtellæ adorarent eum, ſedulum tamen obſequium deferebat patri, ac cogitans imminere iudicium Dei, caſtus ita fuit vt ne ſermonem quidem audire vellet niſi pudicum. Viuamus itaq; & nos, ſobriè, caſtè ac piè, vt ad Dei tribunal abrepti, cauſam

 dicamus.

dicamus. Sic Paulus monet Gal. 5, In libertatem vocati estis, tantùm ne libertatem detis in occasionem carnis. Et 1. Pet. 2. Quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem.

VERS. II.

Amoue ergo indignationem ab animo tuo, & auerte malum à carne tua. Nam pueritia & iuuentus sunt vanitas.

ILlatio qua Ecclesiastes à proxima consideratione horrendi iudicij diuini, iuuenem reuocat ad bonam frugem. Iubet ergo, vt amoueat indignationem ab animo. *id est peccatum, quod Dei indignationem prouocat (metonymia) & iudicio ac condemnationi Dei omnipotentis sistit. Cæterùm perseuerantiam boni honestiq;, commodissimè in nobis, conseruabit mortis meditatio,*

iuxta

iuxta illud: In omnibus operibus tuis memorare nouißima tua, & in æternum non peccabis. Vt igitur animo & corpore peccatum, quod Deo inuisum & nobis damnosum sit auersemur, quotidie animo voluamus, quotidie ruminemus, quales mox futuri sumus, & præsentium voluptatum illecebras, dolos esse patebit. Quibus qui capti fuerint, tunc cùm se ad felicitatis culmen euectos putabunt, ad extremas corruent miserias, ignemq́ illum inextinguibilem vnde nullus vnquam sperari potest regressus. At verò qui seipsum aliquantulum recognouerit, contemplariq́ incipiet humanæ naturæ conditionem, iam intra se tacitus dicet. Heu quàm magna pars mei indies imminuitur, quàm citò ad finem suum ætas properat. Puer eram & non sentiente me, momento temporis ad pubertatem veni, nec scire

possum quando esse cœpi, & iam factus sum vir, iam canis albicat caput, & rugis arata facies, cognatam morti senectam indicat. Deniq; (vt propheta ait) Dies mei sicut vmbra declinauerunt, & ego sicut fœnum arui. Quid quæso reliquum est, nisi vt de qua confictus sum, terra fiam? Soluto autem corpore, & terra terræ reddita, quicquid deinde animæ erit, æternum erit. Iustis beatitudo, iniquis deputabitur pœna. Cur igitur tandem non resipisco miser? Cur non hoc saltem quod superest vitæ sic dirigo, sic exerceo, vt pro breui labore fide suscepto, quietem capiam sempiternam? & non sicut adhuc egi, vt pro breuibus delitijs, in perpetuos incidam cruciatus? Ecce iam securis posita est ad radicem, & velim nolim, iamiam cadendum erit. Quid agis anima? quid torpes? quid

quid ociosa dormitas? consulere saluti tuæ negligis & pernicie tua lætaris? Age iam tandem, excita te & expergiscere, & vel hoc saltem nouissimo penè temporis puncto pœnitentiam age, quam si differre perges, vide quanto te periculo committas, vita fugit, mors aduentat, semperq́; propior est quàm esse creditur. Cùm autem venerit, non erit amplius pœnitentiæ tempus sed iudicij. Iudicij autem sicut districti: ita irreuocabilis, quo quicquid decernitur, fine caret, siue bonum siue malum sit. Nos igitur inter vtrumq́; infinitum constituti, perpendamus animo dum licet, quàm alterum horrendum sit, alterum concupiscendum, & in nobis ipsis moderemur, vt hoc assequi, illud euitare valeamus. Scriptum est enim: Beati mortui

qui in Domino moriuntur, & mors peccatorum peßima. Sed sequitur: Nam pueritia & iuuentus sunt vanitas. *Illationem confirmat ab ipsis adiunctis ætatis iuuenilis. Primùm flos istius tuæ iuuentutis, opinione citiùs euanescet: interim ratum erit perpetuò, quicquid Deus de te semel constituerit. Deinde & animo iuuenili, amentia ferè plerumq; annexa est, quæ nihil aliud est quàm mera vanitas. Habemus sententiam huius versus, quam vtinam vobis applicetis, immo pectoribus vestris infigatis, multa sanè mala à vobis in hac ætate auertetis. Quod vt faciatis, innocenter viuite & in seruitutem redigite corpus, vt obedire discat spiritui. Deinde quia infirmiores estis, & lex membrorum repugnat legi mentis, ideo soliciùs petite auxilium à Domino. Petitori datur & pulsanti aperietur, fre-*

quentius

quentiùs ora, ventri & comeſſationibus minimum indulge, hoc dæmonium non eijcitur niſi per orationem & ieiunium. Somnolentiam & crapulam caue, & vigilijs operam da, qui vigilat non ſinit perfodi domum ſuam, fac aliquid operis, vt nunquam diabolus te inueniat ocioſum. Ac poſtremò ſemper totam vincendi ſpem in Deo colloca. Sine me (inquit) nihil poteſtis facere. Et ſine tuo numine nihil eſt in homine.

VERS. III.

Et recordare creatoris tui diebus iuuentutis tuæ, tantiſper dum non aduenient dies ipſius mali, & pertingunt anni, quibus dicas, non eſt mihi in iſtis delectatio.

Ἐπεμβολὴ κατασκευαστικὴ *ex vitæ fugacitate ad conſiderationem beneficiorum Dei & gratitudinem, reueren-*

tiam, studium & obsequium erga Deum. Sumit autem argumenta προτρεπτικὰ à causa efficiente & materia, sed de prima monet ut qui velit exuere hunc iuuenilem animum, & petulantis superbiæ motum fræno compescere, indelibilem Dei memoriam conseruet. Hoc ut facias, iubet ut recorderis Dei tui, id est iustitiæ eius ut timeatur, misericordiæ ut speres, beneficentiæ ut gratus sis, magnificentiæ ut reuerearis & venereris eum, bonitatis ut diligas, suauitatis ut esurias illum & sitias, veritatis ut credas. Hanc Dei memoriam ut iugiter conseruet homo, multa sanè sui μνημόσυνα reliquit. Quorum primum est signaculum suæ similitudinis, quo ad imaginem & similitudinem suam formauit eum. Secundum est signaculum sacramentorum, quo eum reformauit. Tertium

um μνημόσυνον est vniuersitas creaturæ. Quartum veritas scripturarum. Quintum beneficiorum multitudo. Sextum flagellorum paterna correptio &c: Sed additur: in diebus iuuentutis tuæ, id est, dum viuis & vales, emenda vitam tuam per seriam resipiscentiam, & mandata Dei seruato, hoc enim infert κατὰ πρόληψιν, quòd plerique ad senectutem vsque, emendationem vitæ ac morum differunt, existimantes tunc, cùm peccandi studium sponte sua refrigescit, satis adhuc temporis superesse, quo piè ac continenter viuant, qua de causa et iam iuuentuti, quóad nequitiam suam expleat faciliter ignoscitur. Sed Salomon hîc ait: noli emendationem vitæ prorogare in ingrauescentem vsque ætatem, sed memento creatoris in diebus iuuentutis tuæ id est, maturè memento te à Deo creatum esse non ob aliam causam quàm vt degas

vitam

vitam in pietate & virtute: ac hac ratione Deum celebres. Cogita etiam omnium dictorum tuorum & factorum aliquando coram illius tribunali reddendam esse rationem. Proinde noli sacrificare diabolo florem ætatis, Deo verò ætatem residuam sceleribus ac turpitudine nobilem. Sed corrige vitam dum adhuc iuuenis es, & antequam veniat tempus afflictionis, id est mortis, quæ mentem totam occupat & resipiscentiæ vix memorem esse sinit. Et pertingant anni quibus dicas, non est mihi in istis delectatio. *hoc est, antequam senescas. Senectus enim per se morbus est, etiamsi nihil præterea morborum accedat: Senectus inutilis est rebus gerendis, & senectus per se molesta est. Ac multi anni sunt onus Æthna grauius, nec quisquam illud æquo animo subire paratus est. Hæc mirabilia sunt,*

sed

sed nimium vera. Quare discamus viuere in timore Dei, qui suis parcit & pœnas mitigat. Sciamus & hoc, Deum remittere peccata agentibus pœnitentiam, & temporales pœnas mitigari, & neminem æterna pœna puniri, qui agat pœnitentiam. Illud interea nobis erit præcauendum, ne postquam misericorditer suscepti, clementem & pium Dominum oblatis pœnitentiæ muneribus adorauerimus, redire velimus ad Herodem, neué relicta Ægypto, angelorum iam cibum comedentes, rursum ollas Ægyptias concupiscamus, & iure de nobis prouerbium illud ventiletur, canis reuersus ad vomitum suum, & sus in volutabro luti. Tu ergo qui templum Dei factus es, vide quæso ne per lapsum iterum efficiare spelunca latronum. Veruntamen si contigerit (quoniam naturâ fragiles sumus) vt iterum

& ite-

& iterum siue in iuuenta siue in senecta labamur, semper enitendum erit vt surgamus. Qui citò surgunt, citò & sanantur, iacentium plaga desperabilis est. Iacent autem qui per abrupta vitiorum, præcipites ire cursu irreuocato contendunt. Nos ergo quoties inquinamur, toties ad pœnitentiæ nitrum recurramus, quandoquidem etiam septuagies septies delinquenti venia indulgetur. Sed & si cum hæmorrhoissa peccatorum fluxu diutius contabuimus, cum illa quoq; retrò accedentes, tangamus pœnitentiæ ac fidei manu, Domini fimbriam, & remedij virtutem sentiemus. Quod si vel vndecima hora patrifamilias operam locabimus forsan ab eo non minus lucri, quàm qui primo manè laborare cœperunt, referemus. Nunquam sera pœnitudo est, donec pœnitendi tempus superest. Sed quia donec superfuturum sit ignoramus, cur illam hodie agere cunctamur,

mur, cras fortasse iudicandi? Nulla profectò res est, quæ maiore cum periculo differtur, quoniam nullam aut gnauiter actam, vberior sequitur fructus, aut negligenter omissam grauius damnum, de quibus pergit:

VERS. IIII.

Tantisper cùm non obtenebrescit sol & lux, lunaque ac stellæ, neque recurrunt densæ nubes post pluuiam.

PEriphrasis senectutis allegorica hoc & sequentibus versibus proponitur, ad quam mira verborum emblemata & circumstantias adhibet: quibus lector illectus diutius in considerandis senectutis incommodis immoretur: & maturè dum adhuc floret ætate, ad emendationem vitæ contendat: orationem itaque conuertit Ecclesiastes, ad eum quem admonendum suscepit aitque rationem habeto tuæ salutis, priusquam caligantibus oculis tuis sol

lucidissi-

lucidiſsimus, luna, ſtellæ diſpareant, & lippientibus oculis, deſtillationes aliæ alijs ſuperueniant, id eſt ante ſenectutem, in qua aſpectus totius naturæ hebetior & triſtior eſt. Neq; recurrant denſæ nubes poſt pluuiam. *In iuuentute eſt quædam viciſsitudo gaudij, & redit poſt tempeſtatem ſerenitas, poſt tribulationem lætitia. Senibus autem etiam poſt pluuiam redeunt nubes, hoc eſt, ablato vno malo adeſt aliud, & eſt perpetua conflictatio. Sicut dicitur in querela Homerica:* ὥς μοι δέχεται κακὸν ἐκ κακοῦ αἰεί. *Accedit ad hæc mala, aſtutus & verſipellis Satan, cuius conatus totus eò tendit, vt ſenum ſanctas cogitationes depaſcatur, ac multis valediſsimis huius vitæ impulſionibus vtitur, quibus tanquam ariete quodam ſacroſanctam Dei imaginem, quam in toto vitæ decurſu vehementiſsimè im-*

pugnat

pugnauit, in extrema senecta labefactet atq́ deijciat. Sunt igitur tristißimæ senectutis molestiæ, quam præter morbos infinitos & tabem quotannis recurrentem, etiam multa alia incommoda conficiunt, de quibus sic pergit.

VERS. V.

Quo tempore vacillabunt custodes domus, & incuruabunt se robusti, & cessabunt molitrices, quia diminuentur & caligabunt illæ videntes per fenestras.

SIcut suprà generaliter quodammodo senectutis multa & varia mala nominauit: ita nunc ad sensuum & functionum subiecta digreditur, vt κατὰ ἐνάργειαν, omnibus ea quæ aliâs in confesso sunt subijciat. Est igitur prima ἀρίθμησις externorum subiectorum, quorum vsus maximus est ad conseruandam vitæ vsuram, de quibus inquit,

Quo tempore vacillabunt cuſtodes domus. *Dñs Phillippus Melancthon hoc interpretatur de manibus, quia in ſenecta, nerui, tendines & ligamenta ſunt languidiora ſeu flaccida, & tremiſcunt manus &c: Sed quia corpus noſtrum quaſi quædam domus eſt, poſſunt etiam cuſtodes domus eſſe ſenſus corporis, qui pericula ſua ei præuident & prænunciant. Vel cuſtodes corporis ſunt coſtæ & alia oſſa quæ corpus muniant, & mollia protegunt. Item cuſtodes corporis ſunt δυνάμεις & facultates, vt virtus appetitiua & nutritiua, quarum altera ruinas reparat ſcilicet nutritiua, altera verò vnde reparantur exquirit ſcilicet appetitiua. Hi omnes cuſtodes remouentur, id eſt totaliter mouentur in ſenecta & morte. Et ſanè nullus morbus adeo ſenili ætati familiaris exiſtit, atq; apoplexia, quo-*

niam

niam in ea cerebrum pituitosis repletur superfluitatibus. Et incuruabunt se robusti, hoc est σκέλη, crura & tibiæ sustinentes totum corpus nutant ac fermè labascunt, quòd sint eneruatæ ac omni penè succo exhaustæ. Et fortitudo tribuitur tibijs in psalm. 146. Non in tibijs viri beneplacitum est Domino. Et cessabunt molitrices, id est dentes molares, quibus cibus molitur, qui aut excidunt in senectute, aut atteruntur, vt ampliùs molere non poßint præ paucitate. Extrema senectus est edentula. Et inesse etiam dentibus præsagia credit Aristoteles: Nam quibus rariores fuerint, haud ita diu viuere opinatur. Et caligabunt illæ videntes per fenestras id est oculi qui radios visibiles per pupillam emittunt. Habet enim senectus oculos caligantes, sicut manifestum est in Isahac & Iacob. In senibus

igitur, pupillæ prius ex oculorum cauis veluti fenestris, occurrentia cuncta intuentes, tenebris obducentur.

VERS. VI.

Et claudentur valuæ extrinsecùs, cum exilitate sonitus molitionis, & surget (senex) ad vocem auiculæ, & summissæ fient omnes filiæ cantici.

S*Ecunda* ἀρίθμησις *adiunctorum animi & corporis.* Claudentur valuæ extrinsecus, *hoc est, senectus non longius expatiatur, domi delitescit quasi clausa ianua prodire non liceat. Nam decrepitos inuadens Saturnus implet naturæ suæ malis, frigiditate, pigritia, & tristitia querula.* Cum exilitate sonitus molitionis, *hoc est vox senum non est sonora, sed debilis. Nam senio vltimo iam appetente, vox acuta & tenuis est,* ἀλλὰ τὸ λεπτὸν τοῦ πνεύματος *id est*

id est ex spiritus tenuitate. Sicut econtrà viri robusti, quoniam spiritu valeant, multum aëris incitare queunt, qui cùm multus sit, tardè mouetur, vocemq́ efficit grauiorem. Motu autem veloci & tenui vocem reddi acutam constat. Homerus autem seniores cicadis comparat, quæ animalia sunt planè ὀξύφωνα. *Non possunt clamare & cantare, immo vix trahunt spiritum.* Et surget senex ad vocem auiculæ. *Non solùm grauiter loquuntur, sed vix dimidiam noctis partem dormiunt, maturè & facilè galli cantu excitantur. Quia exiccatis humoribus id quod fit in senibus, deest radix & causa somni. Somnus enim habet suum pabulum ex humoribus. Quare non illud incuriosè transiliuerim, quod Aristotelica lectio magister mutus eâdem de re breuiùs mihi suggerit in præsentia:. Somnum*

non oriri, vbi exiguus est humor ac concoctu difficilis. Et summissæ fiunt omnes filiæ cantici, *id est aures cantionum iudicatrices ingrauescunt, inclinatæ pendent ac fiunt surdæ: Hebraismus est, vt filij mortis. Aures dicuntur* filiæ cantici, *quia versantur & delectantur cantionibus & musicis instrumentis. In senectute autem flaccescunt & obsurdescunt*, id quod *ingens malum est, non posse audire verbum DEI.*

VERS. VII

Etiam ab alto timebunt, & terrores erunt illis in via: & florebit amygdalus, & oneri fiet illi locusta: Et dispergetur appetitus: quoniam abit homo ad domum seculi sui, & circuibunt in in platea plangentes.

Tertia

T*ertia* ἀρίθμησις *incommodorum quæ sunt in senectute.* Etiam ab alto timebunt, *id est caput, pedes & cætera membra superiora,* timebunt *lapsis poplicibus, id est debilitatis iuncturis & oßium ligaturis tempore senectutis* Et timebunt ab alto & terrores erunt illis via, *id est senes semper incedunt more timentium, horrent enim eminentiora saxa & colliculos, omninoq; lento gradu & timidè incedunt, baculoq; sustentantur ne cadant.* Et florebit amygdalus, *id est accedet canicies. Hæc enim canicies est ex inopia & exilitate caloris, omnis enim ætas labitur in frigiditatem. Appositè enim admodum poëtæ per translationem in comœdijs cum morsu ita enunciant, vt* τὰς πολιὰς γήρως εὐρῶτα καὶ πάχνην, id est, *caniciem senectutis situm atq; pruinam vocent. Sumit autem noster Ecclesiastes*

metaphoram canescentis senis ab amygdalo. Nam sicut flores arborum signa sunt instantis æstatis: sic canicies capitis, signum est instantis mortis. Et oneri fiet illi locusta, *id est, sicut locustæ pars inferior tempore senij impinguatur, & insuper suauis & tranquillus incessus, vertitur in saltum: Sic seni venter intumescit humoribus indigestis. Et figura quoq; extantium scapularum, coxæ & spinæ dorsi, incuruæ similis est locustæ. Estq; mera mortis imago.* Et disperdetur appetitus, *id est fastidia sunt & nauseæ, cibi, potus & aliæ voluptates. Quia virtus est languefacta, fit mala concoctio, parum boni sanguinis & spirituum, exigua nutritio, senex nulla re iucunda frui potest, nulla eius iucunda est conuersatio vel colloquium, sed est viuum cadauer.* Quoniam abit homo ad do-

mum

mum seculi sui, *hoc est, nihil restat, nisi quòd homo propediem moriturus, & à propinquis efferendus funere, immo à lamentantibus in platea præficis expectatus. Cogit hæc clausula omnia supradicta intelligenda esse de senectute. Qui igitur exponunt de captiuitate Iudæorum, ipsorum interpretatio nimis est remota.*

VERS. VIII.

Vsq; quo non dissoluitur funis argenteus & excurrit orbis aureus & conteritur hydria super fontem, disrumpiturq; rota ad cisternam.

EPimone adhortationis ad Dei obseruantiam ab internis subiectis & eorum effectis fluxis. Vsq; quo, *id est antequam (supple) memento creatoris tui.* Dissoluitur funis argenteus, *id est, cartilago continens spinalem medullam,*

lam, vocatur autem argenteus funis, eò quòd argenteum colorem habeat post concoctionem. Orbis aureus, *est cor quod est fons & scaturigo omnium virtutum & viuifici caloris.* Hydria *est vasculum fellis.* Fons *est epar, vnde ad omnia membra nutrimentum vitale deriuatur.* Dirrumpitur rota super cisternam. *Rota est superior pars vesicæ, cisterna verò inferior vesicæ pars, quæ continet aquas vrinales, quæ duo instrumenta in morte excrepant, vel per rotã intellige caput à figura rotunda, & per cisternam ipsum ventriculum & intestina, quæ collocata sunt tanq̃ gyri seu orbes, & μεσεντέριον penè speciem rotæ efficit, cui implicita sunt intestina.*

VERS. IX.

Et antequam redeat puluis in terram sicut fuerat, spiritus autem redit ad Deum qui illum dederat.

Allu-

ALludit Salomon ad illud Gen. 3. Terra es & in terram reuertêris. Sic oportet hominem ex puluere factum, in puluerem redigi. Et ſpiritum vitæ, quem Dominus inſpirauit homini, vt eſſet anima viuens (Gen. 2.) ad Deum vnde venit, redire. Hanc mentionem ſenectæ & mortis inſerüit, vt lectores de futuro iudicio commonefaciat, & imprimis vt agnoſcentes iuuentutis commoda & ſenectutis incommoda, in iuuentute DEO ſeruiamus. Neminem quidem repellit Deus etiamſi in ſenectute reſipiſcentem, ſed quia hoc difficile factu videtur, vbi tot perſtrepunt moleſtiarum agmina, ad Eccleſiaſtæ commonefactionem nos componentes, in toto vitæ noſtræ curſu ad Dei timorem, inuocationem & curam rectè faciendi excitemur. Ac imprimis antequam à corpore

ſece-

secedendum est, humilitatem seruemus, pœnitentiam agamus, precibus instemus, fidem, spem, charitatem nullo modo in nobis labascere patiamur. Quia ex fide viuit iustus, & qui sperat in Domino subleuabitur, & qui manet in charitate in Deo manet & Deus in eo. Adhæc ministro verbi cui ligandi, soluendiq; indulta est potestas, confiteamur delicta nostra. Tum demum peccatorum vinculis expediti, submißiùs quàm possumus accedamus ad mensam Domini, & salutarem cibum ore sumentes, cordis hospitio suscipiamus Iesum. Hic enim est panis verus, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. Si quis ex ipso manducauerit, non morietur, sed viuet in æternum. Et quoniam maximè cùm vitæ finis instet, leo ille rugiens modis omnibus ambit nos vt deuoret, si apertè se ostenderit, facilè con-

temni-

temnitur: Sin autem occultè dolis contenderit, ſolerti animi circumſpectione opus erit, vt deprehendatur. Nam (vt ſæpè diximus) angelum lucis interdum malignus aſsimulat, & callidis inductionibus fidem primùm euertere nititur, vt ſubruto fundamento deſtruat in nobis ædificium virtutum. Idcirco Apoſtolus, licet angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod annunciauimus vobis anathema ſit. Quamcunq; igitur verſipellis beſtia formam induerit, in quamcunq; ſpeciem ſe verterit, ſiue angeli, ſiue hominis, in hoc profectò agnoſci poterit, ſi dicto factoué aliquo, ab orthodoxæ fidei veritate per erroris anfractus abducere nos incipiet, ſi ab humilitate ad inanem gloriam fictis laudationibus eligere tentabit, ſi veniæ ſpem terrore iuſtitiæ opprimere conabitur, ſi deniq; mentem
noſtram

nostram terrenarum fragiliumq; rerum recordatione, ab earum cogitatu, quæ cœlestes & æternæ sunt, auocare atq; euertere molietur. Tu igitur qui ex fructibus malis, malam arborem iam nosse potueris vbi patuerint insidiæ, protinus exclama: Discedite à me maligni & ego scrutabor mandata Dei mei. Tum demum ad saluatorem, mente, ore, oculisq; conuersus cordis, illum contemplare, illum ora, illi te committe, totumq; trade & dic: In manus tuas Domine commendo spiritum meum. In ijs verbis frigescentia deficiant labia, & palpitantis pectoris interrupti anhelitus finiantur. In his desinant laboriosa suspiria, ipseq; nouissimus exhaustæ vitalitatis conticescat singultus. Felix illa anima, & plusquam dici queat beata, cui supremum vitæ huius diem, sic tandem claudere contigerit.

VERS.

VERS. X.

Vanitas vanitatum inquit Ecclesiastes, hæc sunt vanitas.

Conclusio totius operis, in qua post descriptionem humanæ fragilitatis, pulchrè quod in exordio libri proposuerat concludit, nimirum quòd omnia quæ sunt sub cœlo, subiecta sint vanitati, qualia sunt quæ hactenus recensuit, vtpote vxor, liberi, diuitiæ, potentia, scientia, sapientia, gaudium, fortitudo, iuuentus, senectus, sanitas, forma, voluptas, ratio &c. vt nihil inuenias, cui tutò fidere possis. Meritò igitur hoc versu & scopo totius libri edocti, reycimus opiniones & fatuitatem vulgi, censentis felicitatem sitam esse in bonis vel corporis vel fortunæ, quæ in oculos incurrunt, vt in valetudine prospera, magnitudine & robore

corpo-

corporis, in authoritate & nobilitate
generis, diuitijs, voluptatibus, liberta-
te & alijs, quæ ad huius vitæ splendo-
rem, gloriam, ordinationem persona-
rum & officiorum dignitatem, deli-
tiasq́ reperiuntur. Talia enim qui ad-
mirantur vt felicitatem præcipuam, ali-
osq́; qui bonis istiusmodi carent, infeli-
ces esse statuunt & contemnunt, verè
sunt κεχυνότες hiantes & stulti, vt Ari-
stophanes vocat admiratores rerum ex-
ternarum, quas, cùm totus homo nil
nisi sit bulla ἐφήμερος καὶ σκιᾶς ὄναρ,
vna dies, vna hora, ac sæpè momentum
vnum tollere potest vt dicitur: Quem
dies vidit fugiens superbum: Hunc
dies vidit veniens tacentem. Et con-
stat æterna sancitum esse lege, vt in
humanis nihil sit æternum. Quare sa-
nè is demum, vitam æqua lance pensi-
tabit, qui semper memor fragilitatis hu-

manæ fuerit, ac imprimis vanitatem vanißimam esse totum mundum cum splendore suo. Est quidem honestum & pium, agnoscere & admirari dona Dei etiam externa, valetudinem, opes, generis præstantiam, authoritatem & successum in rebus, & omnino distinctio & reuerentia graduum & ordinum siue statuum in vita habenda & præstanda est: Sed tamen illi qui alijs superiores, fortiores, ditiores & feliciores sunt, nec inflari debent prærogatiuâ caducâ & fragili, nec alios præ se contemnere, nec quicquam sibi arrogare. De fortunæ autem inconstantia loqui possunt omnes & singuli, quicunq; casus humanos quotidie considerant. Sesostris Rex Ægypti, audit hanc vocem à capto Rege, qui aureum ipsius currum, tribus alijs Regibus adiunctus trahebat, fortunam rotæ comparari meri-

tò, in qua summa nunc fiant infima, & ima vicissim summa. Seuerus exclamat, omnia fui, & nihil mihi prodest. Ac profectò pulcherrimi & verissimi sunt versus Gersonis Theologi olim Parisiensis.

Vidi ego vesicam modico turgescere flatu,
Quæ pisis sonuit quatuor impositis:
Hunc puer vnus acu tetigit, displosa repentè
Vilis & absq; sono, flaccida detumuit.

De hominum fauore & gratia, quàm sit inconstans & mutabilis, testari potest cuiusq; experientia, sed de morte, quàm hæc sit certa, & certo momento nobis ignoto, nos obruat & animam à corpore soluat sæpiùs dictum est. Quare summum hominis bonum est,

esse

esse membrum veræ Ecclesiæ Christi, agnoscere, inuocare & celebrare patrem Domini nostri Iesu Christi, habere remißionem peccatorum, per & propter filium, donari & regi spiritu sancto, & in silentio & spe, siue in patientia poßidere animam suam, atq; ita expectare migrationem ex hac vita, in vitam & beatitudinem æternam ac cœlestem.

VERS. XI.

Quamobrem potiùs, cùm fuerit Ecclesiastes sapiens, docuerit præterea scientiam populum, & auscultare fecerit, scrutatusq; concinnauerit parabolas multas.

Προκατάληψις *ne quis vita Salomonis offensus, minùs tribuat libris ab excellentißimo hoc Rege editis, quos igitur commendat primùm à sapientia. Nam cùm ipse fuerit sapientißimus, ad cuius nimirum sapientiam audi-*

endam ab vltimis terrarum angulis plurimi confluebant, certè non possunt non libri esse doctissimi & sapientiæ documentis refertissimi. Est igitur hæc prima causa, cur doctrina ipsius sit recipienda, quòd sapientia fuerit imbutus à Deo. Sed addit: Præterea docuerit scientiam populum. *Alterum sapientiæ Encomion, quòd sapientiam diuinitùs concessam non domi presserit aut sterilem reliquerit, nec tanquam partum in vtero eam suffocauerit, sed in lucem ediderit, deriuaritq́ fontes suos foras, & aquas suas diuiserit. Salomon non fuit* κωφὸν πρόσωπον, *sicuti pleriq́ dynastæ pisce magis muti sunt, neque ad crocitandum (quod vulgò aiunt) neq́ ad oua ponenda idonei, sed tantùm per consiliarios omnia peragunt. Quomodo Sigismundus Imperator in synodo Constantiensi, cum*

mœrore

mœrore dicebat ſeſe erubeſcere, propter ignorantiam principum electorum, qui latinas literas neq́ legere neq́ intelligere poſſent. Verùm Salomon concionator erat & populum rectè erudiebat. Principis enim eſt, non ſolùm gladium ſtringendo, ac pœnam irrogando, populum in officio continere: ſed multò magis docendo ac monendo regere ſubditos. Nam gladius ſine doctrina, idem eſt quod lex ſine Euangelio. Ad hæc ſcrutatus concinnauit parabolas multas. *De his parabolis legite 4. caput 2. Melachim. Loquutus quoq́ eſt tria millia parabolarum: & fuerunt cantica eius quinq́ & mille. Et ſanè vocabulo parabolæ, non aliud intelligemus, quàm pulcherrima dicta & ſententias præclaras, de rebus in hominum vita vel expetendis vel fugiendis: aut de natura Dei ac eius voluntate. Habemus*

mus quidem librum prouerbiorum, in quo tot verſus vtiq; non ſunt: Sed tantùm, vt Hebræi annotarunt, nongenti & quindecim, nec ſemper vno verſu plena & integra ſententia comprehenditur. Scribunt nonnulli ſingulos verſus eius libri, ſenſus multiplices comprehendere: Deinde librum volunt COHELETZ ſiue Ecclesiaſten, quem iam ferè explicauimus, conſtatq; ducentis viginti duobus verſibus, ad has parabolas attinere: Verùm ſit vt velint & iudicant, adhuc multum abſumus ab illo numero. Cantica eius fuêre quinq; & mille, non autem quinquies mille vt in græca & latina editione legitur. Fuerunt autem cantica hæc, vt arbitror diuina poëmata. Plato ſcribit in Lyſide, poëtas fuiſſe veteribus inſtar patrum & ducum ſapientiæ. Nec ignoramus odas & hymnos,

nos,

nos, quales Horatius, Pindarus & Orpheus cecinerunt, fuisse carmina cùm dulcia tum sapienter conscripta. Quò etiam spectant ἐπιθαλάμια. Sed Salomonis cantica nulla extant, præter illud excellentissimum, quod canticum canticorum inscribitur. Habet autem hoc centum decem & septem versus. Agitur ibi de Christi & Ecclesiæ copula, & summum bonum esse ostenditur, ut mente maneamus cum Deo quàm coniunctissimi & amores dulcissimi conscribuntur, quì consueuerint in hominibus Deo cognito excitari. Ex istis lucubrationibus declaratur, Salomonem ociosum non fuisse, quando vacuus erat à Reipub. curis. Amissa porrò sunt multa eius præclara monumenta, sed prouidentia DEI multa etiam conseruata, & ea præsertim quæ maximæ sunt utilitatis, & plurimum

ad erudiendos homines conducunt. Pro his doctrinarum monumentis agamus Deo gratias, & ex illis ad conſideratio- nem variarum rerum ac imprimis ad Dei timorem exuſcitari nos decet.

VERS. XII.

Quæſiuerit Eccleſiaſtes aſſequi verba delectabilia, & ſingula ſcripta rectè, verba fidelia.

ALia commendatio ſcriptorum Ec- cleſiaſtæ à rectè docendi & ſcri- bendi ſcientia. Salomon doctrinarum ſtudia non inuoluebat obſcuritate, ſicut ſolent illi imitatores, qui cùm non rectè intelligant, neq; rectè docent. Signum ſcientis eſt poſſe rectè docere ait Ariſto- teles. Et Demoſthenes interrogatus, quomodo quis rectè diceret: Reſpondit: Si nihil diceret, niſi quòd benè ſciret. Sed ſingulare Encomion eſt Salomonis qui curauit, ne quid in publicum emittere-

*tur, nisi quod verum, rectum ac vtile es-
set, ita vt nemo non possit ex illius libro
intelligere quid cogitare, quid conari,
quid facere debeat vel omittere. Si igi-
tur præclarum est, quod à præclaris pro-
dijt, aut si laude dignissimum videri de-
bet, quod à summis viris commendatur,
audiuimus quantùm sapientissimus Sa-
lomon, Rex & Ecclesiastes, doctrinam
suam commendet. Huius igitur salu-
berrimas admonitiones apprehenda-
mus, quantùm maximè possumus, ne
quando irascatur Dominus & perea-
mus de via iusta. Nam hæc vnica con-
stans & vera sapientia est, quam æter-
nus Deus nobis per amplissimos vates,
sanctos oratores, & clarissimos Reges,
Dauidem, Salomonem aliosq; quasi
per manus tradidit. Nam si ad hanc
diuinam sapientiam respicias, certè
quicquid est eruditionis humanæ ac ter-*

 renæ

renæ sapientiæ euanidum profectò ac momentaneum est, immo omnia huius respectu muta sunt somnia & vana rerum simulachra. Et verè nihil aliud quàm vasa papyri super aquas missa. Ac postremò nec aliud quàm exuberans luxuries sine fructu foliorum. Fuerit Socrates oraculo Apollinis sapiens iudicatus. Fuerit Plato numen philosophorum, & Aristoteles flumen aureum dictus Ciceroni. At his Salomonis parabolis, si conferantur illorum omnium monumenta, multò ampliùs quàm apud nos sunt pecudes, ipsi, animalia muta fuisse deprehendentur. Nec metuo ne quis me putet nimis indignè de tantis philosophis iam loqui, si modò illud cogitet, quòd beatus Dauid: quum semetipsum ad diuinam hanc sapientiam libraret: dicere non dubitauit: vt iumentum factus sum apud te. Si Dauid adhuc

uid adhuc iumentum sibi videbatur, qui in diuino sapientiæ studio tantos progressus fecerat? quid ergo mirum, si viliores iumentis eos fuisse dicamus, qui Dei scientiam penitus ignorarunt? Ac sanè si excutiamus omnium philosophorum bibliothecas, nihil profectò inuenies doctrinæ Salomonis vel Dauidis par, nedum eam excellens? Esto, contineant multa de virtute, de iusticia, de honestate, multa etiam contra vitia grauiter & constanter edisserant. Sed quorsum hæc vel quo tendunt? Nihil eorum certè propter diuinitatis cultum, aut futuræ beatitudinis spem suscipi oportere ostendunt, sed omnia ad præsentis vitæ felicitatem, ipsi, præcepta disputationesq́; suas referunt. Annon ipse omnium istorum acutissimus Aristoteles, summum hominis bonum ex corporis, ex fortunæ & animi

bonis

bonis simul constituit? Vnde satis apparet, illum, felicitatem in hac vita posuisse, quod palàm deprehenditur in primo Ethicorum: Vbi contra Solonis sententiam: quâ ille vetuit quemquam ante obitum dici beatum, eos, qui è vita hac discesserint, negat apertè felices esse posse, eò quòd εὐδαιμονία & felicitas sit operatio per virtutem in vita præsenti. Quæ satis euidens ratio est: omnia honestatis & virtutis præcepta philosophorum: ad gloriam & potentiam huius breuissimæ vitæ augendam duntaxat spectare. Nihil ampliùs etiam effecturam se promittit ipsa ciuilis prudentia, quàm vt genus humanum ad præsentis commoda, vanitatesq́; vitæ dirigat ac moderetur. At contrà libri Salomonis, non de fragili & momentaneo, sed de summo immortaliq́; bono, cuius ne leuissima quædam aura ad istos

ad istos gentilium philosophos vnquam peruenit, diuinitùs loquitur, illudq́ per fidem in vnigenitum Dei filium & eius merita, nos adepturos nusquam dubia voce promittit. Addamus quòd apud philosophos, multa habentur inania & friuola, immo sacrilega & impia, præsertim de Deo loquentes: magnum nescio quid præstare se posse putant. Si aut mundum, aut solem ac lunam, stellasq́ reliquas, aut (quod his stultiùs) quòd vnum aliquod ex quatuor elementis, Deum esse affirment, aut fortunam cum copia pedissequa, atq́ adeo febrem quoq́, cuius vetustissima Romæ ara in palatio fuit, diuinitati consecrent. Illud quis non miretur? Athenas eruditissimam vrbem Græciæ, CONTVMELIÆ & IMPVDENTIÆ quoq́ inter DEOS suos, locum aßignasse olim:
Nonnulli

Nonnulli etsi paulò rectiùs, de Deo sunt opinati: tamen partim neq; amore illum generis humani, neq; precibus moueri dixerunt, partim etiam prouidentiâ scelestis opinionibus suis spoliauerunt, in qua hæresi, ipsum etiam Aristotelem fuisse (tam grauem alioqui philosophum) testes sunt Origenes, Ambrosius, Eusebius, Lactantius, & nos eadem perspicuè suo loco ostendimus. Nobis itaq; si nos aliquando vel poëticæ fabulositatis, vel mundanæ sapientiæ libros euoluere cupido incesserit, enitendum erit, vt inutili delectatione penitus seclusa, id solùm exquiratur, quod piæ institutionis disciplinam iuuare possit. Itaq; secernenda erit à voluptate continentia, à lasciuia honestas, ab omni vitio virtus. Zizania paleæq; leues in fasciculos colligendæ ad comburendum, triticum verò in horreum ad

salubrioris vitæ vsum recondendum. Neq́ tamen his contenti, Domini nostri sermones & sanctorum prophetarum oracula, in quibus perfectæ consumatæq́ iusticiæ certissima documenta sunt, die vllo vel legere vel audire prætermittamus. Quoties enim ab ijs discedimus, toties periclitamur, ne in sempiternæ perditionis barathrum corruamus. Horrent verba, iacet oratio, sed si maturè discutiantur, nihil est eorum præstantia sublimiùs, authoritate grauiùs, traditione veriùs, præceptione iustiùs, sensu suauiùs, pollicitatione feliciùs? Abest quidem nimis compti eloquij lenocinium, & elaboratæ dictionis ornatus, quoniam sua synceritate satis nitida veritas, non indigeat fuco alieno. Et quòd æquè ad omnes pertinebat, communi sermone, triuialibusq́ verbis exponendum fuit. Alioquin

alij

alij non intelligerent, alijs autem dare-
tur calumniæ locus, quâ credentium
numerum argutæ potius facundiæ,
quàm rectæ fidei adscribere conarentur.

VERS. XIII.

Verba sapientum sunt similia acu-
leis, & similia clauis infixis ad caulas,
tradita à pastore eodem.

ALiud Encomion sanæ doctrinæ
à gemino eius vsu, quorum pri-
mus est, vt stimulis agantur pij, & à
sua naturali segnitie ad officium inci-
tentur. Est igitur scriptura lucerna pe-
dum nostrorum & lumen semitis no-
stris. Hæc scriptura sola, terrenam
infantiam abigit, & perducit in vi-
rum perfectum, facitque ambulare per
vias prudentiæ. Hæc velut quidam
Domini sanctus angelus, descendens in
caminum

caminum ardentis ignis, excutit omnes malarum cupiditatum æstuantes ardores, mortifera pectoris nostri incendia in modum lenis roris refrigerans. Hic est ille Dei sermo viuus & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti. Hac excepta, quæcunq; alia scriptura palea est, quid paleis ad triticum? Dicit Dominus per Hieremiam: Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petram? Huius scripturæ fermentum id est notitia (vt interpretatur Hieronymus) in tria farinæ sata absconditum, spiritum, animam corpus in vnum redigit, ne discrepent inter se, vt cùm duo aut tres conuenerint, à patre impetrent quodcunq; postulauerint. Scriptura hæc verbum crucis est, quòd stulticia est pereuntibus, his autem qui salui fiunt virtus Dei. Hæc habet spiritum viuifican-

uificantem. Hæc ſuos amatores efficit nubes volantes, quæ pluunt imbrem iuſticiæ ſuper terram. Legendo & perſcrutando diligentiùs hanc ſcripturam, transformamur paulatim in ſpiritum illius, in ſpiritum inquam intelligentiæ ſanctum, vnicum, ſubtilem, diſertum, nobilem, incoinquinatum, certum, ſuauem, amantem, bonum, qui pleniùs deſcribitur Sap. 7. Sed quotuſquiſq; ſupercœleſtis huius doctrinæ profeſſor, hanc ſacram ſcripturam nunc ſtudioſè legit? Eloquar an ſileam potius? Quot putatis eſſe ô iuuenes animarum paſtores & de Eccleſiæ reditibus ſatis locupletes, qui toto vitæ curriculo, ſacra biblia vix ſemel euoluunt, imò vix inſpiciunt? qui vt lectioni ſcripturarum potiùs quàm poſtillis & humanis gloſſis incumbant, non tam ipſa vtilitate, quàm ſanctorum exemplis commonendi ſunt.

sunt. Basilius ille magnus, cùm primitus mundanæ philosophiæ studijs plurimùm delectaretur, sed vbi scientiæ huius spiritualis dulcedinem gustare cœpit, sunt qui eum dicant panis & vini vsum sibi interdixisse, donec mysteriorum intelligentiam pleniùs perciperet. Parum erat sapientiam humanam diuinæ postposuisse, sed & duo præcipua vitæ humanæ sustentamenta panem & vinum à se abdicauit, dum cibos colligit vitæ æternæ. Sic diuus Hieronymus vanitatem huius mundi fugiens. Roma relicta Ierosolymam petijt, & cùm nec adhuc se tenere posset, quin gentilium libros præcipuéq; Ciceronis auidiùs legeret, fatetur in quiete sibi visum fuisse, se ad supremi iudicis tribunal in cœlum trahi, accusari, verberibus affici, quòd Ciceronianum dicerent esse, non christianum. Deniq; cum iuramento demissum,

 ne vnq̃

ne vnquam posthac alios præterquàm diuinos codices præ manibus haberet. Tanto deinde studio, legisse diuina, quanto antea mortalia non legerat, itaq; latentium sub velamento mysteriorum dulcore iam pleniùs exhausto, exclamauit dicens: quæ pars fideli cum infideli, quis consensus CHristo cum Belial? Quid facit cum Psalterio Horatius? cum Euangelistis Maro? cum Apostolis Cicero? Possem similia de Augustino, Aquinate & alijs dicere &c: Ac soleo subinde adhortationem Dñi Philippi Melancthonis ad legendum sacra Biblia repetere, in qua & hanc lectionem ferè concludam. Sæpe vos hortamur omnes (inquit) vt faciatis vobis familiarem textum Bibliorum, quando manè surgitis, cùm dicturi estis precationem: legite vnum caput ex veteri Testamento, vesperi vnum ex nouo,

siue intelligatis siue non intelligatis, tamen aliquid inde discetis, & proderit vobis illa lectio. Eâ enim accenditur inuocatio, & est valde bestiale, surgere siue ire cubitum sine cogitatione rerum diuinarum. Videtis puniri mundum propter securitatem, & nos omnet vrgeri pœnis, quas vt leniat filius Dei, toto pectore oremus. Atq; hæc de primo vsu scripturarum. Secundus verò est, vt pij ad officium adducti in eo contineantur, circumclusi certis velut repagulis verbi Dei in Ecclesia eius. Atq; hæc de vsu sanæ doctrinæ, quæ non separat, diuidit aut seiungit, sed vnit credentes, sicut claui vniunt asseres.

VERS. XIIII.

Potiùs inquam ex istis fili mi, admonitus esto, faciendi libros multos nullus est finis, & lectio multorum fatigationi est carni.

CONcluſio vltimæ προτροπῆς contra nimiam πολυπραγμοσύνην & inutilem perſcrutationem librorum cuiuſlibet hominis. Nam ſcribendorum, inquit, librorum nullus eſt modus. Multi enim ſunt, qui etſi ſcholam vix à primo limine ſalutarint: tamen quod dormientes ſomniarunt, de eo librum ſcripturire illos videas. Refert in Phædro Plato, dæmonem fuiſſe, alij autem quod eſt magis conſentaneum, virum ſapientem, qui ad Thamum Ægypti Regem acceſſerit, eiq́ue quatuor ſua inuenta obtulerit, numerum ſcilecet, Geometriam, ludum talorum & literas. Cumq́ue ad literarum laudem veniſſet, prædicauit eas maximum ſubſidium memoriæ eſſe, nec non augumentum ſapientiæ non pœnitendum. Rex ijs examinatis quæ-

dam

dam probabat, quædam verò non item. Cùm autem literas ipsas consideraret, ait: se contraria de his nunciare. Non enim literæ memoriam iuuant, vt prædicas, verùm potiùs eam euertunt. Etenim homines cum literis mandauerint, quæ audiuerunt aut inuenerant, solliciti ampliùs non sunt de illis animo euoluendis, ac frequenter apud se repetendis. Quódsi literæ non extarent, res inuentas & cognitas frequenter cogitarent, & subinde in eis magis ac magis acuerentur. Præterea quò ad augmentum sapientiæ, contemnent posthac inquit, homines suos præceptores sese conuertentes ad scriptos libros, qui sæpiùs lecti idem subinde respondebunt. Hæc fuit Regis Ægypti sententia quæ nulli prudenti per omnia probatur.

Nam libros affirmo esse magnæ vtilitatis, alioquin Deus hominibus non dedisset scripturas. Attamen ille Rex videtur aliquid dixisse. Quia si librorum non sit modus officient. Quare media quadam via oportet incedere. De Socrate profectò & Pythagora traditur, eos nihil scripsisse, discipulos verò eorum postea nonnulla edidisse. Quin & ipse Christus libros minimè conscripsit, cuius Apostoli literis consignarunt conciones, gesta & miracula. Quin & ex hoc loco apparet, librum hunc à Salomone non esse scriptum, sed per sapientes eius, prout ex ore eius exceperant, digestum in annales. Sed hoc imprimis verum, Salomonem non simpliciter damnare hoc in loco, vtiles ac salutares hominum labores, quales multos hoc nostrum seculum vidit hominum doctißimorum, qui non parum posteritati

tati nostræ prodesse possunt. Ac prudenter sanè Demetrius Phaleræus Ptolomæum Regem monebat, vt ea quæ de regno, literarum monumentis tradita essent, emeret & euolueret. Nam quibus de rebus amici Reges admonere non auderent, ea editis libris contineri. Vtiles igitur libros non damnat & reÿcit. Sed monet, vt accuratè & cum iudicio legamus libos aliorum, maximeque requirit, vt hunc legamus librum: in quo habes omnia quæ ad doctrinam christianam pertinent, nempe legem, hoc est, doctrinas quæ te humiliant, Euangelium quod rursum subleuat, itemque & regulas morum ac vitæ. Præterea additæ sunt plurimæ & consolationes & comminationes. Sed ante omnia damnat studium Sophistices, quod quàm pestilens & contagiosum sit malum in Ecclesijs ac Rebuspub. ambitiosis certamini-

minibus & clandestinis odijs refertum, tristis experientia extremo cum detrimento omnium rerum hodie testatur. Et sanè nihil est Rebusp. perniciosius, quàm librum mendacijs & calumnijs scatentem euulgare, id quod paßim multi factitant, farragines & plaustra conuitiorum alijs obtrudentes, in quibus legendis nihil aliud consequêris quàm quod animum inexplicabilibus curis repleant, & temporis iacturam adferant.

VERS. XV.

Summa rei est his omnibus auditis, Deum ipsum reuerere & præcepta eius obserua, quia hoc est totum hominis.

EPilogus continens summam totius doctrinæ christianæ, ac eius finem & vsum, vt singuli ac omnes, magistri nimirum ac discipuli, magni & parui, docti & indocti referant omnia consilia

& omnes

& omnes actiones ad hunc finem, vt Deo præstent obedientiam & eum celebrent. Hunc itaq; dum licet, & dum res tempusq; suppetit vrgeamus. Non declinemus neq; ad dexteram neq; ad sinistram, non pes titubet, non mens vacillet, constanti fide, spe firma, forti magnoq; animo viam salutis ingrediamur, modicum laborabimus, multū metemus. Accipiemus enim (sicut scriptum est) regnum decoris & diadema speciei de manu Domini Dei nostri. Ipse dextera sua teget nos, & in brachio sancto suo nos defendet. Ipse ponet consolationem lugentibus, Sion dabit coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Ipse euehet nos super altitudines terræ, in hæreditatem inæstimabilium diuitiarū regniq; cœlestis. Ibi erit vt (vt Esaias ait) mensis ex mense, sabbathum ex

sabba-

sabbatho, nullus deniq; finis, nulla vnquam discessio erit gloriæ beatorum. Non cesset igitur manus nostra operando, lingua orando, oculi vigilando, mens contemplando. Contemnamus fluxa mundi, renunciemus voluptatibus, paruipendamus honores, nihil terrenum concupiscamus, nihil nisi quod naturæ necessitas exigit habeamus. Non efferamur prosperis, nec frangamur aduersis Irrisorum cauillationes, inuidorum morsus, maleuolorum odia, superborum contumelias, indignantium minas, furentium verbera, omnisq; generis offensas atq; iniurias æquo toleremus animo. Diligendo quidem illos qui nobis infesti sunt, & pro persecutoribus nostris deprecando, nec malum pro malo, sed potiùs bonum reddendo, paruus breuisq; omnis labor est, si propositæ nobis mercedis immensitas, æternitasq; pensetur.

ſetur. Sint igitur hæc ampliſſima verba in conſpectu noſtro, noctes dieſq́: DEUM IPSUM REVERERE, ET PRÆCEPTA EIUS OBSERVA: QUIA HOC EST TOTUM HOMINIS. Scilicet, quo ſe homo occupare debet, & ſine quo totus homo nihil aliud eſt niſi mera vanitas. Nec mirum, quum omiſſa luce Chriſti, tenebras conſectemur huius mundi & vanitatem vaniſſimam. Quiſnám illud iure miretur, ſi veſtigia pedum eius ſubuertuntur, qui à lucerna præeunte toto (quod aiunt) cœlo, ambulat auerſus? Quomodo quis poſſit quæſo proſperum nauigando curſum tenere, qui ſtellam curſus ſui ducem in cæcis profundi fluctibus grauetur aſpicere? aut qui putemus valetudinarium hominem poſſe ſanitati cõmodè reſtitui, quem videamus

omnia

omnia præsidia recreandæ sanitatis aspernari? Quod ne mortales quiq; committerent, & præsidia salutis æternæ fastidiosè contemnerent, ad hanc summam refert conciones in hoc libro, quæ quidem & summa est vniuersæ doctrinæ in Ecclesia, iuxta dicta: Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud. Item, Beati immaculati, qui ambulant in lege Domini. O terq; quaterq; beati, qui hoc lacteo nectare aßiduè potantur, id est qui hæc verba indefatigato studio ruminant: DEVM REVERERE, ET MANDATA EIVS OBSERVA: Nam illi certiore cum fiducia dicere possunt, quàm Trismegistus iste Hermes, de quo narrat Chalcidius, moribundum illum astantes, his verbis allocutum: Hactenus filij pulsus à patria, vixi peregrinus & exul, nunc verò incolumis patriam repe-

repeto, cumque post paululum temporis, solutis corporis vinculis à vobis discessero, nequaquam me tanquam mortuum lugeatis, nam ad illam optimam beatamq́ ciuitatem regredior, ad quam vniuersi ciues, per mortis corruptionem venturi sunt. Ibi namq́ DEVS solus est, summus princeps, qui ciues suos replet suauitate mirifica.

VERS. XVI.

DEVS enim adducet omne opus in iudicium, super omni occulto, siue bonum sit siue malum,

CAusam ostendit, quare Deum reuereri & obseruare mandata eius debeat omnis homo, sumptam à generali iudicio & discussione omnium factorum. In quo iudicio nihil cogitat, nihilque agit vllus mortalium siue

occultè ſiue palàm, ſiue bene ſiue malè iſtud fiat, cuius rationem DEVS quidem ille opt: max: apud ſuum tribunal non repoſcat, ſinguli verò ſuo tempore non ſint reddituri. Huius iudicij admonet 'εις ἐπ'ωληξιν id eſt ad terrorem illorum, qui omnia alia contemnunt, nec verbis nec minis mouentur. Hi enim Deo relinquendi ſunt. Nos autem per Eccleſiaſten edocti timeamus DEVM & mandata eius cuſtodiamus omni noſtra contentione & ſtudio. Summa enim ſalutis noſtræ in miſericordijs Domini ac benignitate iudicis repoſita eſt. Interim autem quia peccauimus tibi Domine, multumq́; deliquimus, miſerere noſtri ſecundum magnam miſericordiam tuam, & ſecundũ multitudinem miſericordiarum tuarum, dele iniquitates noſtras. Da vt nunc ploremus ingratitudinem noſtram,

ſtram, ne tunc confundamur, vt nunc lugeamus, ne tunc ſemper lugendi cauſam habeamus. Remitte facinora clementiſsime domine, & præſta veniam, quia beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Remitte illa precamur in præſenti, ne imputentur in futuro. Cùm etiam cœli (vt Eſaias inquit) ſicut fumus liqueſcent, & terra ſicut veſtimentum atteretur, & habitatores eius ſicut hæc interibunt. Cumq́; & illa euenient, quæ ipſe per Ezechielem minatus eſt dicens: In igne iræ meæ locutus ſum, quia in die illa erit commotio magna ſuper terram Iſrael, & commouebuntur à facie mea piſces maris, & volucres cœli, & beſtiæ agri, & omne reptile quod mouetur ſuper humum, cunctiq́ homines qui ſunt ſuper

faciem terræ, & subuertentur montes & cadent sepes, & omnis murus corruet in terram. Inter hæc tam terrifica esto refugium nostrum, redemptor noster, ne metu concussis, fides titubet, spes deficiat, charitas languescat. Commoueantur bestiæ & homines qui te ignorant, & montes & muri subuertantur, non commoueamur nos, neq; subuertamur, neq; à te vsquam discedamus, neq; vi vlla separemur &c.

Sed ante hoc iudicium DEI generale, dum gemimus in hoc mundo sub onere, si interim nos DEVS flagellis iudicat ob delicta nostra, meminerimus omnes inquietudines, omnemq; laborem ad illum finem indeclinabiliter tendere, in quo sempiternæ quietis initium est. Quare veluti lucri auidus

negociator, qui naui merces vehit, ventorum turbinem sustinet, procellarumq́ & aëris intemperiem tolerat, fluctibus iactatur, sentinæ fœtore torquetur, nausea contabescit, & commotis intestinis, algenteq́ stomacho, ipsa penè viscera euomit & eructat, & tamen grandem facturus quæstum, omnia turbulentæ nauigationis fastidia æquo animo fert: Sic se habet, qui præsentis huius vanißimi mundi pœnas, futuræ beatitudinis lucro sustentat, & quicquid DEVS aut fortunarum iniquæ vices imposuerint, patiendo gaudet magis quàm tristatur & exhorrescit, seq́ ipsum erigens. Quare (inquit) tristis es anima mea? & quare conturbas me? Spera in DEO, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei & DEVS meus. Et

ad Dominum conuersus deprecatur: Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo, me expectant iusti donec retribuas mihi. Ac postremò si hoc difficile factu videtur, saltem caueamus ne illis pœnis obnoxij simus, quarum nullus finis est, nulla requies, nullum leuamen, quas deniq́ cogitare nedum pati horror ac pœna est. 18. April. Anno 1588.

Finis.

SOLI DEO GLORIA.



CVM

CVM PROPTER OCCV-
pationes, rerum huius libri indicem ne-
quaq̃ concinnare liceret, saltem catalo-
gum nominum memorabilium, quo-
rum hîc fit mentio repræsentare
volui I. O. S.

A

Aaron 105. 634. 671. (253. 485. 501.
Abraham 109 729. 742. 883. 164. 250.
Absalon 202. 154. Abdias 154.
Abbas Vrspergensis 311.
Abel 340. 360. 698.
Abdadus Sarracenus 536.
Abiron 613. Abiudus 634.
Achab 307. 756. 771.
Achitophel 186. Achilles 338. 721.
Adrianus secundus pontifex 453.
Adam 641. 692.
Adolphus Slesuigæ Dux 324.
Adonidis hortus 648.
Æschylus poeta 131. 134.
Ægyptus 893. Æmilianus 359.
Æsculapius 320. 383. 715.
Ælianus 373. 374.

Aglaus rusticus 209. 367. Agar 255.
Agapetus de officio principis 307. 308.
Aglaophemus 383. Agnes 429.
Agamemnon 572. 723. 767.
Agacicles Rex Lacedæmoniorum 623.
Agathon 830. Aiax 339. 579.
Alexander magnus 66. 80. 132. 178.
214. 215. 307. 344. 392. 393. 415. 421.
523. 534. 545. 759. 179. 197. 209.
325. 873. 563. 564. 574.
Alcæus Lyricus 134.
Albertus imperator 579. 580. 579. 582.
Alboinus 478. 479.
Alexander papa 556.
Alphonsus Rex Arragonum 813.
Alphonsus Rex Neapolitanus 816.
Amasis Rex Ægyptiorum 182. 680.
Ammianus 154. 628.
Amos Propheta 401.
Aman 799. Ambrosius 935.
Andromache 17. 202.
Anaxagoras 23. 375. 666.
Anaximander 47. 867.
Antonius apud Ciceron: 40. 229. 810.
Antisthenes 71. Antoninus 81.
Antonius pius 364. 616. 565.
Antio

Antiochus Magnus 131. 326. 664. 686.
Androcidis epistola 132.
Anacreon Lyricus 134.
Antigona 271.
Anna Augusti coniunx 314.
Ananias 375. 451. 555.
Anabaptistæ 672.
Anastasius 752.
Anyti proditio 795.
Apicij gula 142.
Apollonius Tianæus 109. 771.
Apollonius in Argonautica 125.
Apollo 179. 209. 320. 367. 620.
Apollonius Molo Rhetor 809.
Apuleius 528.
Archilochus poeta 24. 805 179.
Archimedes 30. 753.
Aristoteles 36. 43. 44. 45. 46. 56. 71. 75. 76. 82. 109. 114. 121. 123. 151. 162 207. 225. 235. 375. 297. 325. 415. 437. 442. 472. 474. 509. 672. 729. 780. 783. 784 802. 818. 823. 867.
Aristippus 71. 747.
Ariston vicarius Antiochi Magni 132.
Aristophanes 134. 361. 795. 808.

Aristonymi comparatio 154.
Artaxerses 190.
Aristides 475. 768.
Arnulphus imperator Germaniæ
(494. 586.
Arrius 644.
Areopagitæ 581. Astyanax 201.
Asaph propheta 536.
Assyrij 792. Astyages 799.
Athanasius 362. 776.
Athenodorus philosophus 553.
Atlas 345. Attyla 790.
Athenæus 131. 433.
Augustinus 94. 114. 198. 259. 264.
512. 535. 728. 940.
Augustus Cæsar 142. 183. 305. 553.
575. 715. 409. 809.
Augustus Saxoniæ elector 314.
Augustulus 409. Auicenna 258.
Aurelianus 608.

B.

Babylas 429. Bacchus 70.
Baptista Camposulgosus dux Genuensis 482. Baptista 689.
Basilius Magnus 55. 50. 773. 774.
775. 938.

Baro de Palma obſeſſus in altpuren 581.
Bel 254. Bernhard: 371. 587.
Bethſabee 424.
Benedictus monachus 452.
Beniamin 567. Beda 591.
Beroſus hiſtoricus 178.
Belizarius belli imperator 746.
Bileam 109. Belial 940.
Bias 832. Booz 254.
Boetius 620. Brutus 651.
Brennus dux Gallorum 373. 374.

C.

Carolus Magnus 393. 394. 408. 413.
416. 431. 432. 445. 591. 592.
Carolus IV. 417. 732.
Carolus V. imperator 313.
Cambyſes 307.
Cato Romanus 128. 364. 644.
Carolus dux Burgundiæ 273. 566.
Calliſtratus 223. Cabrias 360.
Caius imperator 326.
Cain 365. Catilina 809.
Caſsius Seuerus 806. 92[illegible].
Capitolinus hiſtoricus 364.
Cæſar 74. 187. 616. 564.

Cerberus 724. Ceres 70.
Christianus quartus. 313.
Christianus tertius 495.
Christopherus Vualchendorpius 875.
Chiron 97. Chilo 236.
Chaleb 245. Chrysanthus 270.
Christiernus secundus captiuus 313. 618.
Chares 360.
Childericus Rex Galliæ 364. 399.
Chrysippus 375. 581.
Charthusiani 452.
Chartilaus Lacedæmoniorum rex 553.
Chrysostomus 775.
Chalcidius 950.
Cicero 29. 33. 54. 70. 91. 122. 123. 172. 180. 225. 325. 541. 548. 651. 780.
Circe dea 159. Clitomacus 71.
Cleombrotus Ambrasiota 96.
Clytemnestra 260.
Claudius Scotus Bedæ discipulus 591.
Claudianus 694. Clodius 798.
Combletæ edacitas regis Lydorum 515.
Constantinus imperator 674.
Cornelius Agrippa 72.
Conon 360.
Consaga præsul Mediolanen. 566. 567.
Con-

Conradus imperator 369. 623.
Coclæus 621.
Constantinns quintus 644. 645.
Core 670. 671.
Cornelius centurio 860.
Crantor philosophus 56.
Crassus 74. 476. 764.
Crœsus Lydorum rex 107. 153. 408. 497. 564.
Crantius 408.
Crates Cynicus 506.
Crato philosophus 848. 817.
Ctesiphon 144.
Cyrus 107. 272. 547. 699. 873. 799.
Cypsellius Periandri pater 817.

D.

Dauid propheta 1. 48. 194. 195. 201. 217. 236. 154. 262. 307. 340. 341. 360. 362. 401. 482. 410. 416. 419. 518. 562. 620. 640. 641. 648. 651. 689. 698. 783. 741. 763.
Darius 24. 374. 310. 539. 754. 755.
Daniel 206. 246. 341. 362. 762. 825.
Dathan 613. 671.
Damasus episcopus Romanus 652.
Deucalion 24.

Demosthenes 66. 657. 764. 774. 780, 929.
Democritus 73. 99. 109. 214. 215. 256. 257. 325. 47. 755.
Demetrius poeta 134. 310. 539. 754.
Demetrius Phaleræus 945.
Delos insula 297.
Demonica virgo 373.
Demaratus 405. 406.
Decij 443.
Desiderius Longobardorum rex 408.
Dioscorides 90.
Dionysius Siciliæ tyrannus 153. 178. 714. 746. 408. 627. 563.
Diogenes Cynicus 209. 225.
Dionysius Heracleotes 225.
Diagoras 375. Diocletianus 326.
Dion 383. 753 Ditricus Veronen. 620.
Dithmarsij 672. Diognetus 753. 755.
Dominicus monachus 452.
Draco 802.

E.

Eberhardus frater Conradi imp. 369.
Edenolphus Angliæ rex 448.
Ecclesiasticus 20. 639.

Ege-

Egesias orator 808.
Elizeus 555. Eleates 771.
Elias 254. 555. 850.
Elizabetha Obotritorũ principissa 314.
Empedocles 47. 795. Ennius 180.
Ephesina Diana 143. 144. 298.
Ephren Syrus 127.
Epicurus 29. 71. 99. 119. 286. 327. 486.
Epiphanius 438.
Erasmus Catholmius 808. 192.
Eratosthenes Geographus 225.
Ericthonius 648.
Esaias 13. 178. 290. 304. 947. &c.
Esdras 85. Æschines 610.
Eua 692. Eustachius 861.
Euticia mater Luciæ 870.
Euripides 190. 348. Eusebius 935.
Euclides 71. Euripus 44. 104.
Ezechiel 245. 279.
Ezechias 307. 763.

F.

Faustina 81. Flaccus 8.
Fridericus II. *Rex Daniæ* 121, 314. 345. 414. 446. 616.
Fridericus I. *Rex Daniæ* 618.

Fri-

Fridericus Barbaroſſa 496. 556.
Fridericus imperator 622.856.
Franciſcus petrarcha 628.
Franciſcus Bufalus 190.
Franciſcus monachus 452.

G.

Galenus 91. 126. 235. 238.
Gai gula 141.
Geogius dux Saxoniæ 563.
Gedeon 742.
Gn. Pompeius 670. 827.
Gorgias Leontinus 808.
Gomorrha 245.
Guntherus cancellarius Henrici IV. imperatoris 311.
Guſtauus Suecus 313.
Gregorius Niſenus 605,
Græci 792.
Gyges Lydorum rex 209. 367.
Gerſon Theologus Pariſienſis 923.

H.

Habel 4. Hannibal 66.
Hali 123. 472. Hammon 415. 523.
Habacuc 480.
Hato

Hatto Epiſcopus Moguntinus 798.
Harpagus 799.
Herculis claua 2. Herilius 22. 315.
Hercules 70. 80. 362. 642. 810.
Heliogabalus 123. Hermocles 68.
Helias 185. 206. 254,
Hector Priami filius 201.
Heli ſacerdos 262.
Hellas Argiuorum 297.
Herodotus 298.680.
Henricus IV. imperator 477. 496.
Herodes 326. 344. 451. 689.
Henricus Auceps 369. 416. 445. 798.
Hecuba Euripidea 437.
Henricus 2. imperator 460. 461. 462.
Henricus V. filius Henrici IV. 477.
Henricus Saxoniæ dux 496. 563.
Herodes Sophiſta 544.
Hermannus Mutius 579.
Heſiodus 615. 855.
Henricus VI. imperator 624.
Herodes Magnus 686 893.
Herodes Agrippa 756.
Heraclius 812. 813.
Hieronymus 50. 133 229. 537. 548. 549 569. 667. 692. 741. 756. 937. 938.

Hip.

Hippocrates 55. 178. 207. 238. 256.
Hieronymus Pragensis 311.
Hieroboam 410 425.
Hieremias 550. 667. 692. 741. 756.
763 147. 254. 752. 937.
Hirene vxor Constant, v. 644. 645.
Hippocentaurus 723.
Homerus 7. 10. 24. 33. 44. 66.
81 96. 106. 135. 179. 227. 256. 298.
338 345. 397. 433. 449. 543. 572.
621. 622. 721. 830.
Horatius 17. 122. 135. 347. 467. 471.
Hortensius orator 142.
Honorius imperator 365.
Hypsicratea 260.

I.

Iacob 19. 109. 164. 253. 262. 340.
501. 545. 586. 698.
Ibycus poeta 844. 845.
Iehu rex Israel 545.
Iesabel 664. Iephte 451.
Iob 20. 185. 192. 224. 239. 262. 290. 388.
481. 585. 586. 637. 685. 698. 703.
Iohannes Euangelista 37. 290. 539.
Ignatius 763. Iochaz 147.
Iosu

Iosua 105. 245. 307. 363. 742.
Iosephus 211. 662. 686.
Iosaphat 307.
Iohannes Husſius 311. 742.
Iohannes monachus 325. 557.
Iohannes Legelius canonicus Roschildensis 446.
Iohannes dux 579. 580. 581.
Iohannes Scotus Bedæ discip. 591. 592.
Ioanna 646. Ioas 414.
Ioseph 360. 362. 401. 410. 463. 545. 656. 698. 885.
Iouinianus 674. Ionathas 712.
Iosias 762.
Iohannes Apostolus 849. 866.
Iphigenia 767.
Isahach 164. 192. 586. 883. 899.
Isocrates 388. Iulius papa. 40.
Iulius cæsar 80. 197. 217. 368. 670. 698. 745. 768. 873.
Iulia 81. Iuditha 417. 752.
Iustinianus imperator 307. 674. 675.
Iudas 186. 375. 525.
Iustinus 122. 298. 605.
Iuuenalis 135. 615.
Iudas Machabæus 545.

Iulianus 567.
Iulius 3. pontifex 576. 577.
Iuno apud Homerum 647.
Iupiter 76. 437. 647.

L.

Lactantius 528. 935.
Lambertus Schaffnaburgensis 374.
Laurentins 429. 463. 546.
Lazarus 698. 852. 864.
Lælius 154.
Leo IV. pontifex 448. 790.
Leon tyrannus Philiasiorum 26.
Leonides Spartanus 405.
Ligarius 810.
Longinus 478. 479.
Loth 360. 362.
Lotharius 415. 417. 453.
Lucanus 47. 298. 724.
Lucretius 29. 39. 69. 554. 754. 732.
Lucas Euangelista 146. 683.
Lucretia 260. 475.
L. Crassus. 128.
Lucianus Antiochenus presbyter 294.
Lucianus loquax 455.

Lucia virgo 870. (418.
Ludouicus Baōariæ rex 417.
Ludouicus Caoli Magni filius 416.
Ludouicus 646. (417.
Lutherus 225. 563. 608. 629. 810.
Lycurgus 179. 183. 768. 802.
Lysander 131.

M.

Malachias 718.
Macrobius 29.
Mardocheus 799.
Machabæa 294.
M. Ionas canonicus Lundensis 8.
Magus Ægyptius 273.
Mahometus 278.
Manilius 369.
Manasses 408. 414.
Manichæi 452.
Marius 97. 745.
Maro 681.
M. Camillus 724.
Marcus apud Ciceronem 40.
Marcus Æmilius Lepidus 548. 699.
Marcus imperator 769. 817.
Martialis 387.

Marsilius Ficinus 235.
Mattheus Euangelista 20.
84. 209. 352. 851.
Maximilianus imperator 558. 559.
Mauritius imperator 558. 559.
Medea 260. 780.
Meleti accusatio 795.
Meletius 438.
Melitides 261.
Menander 611.
Memphis 288.
Menedemus 71.
Menippus 97.
Mephiboseth 154.
Mercurius 319. 383. 411. 434.
529. 606. 779.
Messalina 260.
Metellus 268.
Metrodorus 47. 867.
Michæas 77. 756.
Milo 798.
Midas 187. 375. 757.
Michael Seruetus combustus Geneue
612.
Minerua cum Ægide 707.
Minotaurus 443.
Mo.

Moguntinus Archiepiscopus 733.
Monica Augustini mater 317.
Moses 45. 105. 135. 163. 164. 236. 545. 586. 634. 670. 671.
Musæus 383.
Mycenea 297.
Myro 399.

N.

Naboth Isreelites 155. 474. 664.
Nadabus 624.
Nazianzenus 634.
Nebuchadnezar 246. 344. 424. 663. 685. 825.
Neptunus 405.
Nero Augustus 140. 145. 187. 415. 603. 689.
Nestor 572.
Nicesias 564.
Nicolaus papa 453.
Noah 262.

O.

Octauius cæsar 107.

Olympiodorus 36.
Omphale 642.
Orpheus 383. 647.
Oſeas 133. 408. 685.
Ottho imperator 146.
Ottho de Vvithliſbach 515.
Ouidius 33. 108. 358. 388. 782.
Oedipus 621.

P.

Pacuuius 644.
Paris 641.
Parrhaſij linteum 53.
Paſaites Turcarum tyrannus 746.
Paulus Apoſt. 63. 635. 637. 657. 661. 691. 693. 703. 727. 738. 741. 756. 869. 884. &c.
Paulus Æmilius 812.
Paulus Eremita 548. 549.
Pauſanias 68.
Phædo 71
Periander Cypſellij filius 817.
Pericles 546. 808. 651. 764.
Perſius I. 65.
Perſæ 792.

Pes

Petrus Apost. 546. 555. 663. 860. 884. &c.
Petrus Nigidius 30.
Pharao 664. 689. 755.
Phocas 558.
Philippus Melancton 558. 712. 810. 940.
Philoxenus 627.
Pittacus 831.
Pindarus 321. 948. 179.
Plato 30. 40. 47. 26. 71. 76. 637. 727. 766. 769. 771. 783. 780. 802. 816. 642. &c.
Plautus 55. 539. 778.
Plinius 35. 67. 73. 537. 698. 867.
Plinius secundus 861.
Plutarchus 553. 803.
Polybius 572.
Pompeius 74. 597. 745. 764. 737.
Pontanus præceptor Friderici imperatoris 856.
Proclus 752.
Ptolomæus 29. 771. 809.
Pythagoras 25. 26. 56. 73. 637. 795. 802. 816. 944.
Pytho 779. 811.

R.

Rechabeamus 194. 414. 415. 812.
Robertus Siciliæ rex 759.
Roboamus 183.
Rhodos insula 297.
Romani 792.
Rosimunda vxor Alboini 478.
Rudolphus Sueuiæ dux 495.
Rudolphus de Vuarth 580. 581.
Runigunda vxor Henrici IV. imperatoris 461.
Ruth 254.

S.

Saladinus 482.
Salustius 272. 376.
Saphira 451.
Samuel 620. 762.
Samson 255. 567. 641.
Sara 260.
Sardanapalus 122. 364.
Sarraceni 277. 812.
Saturnus 606.
Saul 186. 216. 236. 340. 414. 564. 664. 689. 712.

Saxo

Saxo 128. 408..
Scamander 202.
Sichæus 155. 475.
Scaurus priuignus Syllæ 146.
Scipio imperator 154.
Scipio Africanus 66. 105.
Sedechias 756. 408.
Seneca 203. 311. 378. 398. 783. 854. 867. 877.
Sennacherib 424.
Semiramis 374.
Semei 620.
Seruius Tullius 799.
Sergius Catilina 669.
Sextus philoſophus 545.
Sigiſmundus imperator 782.
Silius Italicus 298.
Simon Petrus 860.
Simonides 40. 161. 162. 268. 373. 757.
Socrates 271 361. 443. 475. 541. 607. .666. 795. 766. 792. 796. 802. 944.
Sodoma 245.
Solon 56. 104 107. 802. 832.
Solonis lex 498.
Solinus 298.
Sophocles 134. 271. 572.

Soſiphanes 555.
Sotaci leges 486.
S. Iacobus 447.
Stoici 286.
Strabo 47.
Stephanus Poloniæ rex 314.
Stephanus 429. 546.
Suetonius 142. 698.
Suſanna 401. 463.
Syphax 153.
Sphynx 182.
Siſyphus 100. 724.

T.

Thales Mileſius 23. 81. 107.
Tamerlanus 746.
Tantalus 375. 100. 724.
Tarquinius 799.
Taſillus Bauariæ princeps 656.
Taſſus Hermoneus 801.
Themiſon 132.
Tertullianus 292. 298.
Theoberga repudiata 453.
Themiſtocles 104. 357.
Theodoſius imperator 574.
Theophraſtus 56. 90.
Thes

Theodoricus 620.
Theſeus 443.
Timotheus 360.
Thomas Morus 384.
Thomas Aquinas 940.
Tobias 185. 192. 209. 239. 388. 545.
Thucydides 624.
Tullius 475.
Tityus 100. 724.
Timantis conſilium 767.
Timon 772.
Traianus imperator 67. 80. 669. 861.
Tranquillus 141.
Troſchius Iupiter 238.
Tyberius 123.
Typho 332.
Thamus Ægypti rex 942.
Triſmegiſtus Hermes 950

V.

Valla 154.
Valerianus imperator 272.
Valens Tyrannus 773. 774.
Valentinianus 674.
Valtherus de Eſchelbach 580. 582.

Varro 180. Vedius pollio 575.
Venus 646.
Venceſlaus filius Caroli IV. 399. 455.
Verres 788.
Veſtales 260.
Vlricus de Palma 580.
Virgilius 82. 99. 156. 298. 342.
Vincentius 429.
Vilhelmus Farellus 612.
Vrias 424. Vitruuius 248.
Vitus Theodorus 608.
Volaterranus 82.
Vlyſſes 159. 201. 361. 397. 515. 628. 721. 722.

X.

Xanthus 515.
Xenocrates 56. 226. 383.
Xenophon 547. 698.
Xenophanes 81.
Xerxes 404. 405. 564. 123. 597.

Z.

Zeno 56. 71. 267. 771.
Zeuxis 53.
Ziba 408.

FINIS.

Qui errores obiter sint castigati.

Pagina 7. linea 16. lege ὁ βίος pro ἡ. pag. 105. lin. 17. pro frenare lege frænare. pag. 116 lin. 12. commessationibus lege comessationibus. pag. 207. lin. 20. pro Hypocrates lege Hippocrates, ꝙ sæpius rectè occurrit. pag. 227. lin. 2. pro scripsura lege scriptura, & linea sequenti pro tunc sunt. pag 329. lin. 11. pro μετεμχύχωσιν lege μετεμψύχωσιν. pag. 360. lin. 4. pro Ægiptus lege Ægyptus. pag. 381. lin. 5. pro ἀνθιθέσιν lege ἀντιθέσιν. pag. 384. lin. 10. pro γνομολογία lege γνωμολογία. pag. 419. lin. 16. pro nunq̄ lege nonnunq̄. pag 414. lin. 9. pro στοργῆ lege στοργῆ. tum & pag. 461. lin. 16. pag. 361. lin. 2. pro hypochritæ lege hypocritæ. pag 428. lin. 2. pro restituit lege restituat. pag. 436. lin. 8. pro βαττογίαν lege βαττολογίαν. pag. 572. lin. vltima, pro moderationibus lege moderatioribus. pag. 592. lin. 10. pro apperuit lege aperuit. pa. 642. lin. 12. pro malos lege malas. pag. 881. lin. 18. pro pholosophemur lege phi-

loso

losophemur. pag. 945. lin. 10. pro libos lege libros. pag. 132. 752. pro Olophernes Holofernes &c. Interim æquos lectores amanter rogatos volo, ne aliis vitiis typographicis offensi, de tota explicatione iniquiùs iudicent.

B. V.

+ + +



XVI. CAL. FEBR. quo die THEODOSIVS Imperator, pater Honorii & Arcadii, saxagenarius Mediolani mundo huic valedixit. Anno post natum CHristum 399. C. Cæsar Octauius à senatu & populo Romano, imperator AVGVSTVS appellatus est. Anno 24. ante natum Christum. Et serenissimus ac inuictissimus SCOTORVM REX, IACOBVS SEXTVS, paulò ante celebratis ASLOIÆ in regno NORVEGIÆ nuptiis, cum ANNA illustrissima & regia virgine, potentissimi DANIÆ ac NORVEGIÆ Regis FRIDERICI II. (sanctę recordationis) optimi Principis filia, emensis ac supe-

ſuperatis magnis & difficilibus itineribus Helſingburgum, quod HELLESPONTVM DANICVM (vocant) cum illuſtriſsima Regina ſua aduenisse dicitur, vt traiecto mari baltico, Reginæ illuſtriſsimam matrem, electum Regem CHRISTIANVM IV. illuſtriſsimos principes fratres ac ſorores, tum ampliſsimos regni DANIÆ gubernatores ac ſenatores ſalutaret. Vt autem hoc coniugium tam ipſis quàm aliis multis gentibus fœcundum ac ſalutare ſit, vota ad DEVM nuncupamus.

I. O. SI.



HAFNIÆ
IMPRESSIT MATTHIAS VINITOR
ANNO
M. D. XC.
CVm Gratia & Priuilegio.





